


7
7 L
8

SVMMA
TRIVMPHANTIS PHILOSOPHIAE

AVSPICIIS

EM.MI ET REV.MI PRINCIPIS

D. CAMILLI

S.R.E. CARD. PAMPHILII



PRO PHILOSOPHICA LAVREA
In Seminario Romano exhibita

A COM. PETRO HERCVLE ALBERGATO BONONIENSI
eiusdem Seminarij Conuictore.







R O M AE,
Ex Typographia Francisci Monetæ. MDCLIII.

Superiorum Permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apostolici.

A. Episc. Verul. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Soc. Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Palatij Apost. Mag. Ord. Prædicatorum.

EM.MO ET REV.MO PRINCIPI

D. CAMILLO PAMPHILIO

S. R. E. CARDINALI.





COMES PETRVS HERCVLES ALBERGATVS SEM. ROM. CONV. FEL.



ISTO ad tuæ Splendorem Purpuræ compendiarium hoc Aristotelicę Philosophiæ volumen CAMILLE CARDINALIS AMPLISSIME; Nec retrahor ab operis exiguitate, quando illud ornare non ambit, præsidium quærit. Vos autem Principes suo iure auxiliarios minima poscunt, quos orbis vtilitati, proximos Summo Moderatori in orbe fecit Deus. Erubescerem tamen in has paginas oculos aduocare debitos rerum vniuersitati, nisi minora quoq. flumina alueos Padi, Rhodaniue occuparẽt aliquãdo; & quod ipsa voluminis in fronte notaui, Imperatorum etiã triumphos non indecora Maiestatis accessione cumularint. Scio ego dignitatem tuam nonnisi à Summis augeri posse; in hoc tamen grãdior te ipso videri potes, si minima animo, vt soles, facillimo, dignaberis obtutu. Scilicet Deus ipse tum nobis potentior apparet, cùm tractat inferiora. Potuit mentis tuæ amplitudo, indoles capacissima, in agendis rebus dexteritas

summa,

ſumma, morum candor integerrimus Principis voluntatem Sacerdotis promereri ne dixerim, an rapere? Vnde merſam ingentium pondere curarum, non oppreſſam Dei Vicariam poteſtatem leuares. Quare metam tenes; nec vltra fas eſt optare mortali. Vnum tamen eſt, quod addas, non quo augeas tui nominis amplitudinem, vt videlicet grauiores inter curas, quas mundo impendis, meam hanc, tenuem licet, non dedigneris. Solem noſti radios ſuos ita totos orbi donare, vt minima non recuſet. Norat hoc paulò altiùs expreſſus Imperator, cuius cum gloria humanæ felicitatis extremum attigiſſet, hoc eſt triumphum, oblatos ſibi in Ariſtotelem Auerrois libros ſecum iuſsit triumphare, adſtantibus ſibi Magnatibus aiens. HAEC EST PARS MAGNA TRIVMPHI. Vides hinc, PRINCEPS EMINENTISSIME, cuius ſit Philoſophiæ patrocinari, aut Imperatoris, aut Tuum. Vale.

LIBER PRIMVS

Logicam complectens, & Metaphyficam

Metaphyficam Logicę fparfim inferemus breuioris, ac facilioris Methodi gratia, & recepto recentiorum Scholarum more, Metaphyficas quęftiones magna ex parte cum Logicis permifcentium.

DISTINCTIO PRIMA

Logicæ Proëmalia.

CAPVT PRIMVM.

Origo, Exiftentia, Neceffitas, ac Diuifio Logicæ.



LOGICAM præmittimus, vtpote Organum, & medium, quod ad fcientiarum affecutionem parari debet. Hanc ab Experientia genitam perfecit Philofophia. Artem enim, qualem probabimus effe Logicam, experientia genuit, vt docet Ariftot. 1. Met. cap. 1. Sic autem ab experientia oriri potuit Logica; vt primò aduerterint homines fe in fuis intellectus operationibus modo benè, modo malè operari, deinde modum adnotauerint, quem in cognofcendo adhibebant; & quia obferuarunt modum bonum femper effe eundem, ftatuerint tandem vniuerfalia præcepta de adhibendo tali modo ad bonas cognitiones eliciendas. Hæc autē præcepta funt Logica actualis: Sic de quacunque arte docet Ariftoteles initio Met. quod tunc formetur, quando ex multis experimentalibus conceptibus vna de fimilibus vniuerfalis opinio fit;

2 Sic verò exorta Logica debuit perfici à Philofophia ad hoc, vt ficuti ab Experientia certitudinem habebat merè experimentalem, ita à Philofophia omnimodæ prætera fortiretur certitudinis complementum. Quod fi fumma hæc certitudo in alijs artibus non eft vniuerfaliter neceffaria, Logicæ omnino debebatur, vtpote inftrumento earum etiam Scientiarum, quæ infallibilem certitudinem requirunt; hanc enim fi Logica non præhaberet, dare huiufmodi fcientijs non poffet.

3 Hoc modo exortam, & perfectam Logicam exiftere, ac de facto dari dicimus, fi enim ex *Arift. init. Rhetor. de accuf. & defenf.* datur ars Rhetoricæ, quia hæ operationes poffunt per præcepta regulari; dabitur etiam ars Logicæ de operationibus intellectus, cum hæ fint per rationem reflectentem fupra fuos actus, & per imperium voluntatis dirigibiles. Non tamen propterea ex hoc fequitur de omnibus etiam leuiffimis operationibus regulabilibus per rationem dari de facto peculiarem artem; quia perfectio operis habita dependenter ab arte effet aliquando ita modica, vt per illam non compenfaretur labor infumptus in addifcenda tali arte. Sæpe etiam animaduerfio ad præcepta potius retardaret, quam perficeret operationem; atqui neutrum ex his, vt patet, militat in Logica.

4 Logicæ exiftentia ex eius etiam neceffitate confirmatur. Nam ad benè effe vtique illa eft neceffaria, vt patet, tum communi auctoritate, tum experientia veterum Philofophorum, qui, vt eft apud *Ariftotel. 1. Phyf. tex.* 10. Falfa accipiebant, eò quod non effent fyllogizantes, hoc eft carerent Logica. Accedit ratio, funt enim aliqui difcurfus adeò difficiles, & fallaciæ adeò implexæ, vt, vel cum Logica vix fit, qui in aliquo non erret, eò quod Logica non benè vtatur. Quid ergo fieret fine Logica? Certè in operibus difficilibus, cuiufmodi funt cognitiones fcientificæ, ad bene effe neceffarium erit inftrumentum, quale eft Logica.

5 Cæterum moraliter loquendo nulla eft cognitio fcientifica acquifibilis per Logicam, quæ moraliter haberi non poffit fine Logica. Tunc enim A. v. g. dicitur moraliter neceffarium ad B, quando licet B. fit Phyficè acquifibilis fine A; tamen tanta eft difficultas in acquifitione B, vt nullus vnquam illam fuperauerit, aut fit fuperaturus: Nulla autem eft affignabilis cognitio fcientifica, ex his, quas cum Logica de facto acquirimus de qua dicere cogamur, quod nemo vnquam illam fit fine Logica affecutus, vel faltem non poffit affequi. Sine Logica enim cognofci poteft, & quodlibet principium, vtpotè per fe notum, & bonitas cuiuslibet illationis. Confirmatur, tum experientia eorum, qui ante Logicam demonftrationes Mathematicas olim addifcebant; tum etiā quia fi abfque Logica

probari potest veritas præceptorum, ne Logica probetur per Logicam, ideóque idem per idem; non est cur alia quælibet cognitio scientifica probari, saltē moraliter, nō possit sine Logica. Verum quidem est multas esse cognitiones scientificas, quas non possumus moraliter assequi, nisi aduertamus ad variam terminorum suppositionem, &c. Sed aduertentia ad variam terminorum suppositionem distributiuam, vel collectiuam, v. g. licet prout designata sub his terminis proprijs artis, non fiat nisi per artem; illud tamen, quod per hos terminos proprios, aliosq; similes, importatur, non est cur non possit solo lumine naturali obtineri.

6 Hinc infertur neque ad scientias totales acquirendas, Logicam esse moraliter necessariam, si enim ad nullam cognitionem scientificam Logica est moraliter necessaria, neque erit ad scientias totales, quæ nihil aliud sunt, nisi varia aggregata cognitionum scientificarum. Et si de facto scientia totalis Mathematicæ addiscebatur olim ante logicam, non dabitur in ordine ad alias scientias totales moralis necessitas logicæ, sed sola necessitas ad bene esse, & ad illas scientias facilius cum logica acquirendas, quas sine illa non nisi cum magna difficultate assequeremur. Quod si dicas non bene procedi à qualibet cognitione scientifica distributiuè, ad magnam aliquam cognitionum scientificarum collectionem; sicuti non bene probaretur ex eo, quod possim ferre distributiuè centum mille libras, quod illas etiam possim ferre coniunctim. Respondeo, quod sicuti si possum ferre vnam libram, possum successiuè ferre alias, dummodò ferendo primam non fuerint meæ vires debilitatæ; ita multò magis si possum sine logica habere vnam cognitionem scientificam, potero, & reliquas: cum nō modo priores cognitiones nō imminuant, seu augeant lumen intellectui ratione similitudinis, vel dissimilitudinis, quam obiectum vnius cognitionis habet cum obiecto alterius.

7 Bene diuiditur logica in actualem, & habitualem; in vniuersalem, quæ tradit præcepta, vel pro quacumque materia, vel pro omnibus operationibus intellectus; & particularem, quæ tradit præcepta pro aliqua, vel operatione, vel materia peculiari. Item in artem veterem, quæ erat in vsu ante Arist. & nouam, quæ vel inuenta, vel maximè perfecta est ab Arist. Pariter in Analiticam, quæ tradit præcepta pro materia scientifica, Topicam, quæ pro materia probabili, & Sophisticam, quæ docet texere, & dissoluere fallacias. Hæ enim diuisiones ad diuersos diuidentium fines sunt idoneæ. Bene etiam diuiditur in docentem, & vtentem, intelligendo per docentem præcepta logicæ, prout potentia dirigere scientias; nomine verò vtentis ipsa præcepta, quatenus actu illas dirigunt, ita vt dicatur logica vtens, quasi vtens, seu efficiens actualem directionem scientiarum. E contra, malè diuiditur in docentem & vtentem, si nomine vtentis intelligantur scientiæ, quatenus vtuntur præceptis logicis. In omni enim bona diuisione debet diuisum posse absolutè prædicari de membris diuidentibus. Animal enim absolute prædicatur de rationali, rugibili, &c. non potest autem absolutè dici, scientiæ vtentes Logica, sunt Logica. Quod si respondeas posse saltem dici, scientiæ vtentes Logica, sunt Logica vtens. Contra est quia diuisum non est Logica vtens, sed Logica absolutè dicta quæ deberet posse absolutè prædicari de scientijs. Propter eandem rationem malè diuiditur logica in naturalem, & artificialem, intelligendo per logicam naturalem, intellectum naturaliter aliquando benè operantem, neque enim dici absolutè potest intellectus naturaliter bene operans est logica. Adde malè transferri nomen logicæ, per quod venit aliquid artificiale acquisitum, & superadditum naturæ ad significandum intellectum præcise secundum id, quod habet à natura.

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum Logica sit Practica, vel Speculatiua.

Pro hac re prius examinanda est ratio, & essentia cognitionis practicę & speculatiuę. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

Reiciuntur variæ Sententiæ circa essentiam cognitionis practicæ.

1 COgnitio practica dicitur in ordine ad praxim, eo quod habeat pro fine praxim, hoc est latinè actionem. Difficultas autem in hac materia in eo consistit, quod cum ex Arist. secundo Met. tex. tertio. *Speculatiuæ finis sit veritas, practicæ autem opus:* similiter ex eodem tertio de Anim. *Intellectus actiuus differat à speculatiuo, fine*, non apparet quomodo cognitio possit intendere finem, cum cognitio non intendat, nec appetat. Quod si dicas, illam esse cognitionem practicam, quæ supponit in cognoscente voluntatem faciendi obiectum talis cognitionis. Contra est, quia frustra cum Arist. assignarentur intellectui practico habitus prudentiæ, & artis; intellectui verò speculatiuo habitus intellectus, scientiæ, & sapientiæ. Si enim non habetur ex intrinseca natura talium habituum, & cognitionum, quòd sint practicæ, vel speculatiuæ, sed

possunt

possunt ex libera, & extrinseca voluntate cognoscentis nunc intendentis, nunc non intendentis opus, esse nunc practicæ, nunc speculatiuæ, non est cur potius hæ cognitiones, quam illæ numerentur inter practicas.

2 Præterea quod aliqua cognitio habeat pro fine opus, & sit practica, non habetur solùm per hoc, quod sit de obiecto operabili, hoc enim, quamuis requiratur, non tamen est satis, quia innumeræ demonstrationes Mathematicæ, & Speculatiuæ sunt de obiecto factibili: multò minus satis est, quod sit talis cognitio, ex vi cuius sequi possit aliqua operatio. Cum enim nulla sit cognitio ex vi cuius sequi non possit amor, vel odium rei, quæ cognoscitur, nulla daretur cognitio Speculatiua. Neque pariter ratio practici habetur per hoc, quod spectato labore in assecutione alicuius cognitionis, non sit hæc prudenter expetibilis, nisi propter opus. Quia hæc cognitio, *vitium est fugiendum*, est practica, cum sit dictamen practicum prudentiæ, & tamen hæc cognitio ratione veritatis, quam continet, est prudenter expetibilis etiam præscindendo ab opere, & spectato etiam labore in assecutione talis cognitionis, ratione meræ veritatis. Nullus enim in talis veritatis assecutione requiritur labor, cum naturaliter in nobis talis cognitio oriatur, & potius laborandum sit, ne in nobis insurgat.

3 Demum non bene explicatur cognitio practica, quod sit cognitio de re operabili, vt operabilis est, quæ videlicet explicet modum, & vltimas circumstantias faciendi opus, nec non debitum, & conuenientiam, quam habet natura rationalis adhibendi talem modum si velit operari, atque hoc totum explicetur dicendo exemp. grat. *Sillogismus in Barbara est ita tibi faciendus.* Hæc enim sententia reijcitur primo, quia Arist. 1. Topic. cap. 9. affert pro exemplo problematis practici: *vtrum voluptas sit fugienda*; ergo aliqua cognitio per Arist. est practica, cum tamen per illam non dicatur, quoad vltimas circumstantias, & modum, voluptas esse itá mihi, & tali tempore &c. fugienda. Secundo hæc sententia procedit ex falso fundamento, supponit enim, cognitionem practicam esse illam, quæ est vltima ex parte intellectus, ad hoc vt homo dicatur completè potens operari, hoc autem est falsum, tum ex Arist. suprà citato distinguente cognitionem, & intellectum practicum à speculatiuo, non per hoc, quod gratis hæc sententia assumit, sed per finem operis, qui potest intendi ab aliqua operatione, etiam non vltimò dirigente ad opus. Tùm etiam, quia dantur tàm in prudentia, quàm in arte præcepta vniuersalia, quæ neque modum, neque vltimas circumstantias explicant, neque possunt immediatè dirigere ad opus, nisi illis aliæ cognitiones practicæ de obiecto in singulari subnectantur.

4 Et vt vno verbo omnes alias sententias reijciamus. Omne ens, vtpote verum, est speculabile, ideòque modus, vltimæ circumstantiæ, debitum, conuenientia, & quidquid volueris, sunt obiecta speculabilia, cognoscibilia scilicet per cognitionem habentem pro fine non opus, sed illorum veritatem, ergo superest assignandum quid peculiare habeat cognitio practica, quæ attingat, hæc obiecta non gratia veritatis, sed operis.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur nostra sententia de Cognitione practica.

1 CVm, quælibet cognitio constituatur in suo esse, & distinguatur ab alia cognitione, vel per obiectum, quod attingit, vel per modum tendendi, quo illud attingit, cognitio practica, vel per vtrumque, vel per alterutrum ex his differre potest à speculatiua; atqui non per obiectum, vt probauimus, ergo ex modo tendendi, quare modum tendendi constitutiuum cognitionis practicæ dicimus esse modum tendendi præceptiuum, quod probatur primo ex Arist. 6. ethic. cap. 10. vbi ait: *Prudentia præceptiua est, quid enim agendum, aut non agendum sit, finis est ipsius.* Hæc autem Arist. illatio, non esset bona, nisi vniuersaliter supponeret, quod omnis habitus habens pro fine opus sit præceptiuus. Secundò, quia modus tendendi præceptiuus, qui explicari solet per voces *fac hoc*, vel *faciendum est hoc*, non est nobis datus à natura, nisi propter opus. Ergo cognitio præceptiua præscindēdo ab omni actu voluntatis, & ab alio quocumque, habebit de se peculiari modo pro fine opus, quod non competit cognitioni speculatiuæ. Tertiò, nemo est qui neget præceptū de se propter opus, etiamsi qui hic, & nunc opus præcipit, illud nolit. Hinc cognitiones synderesis, etiam si nolimus opus, quod dictant, sunt practicæ, quia institutum est à natura, vt illæ in nobis insurgant propter opus. Demum de vtroque habitu intellectus practici Prudentia scilicet, & Arte dicimus, quod sint practici, quia sunt præceptiui. Accedit auctoritas S. Thomæ, qui 1. 2. quest. 57. art. 6. sic ait: *circa agibilia autem humana tres actus rationis inueniuntur, quorum primus est consiliari, secundus iudicare tertius est præcipere. Primi autem duo respondent actibus intellectus speculatiui, qui sunt inquirere, & iudicare, sed tertius actus est propriè intellectus practici.* Ergo ex S. Tho. idē est esse practicū, ac esse præceptiuū.

2 Quod si quæras quid sit modus tendendi præceptiuus. Respondeo primò hoc satis per experientiam innotescere, sicuti satis innotescit modus tendendi disiunctiuus, compositiuus, quos si volueris explicare, potius implicabis. Adhuc tamen dici secundò potest cognitionem præceptiuam esse cognitionem intimatiuam, per quam scilicet cognoscens, vel alteri, vel sibi intimet id, quod per iudicium speculatiuum iudicauit de rebus, vel pertinentibus, vel præscindentibus ab honestate.

Per hanc enim intimationem redditur dispositus ad opus. Quamuis autem admittatur sine cognitione formaliter præceptiua, posse cognoscentem disponi ad opus, non aliter ac seruus sine formali præcepto Domini ex mera cognitione, vel voluntatis Domini, vel alicuius vtilitatis, quæ Domino ex tali opere resultat, moueri potest ad aliquid exequendum: huiusmodi tamen cognitiones non præceptiuæ non habent de se quidquam peculiare, ratione cuius præscindendo ab omni extrinseco, possint habere pro fine opus.

3 Ex his inferimus primò: meritò dici, quod intellectus extensione fiat practicus, quia quandiù consultat, quandiù de consultatis iudicat est speculatiuus; eatenus autem fit practicus, quatenus se extendit ad præcipiendum id de quo speculatiuè consultauit, & iudicauit. Secundò rationem præceptiui, & practici non consistere in indiuisibili, sed fieri posse vel per modum tendendi magis dispositiuum ad opus, & cum quadam motione, quæ explicatur per illas voces *fac hoc*, vel sine tali motione, & explicari solet per illa alias *faciendum est hoc*; vtraque tamen ex his cognitionibus est practica, vtpote elicita per modum tendendi non datum nobis à natura, nisi propter opus. Tertiò, Neutra ex his cognitionibus de practica transire potest in speculatiuam, cum vtraque de sua essentia habeat talem modum peculiarem tendendi. Quartò, benè ab Arist. 6. Moral. cap. 2. dicitur *Actiua, & cogitatiua opus est veritas*, tam enim ab habitu practico, quam à speculatiuo dicitur cognitio vera; sed cum hoc benè stat, quod respectu vnius habitus, finis sit sola veritas cognitionis, respectu autem alterius, opus quod præcipit, vt alibi Philosophus docuerat. Rectè etiam dicitur speculatiua esse de rebus necessarijs, practica de contingentibus, illa enim habet pro fine veritatem necessariam, hæc verò opus contingens. Demum iuxtà nostram explicationem dantur in Deo cognitiones practicæ præscindendo a volitione de ponendo opere, quia dantur in illo cognitiones habentes omnem perfectionem disponendi ad opus, quam habent nostræ cognitiones practicæ seclusis imperfectionibus.

SECTIO TERTIA.

Statuitur, cognitiones omnes proprias Logicæ esse practicas.

1 QVod hæ, vel illæ cognitiones sint propriæ huius vel illius scientiæ, licet partialiter habeatur ratione alicuius intrinseci fundamenti in ipsis cognitionibus, habetur tamen tanquam ab vltimo determinatiuo ex placito primorum Sapientium, qui tali potius fundamento, quam alio ad talem scientiarum diuisionem instituendam vti voluerunt, vt meliùs constabit, vbi de diuisione scientiarum. Sic quod diuisio Orbis terrarum facta fuerit in Europam, Asiam, &c. habetur quidem cum aliquo intrinseco fundamento talium montium, fluminum, Principum, &c. Tamen, quod hoc potius fundamento, quam alio vti voluerint primi diuidentes, fuit ex eorum placito. Sicut ergo si quis scire vellet, vtrum hæc Ciuitas sit propria Asiæ, vel Africæ, deberet spectare diuisionem factam à primis diuidentibus, ita dum quærimus vtrum aliqua cognitio speculatiua sit propria Logicæ spectare debemus diuisionem primorum Sapientum, & ex illa colligere, vtrum omnes cognitiones speculatiuæ assignatæ fuerint tanquam propriæ alijs scientijs, & Logica relicta cum solis cognitionibus instrumentalibus præceptiuis, & practicis.

2 Porrò diuisio cognitionum speculatiuarum quomodo fuerit facta à Sapientibus, non melius potest nobis innotescere, quam ab Arist. Philosophorum Principe. Hic ergo 6. met. tex. 3. ait. *Tres vtique erunt Speculatiuæ Philosophiæ, Mathematica, Naturalis, Theologia*, ergo cognitiones scientificæ speculatiuæ fuerunt diuisæ in tria aggregata, seu scientias totales, ita vt nulla sit cognitio speculatiua, quæ non sit propria, vel Mathematicæ, vel Naturalis, seu Physicæ, vel Theologiæ, hoc est Metaphysicæ; aliter diuisio non esset bona Sicut enim diuisio orbis terrarum in quatuor partes, ideò est bona, quia nihil est Terræ, quod propriè ad vnam ex illis partibus non pertineat; ita ad hoc, vt sit bona diuisio Speculatiuæ Philosophiæ nulla debet esse cognitio Speculatiua, quæ non sit propria vnius ex his tribus Scientijs. Non quod de facto, ita exerceantur hæ tres scientiæ Speculatiuæ, vt qui illas possident, habere debeant omnes cognitiones Speculatiuas, quæ possunt haberi, hoc enim naturæ imbecillitati est difficile, sed quod quæcumque cognitio Speculatiua obtineatur, referri statim tanquam propria debet ad vnam ex his scientijs. Sic Princeps, qui esset Dominus totius Europæ, licet aliquam regionem spectantem ad sui dominatum non nosset, vbi tamen illam detegeret, statim illam tanquam sibi debitam iure assumeret. Nulla ergo superest cognitio Speculatiua, quæ sit propria Logicæ. Sed quotquot huiusmodi habet, assumit vel ab aliqua scientia Speculatiua, vel ab habitu primorum principiorum.

3 Præterea Logica Aristotelica, de qua loquimur, est instrumentum, ergo est propter opus, quod si dicas non esse totaliter instrumentum, tuum erit hoc probare; quod nunquam efficies. Semper enim dicam intentionem Arist. in instituenda Logica fuisse solum formare Organum, & præcepta, ad quod vbi opus fuit, assumpsit mutuas à scientijs, vel ab habitu principiorum aliquas veritates speculatiuas. Demum nulla est cognitio Speculatiua, quę ratione obiecti, quod habet non comprehendatur sub obiecto alicuius ex tribus illis scientijs Speculatiuis.

4 Quamuis

4 Quamuis autem Logica sit totaliter practica, poterit tamen aliqualiter probare sua præcepta, quantum ad rationem artis requirit Arist. hoc enim potest à Logica fieri modo practico, & præceptiuo, ac per terminos proprios artis, sicuti à Philosophia exactior probatio fit modo Speculatiuo. Assumere etiam poterit Logica, vel supponere ex habitu primorum principiorum, & ex Philosophia quidquid speculatiui ad suorum præceptorum probationem opus erit. Quare dum in qualibet arte communiter dicitur dari pars practica, & pars speculatiua, nomine partis speculatiuæ possunt intelligi vel præcepta vniuersalia, quæ tamen verè sunt practica, vel probationes præceptorum, quæ pariter factæ modo practico, exactè loquendo, sunt etiam ipsæ practicæ. Vel demum si qua erit pars verè speculatiua, hæc desumpta erit à Philosophia. Hinc neque cognitiones, per quas artes reflectunt supra opus à se factum, erunt speculatiuæ, cum non eliciantur ab artibus, nisi propter opus vel retinendum, vel immutandum.

5 Infertur ex dictis primò, logicam esse scientiam, quia eius præcepta sunt certa, & euidentia probata per suas causas practico modo ab ipsa logica; à Philosophia autem modo speculatiuo, & magis exacto. Sicut enim non omnes scientiæ æqualem exigunt certitudinem, ita ad rationem scientię practicę, qualis est logica, non erit necesse, quod ab ipsa etiam logica exactissimè probentur sua pręcepta. Porrò de obiectis artium dari potest vera scientia, cum de entibus, etiam per accidens complexis certò scire possimus, quod si taliter coalescant, hoc, vel illud ex illis oriatur. Infertur secundò; logicam non esse partem Philosophię, si nomine Philosophiæ veniant solùm scientię speculatiuę, in latiori verò acceptione poterit esse pars, & instrumentum Philosophię.

CAPVT TERTIVM.

De Obiecto Logicæ.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Obiectum.

1 Obiecti nomine significatur id, quod obijcitur, & proponitur, vel facultati speculatiuę, vt merè considerandum; vel practicę, vt efficiendum, & immutandum. Aliud est *communitatis*, quod obijcitur tanquam quomodocunque considerandum, aut efficiendum: Aliud est *attributionis*, quod obijcitur tanquam per se considerandum, aut efficiendum: Hinc in practicis habentibus pro fine opus, obiectum attributionis erit finis artis. Obiectum enim, quod per se ars efficit, vel immutat, erit opus, quod tanquam finem per se ars intendit, & in ordine ad quod alia omnia ordinat tanquam media. Illud autem opus dicendum est per se intendi ab arte, quod intenditur ab artifice, non vt homo liber est, sed vt artifex est. In speculatiuis non est idem obiectum attributionis, & finis; cum enim habeant pro fine veritatem; finis illarum erit vera cognitio; obiectum verò erit id, circa quod versantur illę verę cognitiones, quę per se à tali scientia speculatiua intenduntur.

2 Obiectum attributionis aliud est totale, totum videlicet, quod à facultate aliqua per se intenditur; aliud partiale, quod nimirum est pars illius, quod per se intenditur, sed talis pars, quæ etiam de se accepta per se intendatur. Rursus Obiectum attributionis aliud est materiale, aliud formale. Materiale est illud, in quod Physicè, vel Metaphysicè præsuppositum inducitur forma artis. Dixi *Physicè, vel Metaphysicè præsuppositum*; quia aliquando in artibus assignatur obiectum materiale physicè distinctum, & physicè recipiens formam artis: aliquando non distinctum, nisi formaliter, & metaphysicè.

3 Sed difficultas ex hoc oritur, quando nam in artibus assignandum sit obiectum materiale distinctum physicè; quando verò distinctum solùm Metaphysicè. Dicunt aliqui in artibus requirentibus peculiaria præcepta pro subiecto, in quod inducenda est forma artis, assignandum esse subiectum physicum, secus in alijs. Sed contrà primò, quia hoc, quod est dari, vel non dari præcepta de aliquo, impertinenter se habet ad hoc, vt illud assignetur, vel non assignetur pro obiecto attributionis in aliqua arte. Cum enim illud sit assignandum pro obiecto attributionis, quod est finis artis, possunt dari præcepta de aliquo, quod non habeat rationem finis, vt de facto accidit in Medicina dante præcepta de purgando aëre, componendo pharmaco, quæ sunt pura media. E contra de eo, quod est finis nulla sæpe dantur præcepta, eo quod positis medijs, quæ immediatè per præcepta diriguntur, necessariò finis, & opus artis sequatur. Contra secundo, quia in pictura dantur præcepta de modo, quo bene imprimi debeant colores in tabula, vel pariete, & diuersa hæc subiecta peculiarem afferunt difficultatem non superabilem, nisi ab eo, qui nouit talia præcepta, & tamen in pictura, neque paries, neque tabula habent rationem obiecti attributionis, quia habent merè rationem medij; eò quod si haberentur colores benè dispositi sine tabula, & pariete,

nihil de his pictura curaret. Similiter Musica in liget peculiaribus præceptis, vt in hoc, vel illo loco latiori, vel angustiori bene temperetur vox; & tamen locus, in quo canitur non est obiectũ Musicæ.

4 Meliorem ergo, & vniuersalem pro hac re regulam assignabimus deductam ab intrinseca ratione obiecti attributionis & finis, si dicamus ab aliquibus artibus non intendi per se, nisi talem formã præscindendo a subiecto; ab alijs verò intendi formam prout in tali subiecto, idcòque in artibus, quæ intendunt per se formam prout receptam in tali subiecto physico melius assignari tale subiectum physicum pro obiecto materiali, & formam physicè aduenientem pro formali. In artibus vero, quæ intendunt formam præcisè prout talem, siue tandem sit in hoc, siue in illo subiecto, assignari congruentius pro obiecto materiali rationem communem talis formæ, & rectitudinem pro formali. Ratio huius est, quia sicuti in artibus secundi generis, si assignemus subiectum physicum, assignamus in obiecto attributionis, & fine aliquid, quod non habet rationem finis; ita in artibus primi generis non assignantes subiectum physicum, quod habet rationem finis, non assignamus integrum finem, sed solùm partem, quod fieri non debet, præsertim in artibus; in quibus vtpote non procedentibus per multas abstractiones, non est cur non assignemus subiectum physicum, quando hoc, cæteroqui habet rationem finis.

SECTIO SECVNDA.

Infertur Obiectum Materiale Logicæ.

1 EX dictis inferimus primò obiectum materiale attributionis in Logica non esse res omnes, circa quas versantur operationes intellectus, quia Logica non intendit per se perfectionem rerum, sed intellectus; neque enim curat, quod res sint, & denominentur bene cognitæ, sed quod intellectus sit bene cognoscens. Hinc quando in prædicamentis Logica rudius agit de rebus omnibus, hoc non facit intendens perfectionem rerum, sed intellectus. Quamuis autem res sint obiectum scientiarum, non tamen sunt obiectum Logicæ, quæ est instrumentum scientiarum; idem est finis Logicæ, & scientiarum, cum idem sit finis instrumenti, & principalis. Non verò idem est obiectũ Logicæ, & scientiarum, quia in scientijs, vt supra diximus, non est idem finis, & obiectum: sed obiectum est id, circa quod per se versantur cognitiones illæ, quas scientiæ habent pro fine. Neque obstat, quod veritas, quæ est finis Logicæ constituatur partialiter per res, cum quibus cognitio vera conformatur. Quia finis Logicæ est veritas, solùm secundum, quod veritas importat in recto, & ex parte intellectus. Sic statuaria vult similitudinem suæ statuæ cum Cæsare v. g. non secundum quod hæc similitudo dicit in obliquo, sed supposita existentia Cæsaris, de qua statuaria non curat, vult deinde in sua statua similitudinem, secundum quod similitudo dicit in recto, & ex parte ipsius statuæ. Dispar tamen est ratio in fine hominis supernaturali, hic enim non est sola visio Dei, sed etiam Deus visus, quia ipsa visio intenditur à Beatis propter Deum amatum; in ordine ad quem sua bona omnia Beatus dirigit.

2 Inferimus voces externas non esse obiectum attributionis in Logica, quia hæc non intendit illas perficere, & seclusis vocibus, habitàque sola perfectione intellectus per conceptus internos, Logica est contenta, cum non vtatur Logica vocibus externis, nisi per accidens, & in ordine ad voces, seu conceptus internos, quibus tantùm constant, per se loquendo, opera Logicæ.

3 Inferimus præterea neque Ens rationis Metaphysicum, neque Logicum esse obiectum attributionis in Logica; non Metaphysicum, quia pertinet ad Metaphysicam. Non Logicum, quia ens rationis Logicum acceptum materialiter sunt res, quas ab obiecto Logicæ iam reiecimus; acceptum verò formaliter est ipsa cognitio, non prout perficit intellectum, sed prout denominat res cognitas. Cognitio autem accepta sub hac consideratione non intenditur per se à Logica, quæ vt instrumentũ scientiarum vult cognitiones rectas, non quatenus hæ denominant obiectum rectè cognitum, sed quatenus perficiunt intellectum. Quod si Ens rationis Logicum constitui dixeris per relationem rationis, præterquam quod hoc est falsum, adhuc tamen, sicuti ad Logicam non per se pertinet Ens rationis metaphysicum, ita nec huiusmodi relationes rationis ad illam per se spectabunt.

4 Superest ergo, vt assignetur, vel intellectus humanus, seu Anima prout potens intelligere, si intellectus supponatur ab Anima indistinctus; vel ratio communis operationum intellectus. Sed ex dictis inferimus meliùs assignari intellectum humanum, prout perfectibilem per rectas operationes. Tunc enim, vt diximus, melius assignatur pro obiecto materiali alicuius artis subiectum physicum, quando à tali arte intenditur forma, prout in tali subiecto; sed ita se res habet in Logica, ergo, &c. Minor probatur, illud per se intenditur ab instrumento, vt instrumentum est, quod per se intenditur à principali; sed Logica est instrumentum habituum scientificorum, ergo illud per se intenditur à Logica, quod per se intenditur ab habitibus scientificis. Sed habitus scientifici per se intendunt cognitiones veras, non quomodocumque existentes in mundo, sed prout perficientes intellectum; ergo etiam Logica hoc modo illas intendit. Minor subsumpta eodem principio probatur. Illud enim per se intendunt habitus scientifici, quod per se

se intendit sciens, respectu cuius habitus sunt instrumentum; sciens autem intendit cognitiones veras, pro vt per illas ipse sciens perficitur, & fit possessor veritatis. Hinc ex Aristotele initio Met. Homines scire desiderant. Scire autem non est dari quomodocumque scientiam, sed habere, & possidere scientiam, & per illam perfici. Confirmatur quia Philosophia moralis intendit operationes honestas prout perficientes, & felicitantes hominem, homo bene assignatur pro illius obiecto ex S. Thoma initio Ethicorum, ergo, &c.

5 Non tamen eodem modo assignamus totum hominem pro obiecto materiali Logicæ, sicuti assignatur in Philosophia morali, quia hæc intendit formaliter perficere totum hominem, per omnes eius operationes honestas, tàm internas, quàm externas: At in Logica sicuti, assignantes intellectum, assignamus totum id, quod Logica per se intendit formaliter perficere: ità non bene assignaremus totum hominem, quia assignaremus plusquàm id, quod per se Logica intendit formaliter perficere: Neque dicas à Logica intendi perfectionem intellectus; prout in homine, seu prout intellectus inexistit in homine tanquam illius pars. Disparitas enim est, quia inexistentia intellectus in homine non est opus Logicæ, sicut operatio recta prout existens in intellectu est opus factum per Logicam, cum dependenter à præceptis inducatur in intellectum hæc operatio recta loco operationis prauæ. Quare cum obiectum, & finis proximus artis debeat esse opus ipsius artis, non debet assignari pro obiecto Logicæ totus homo, sed solus intellectus perfectus, qui est opus proximum factum, & intentum per se à Logica. In hoc autem opere facto per Logicam distinguimus deinde operationem rectam, quæ est forma artis, & intellectum, in quem tanquam in subiectum per se proximè intentum, inducitur à Logica talis forma.

6 Dices sequi ex dictis, quod obiectum omnium artium sit intellectus, cum hic per omnes artes perficiatur. Sed contra est, quia aliæ artes non perficiunt intellectum, nisi formaliter per se ipsas, hoc est per sua præcepta, & per suos habitus; at Logica non solùm hoc modo perficit intellectum; sed illum præterea perficit per opus factum dependenter à talibus præceptis, ideòque intellectus à talibus præceptis Logicæ per se perfectus, est eorum obiectum.

7 Dices iterum in omnibus artibus assignandum esse pro obiecto hominem, cum omnes artes sint per se institutæ propter vtilitatem hominis, tanquam propter finem. Sed contra, quia obiectum in artibus non est finis *cuius gratia*, qualis est homo respectu omnium artium, sed finis *qui*, hoc est opus illud, quod per se intendit ars efficere; finis autem, *qui* in Logica est intellectus per rectas operationes perfectus, qui deinde ad hominem, tanquam ad finem, *cuius gratia* ordinatur. In Philosophia verò morali homo per honestas operationes perfectus, est finis *qui*, & idem homo est finis *cuius gratia*, quia à Philosophia morali perficitur in vtilitatem ipsius hominis.

SECTIO TERTIA

Quodnam sit obiectum formale attributionis in Logica.

1 CVM intellectus sit obiectum materiale, recta intellectus operatio, vtpote forma, quæ in intellectum per Logicam inducitur, erit obiectum formale Logicæ, sed difficultas est, vtrum tàm prima, quàm secunda, & tertia operatio recta, & in quacumque materia participent rationem obiecti attributionis, & finis, an verò aliqua ex illis intendatur à Logica merè tanquam medium in ordine ad rectitudinem aliarum. Verùm eodem vtentes principio, dicimus illam operationem rectam intendi per se à Logica, quæ per se intenditur à scientijs, cuius Logica est instrumentum. Pro quare decernendum prius est, quarum scientiarum per se loquendo Logica sit instrumentum.

2 Primò ergo non videtur posse dici, Logicam esse instrumentum scientiarum in strictissima solùm acceptione; quia cognitiones demonstratiuæ, strictèque scientificæ, sunt paucissime, nec indigentes multa Logica: Cognitiones autem, vel non adeò euidenter certæ, vel solùm probabiles, & non solùm speculatiuæ, sed etiam practicæ sunt plurimæ, & multæ ex illis valde expetibiles, adeò vt ex Aristotele veritates probabiles de rebus diuinis sint expetibiliores multis veritatibus euidentibus de rebus humanis; & ad istas, vtpote maiori periculo errandi expositas, opus maximè est Logica; ergo non debemus dicere Logicam fuisse per se institutam, solùm propter modicam vtilitatem paucissimarum cognitionum strictè scientificarum, sed etiam propter vtilitatem, & necessitatem longè maiorem scientiarum in latiori acceptione.

3 Ex hoc autem fit, quod, cum non sit maior ratio, cur dicatur Logica fuisse per se instituta, vt esset instrumentum huius potius scientiæ, quàm illius; meritò dici possit, eam esse instrumentum per se omnium scientiarum, & omnium habituum, quibus competit ratio scientiæ. Accedit communis locutio, & sensus omnium Philosophorum absolutè appellantium Logicam instrumentum scientiarum, & existimantium, Logicam per se deseruire non modò scientijs speculatiuis, sed etiam practicis.

4 Porrò nomen, & ratio scientiæ competit, non modò habitibus discursiuis speculatiuis, sed etiã practicis Aristotel. enim 1. Met. tex. 1. Omnes artes vocat scientias. Imò ratio scientiæ competit

etiam habitui intellectus, seù primorum principiorum. Aristot. enim 1. post cap. 3. illum appellat *scientiam immediatorum indemonstrabilem*, ergo tàm secunda, quàm tertia operatio recta, tàm practica, quàm speculatiua intenditur per se à scientijs, & per consequens etiam à Logica, à qua pariter intendentur non solùm in materia strictè scientifica, sed etiam probabili; cum vt vidimus, propter veritates probabiles debuerit peculiari iure institui Logica. Quod si veritates probabiles re ipsa aliquando sunt falsitates, adhuc tamen hæ per se expeti possunt à Logica, sicuti expetuntur per se à scientijs. Quia cum in hac vita non nisi paucissima posimus euidenter scire, melius fuit per se expetere aliquid, quod aliquando potest afferre aliquam falsitatem, quàm manere in perpetua ignorantia. Præterea in scientijs prout nunc exercentur, & traduntur ab Aristotele, sunt plurimæ veritates solùm probabiles, ergo hæ aliquo modo intendentur ab ipsis scientijs, sed non vt medium, & in ordine ad veritates demonstratiuas, quia ex probabili, ne partialiter quidem potest sequi euidens, ergo intenduntur per se, ergo si earum bonitas, licet exposita falsitati intenditur per se à scientijs, etiam per se à Logica.

5 Dices si Logica esset instrumentum Prudentiæ, & Artium haberet pro fine finem prudentiæ, & artium, cum idem sit finis instrumenti, & principalis; hoc autem est falsum, cum finis Logicæ sit sola veritas, non opus artis. Sed contra est, quia Logica est instrumentum prudentiæ, & artium in ordine solùm ad actus elicitos intentionales prudentiæ, & artium; non verò in ordine etiam ad actus externos, & directos Sicut autem finis habituum intentionalium, vt intentionales sunt, est veritas, ita eadem veritas est finis Logicæ, quæ est illorum instrumentum, in ordine ad eliciendam veritatem practicam; non verò in ordine ad opus directum per præcepta.

6 Adde à Logica expeti per se secundam, & tertiam operationem rectam etiam in materia sophistica. Materia enim sophistica est materia apta ad decipiendum intellectum, vel ergo circa talem materiam intellectus decipitur, & errat, vel non; si errat, talis error vtpote operatio praua nullo modo, neque per accidens, intendetur à Logica. Quod si intellectus circa materiam sophisticam bene operatur, talis operatio recta, erit per se intenta à Logica intendente per se omnem rectitudinem, & veritatem secundæ, & tertiæ operationis, vel euidentem, vel probabilem. Quod verò materia, circa quam versatur talis operatio recta sit materia disposita ad decipiendum, non facit, quod Logica dum detegit fallacias, & bene operatur non assequatur, & quidem maiori cum laude finem suum; sicuti, quod Medicina versetur circa morbum malignum, & occultum, non facit quominus per illius sanitatem non assequatur, & maiori cum laude suum finem. Tam ergo secunda, quàm tertia operatio recta, tam practica, qum speculatiua, tam in materia scientifica, quàm probabili, & sophistica, cum per se intendatur à scientijs, per se etiam intendetur à Logica.

7 Non tamen propterea asserimus omnem secundam operationem rectam participare rationem obiecti formalis attributionis, quia non omnis secunda operatio est dirigibilis per Logicam, cum aliquæ de obiecto per se noto ita sint rectæ, vt non potuerint esse prauæ. Solùm ergo illæ sunt pars obiecti formalis Logicæ, quæ per Logicam possunt dirigi. Neque verò bonum, quod habetur ex bona definitione, vel diuisione per iudicium applicata definito, vel diuiso est bonum ita modicum, vt non debeat à Logica per se intendi. Nam primò non est modicum bonum intellectus scire per definitiones naturas rerum, & per diuisionem quot, ac quibus aliquid conueniat. Secundò etiamsi hoc esset modicum bonum, adhuc posset secunda operatio recta esse obiectum partiale, sicuti respectu Medicinæ est obiectum partiale sanitas alicuius minimæ partis corporis.

8 Dices veritatem non possideri perfectè, nisi per tertiam operationem; ideòque hanc solum debere esse obiectum formale Logicæ. Sed contra primò, quia Deus cognoscens perfectissimè omnem veritatem, non cogoscit illam per discursum. Contrà secundò, quia etiam id quod minorem continet bonitatem, potest per se intendi: sic sanitas partium non vitalium continens minorem expetibilitatem, quam sanitas partium vitalium, adhuc per se intenditur à Medicina, & sicuti finis partialis Medicinæ est sanitas alicuius partis ignobilioris corporis, licet vltimò non sistat, nisi habita sanitate totius corporis, ita quamuis Logica non sisteret vltimo, nisi habita perfectione tertiæ operationis, adhuc tamen posset partialiter sistere in secunda. Tanquam in parte sui finis totalis.

9 Primaoperatio intellectus nullo modo participat rationē obiecti formalis attributionis in Logica, quia eius rectitudo non participat rationem finis respectu Logicæ, cum neque partialiter intendaturper se ab vlla scientia, etiam latè dicta; & sanè sicuti ostendentes finem acquisitum per scientias, ostendimus ad minimum propositiones, ita ridiculus censeretur, qui loco finis etiam partialis scientiarum, diceret se acquisiuisse bene ordinatas apprehensiones. Prima ergo operatio recta habet rationem puri medij, cum è contra secunda, licet ordinetur ad tertiam, adhuc tamen præscindendo ab hoc ordine sit per se expetibilis.

10 Pariter nullo modo sunt obiectum formale attributionis in Logica operationes rectæ prout directiuæ aliarum per modum ideæ. Hæ enim prout ideæ non intenduntur, nisi tanquam medium. Neque dicas Logicam esse artem conficientem instrumenta, sicuti est frænifactoria respectu equestris, hocenim est falsum. Nam Logica non est ars conficiens instrumenta, sed ipsa est instrumentum scientiarum, de ratione autem instrumenti est concurrere simul cum principali ad opus, & habere pro fine idem opus, quod per se intenditur à principali. Quod si Logica conficit aliqua instrumenta, & ideas

& ideas syllogismorum; has prout ideæ sunt, non intendit per se. *Dixi prout ideæ sunt*, quia quatenus etiam hi syllogismi ideales continent aliquam veritatem, intenduntur per se à Logica, sicuti intenduntur per se à scientia illa, ad quam pertinet obiectum illud, quod est materia talium sillogismorum.

11 Ex hucusque dictis infertur adæquatum, & integrum obiectum attributionis in Logica constans ex materiali, & formali, esse intellectum humanum, vt dirigibilem, seu perfectibilem per secundam, & tertiam operationem rectam tam practicam, quàm speculatiuam, tam in materia necessaria, quàm probabili, & sophistica. *Dixi, vt dirigibilem, seu perfectibilem*, vt ostendatur capacitas in obiecto materiali ad recipiendum formale dependenter à Logica.

CAPVT QVARTVM.

Vtrum Logica sit Virtus Intellectualis.

SECTIO PRIMA.

Quid requiratur ad rationem virtutis intellectualis.

1 Virtus definitur ab Aristotel. 2. Ethic. cap. 6. *Habbitus ex quo, & bonus bomo ipse efficietur, & bene opus suum reddet*. Ex quo formata est communis definitio virtutis, qua dicitur, virtus esse quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum. Ideòque quando præterea dicitur opus virtutis debere esse optimum, intelligendum est de optimo non simpliciter, sed secundum quid; cum verò in habitibus practicis duplex sit inuenire opus, aliud immediatè elicitum ab habitu; aliud verò directum ab actu, quem habitus immediatè elicuit. Dubitatur vtrum ad rationem virtutis sit satis, quod solum opus immediatè elicitum sit bonum. Sed respondendum est affirmatiuè, primò quia opus directum non est opus habitus, sed est opus operis. Secundò, quia allata virtutis definitio est communis cuicumque habitui, etiam speculatiuo, cui conuenit ratio virtutis per hoc præcisè, quod opus ad quod immediatè disponit sit bonũ intellectus. Tertiò quia habitus scientię speculatiuæ est virtus, & tamen ex speculatione sequi potest malum aliquod speculanti, ex eo quod eius valetudini noceat. Similiter ars pingendi eò est perfectior virtus intellectualis, quò dependenter ab eius veris præceptis sit pictura magis decipiens oculos, & intellectum.

2 Ratio autem à priori cur ad rationem virtutis intellectualis non requiratur bonitas actuum directorum est, quia si habitus immediatè disponit ad vera pręcepta, disponit absolutè, & simpliciter ad tale bonum intellectus, quod non habet necessariam connexionem cum vllo malo, quod dependenter à talibus præceptis fieri potest; ergo si deindè aliquod malum dependenter ab illis fit, tota malitia refundenda est in voluntatem liberè vtentem talibus pręceptis ad malum. Hinc meritò à Sancto Augustino definitur virtus *bona qualitas mentis, qua nemo malè vtitur*, nemo enim vti potest virtute ad opus immediatè elicitum ab ipsa virtute, quod sit malum.

3 Dices præceptum de aliquo opere malo, prout præceptum est habere de se tendentiam ad malum, ideòque, & tale præceptum, & habitum, qui ad illum disponit, esse malum. Sed respondeo præceptum non habere in malum tendentiam efficacem, hoc est necessario tractiuam operis mali, sicuti de se habet necessario afferre veritatem. Ideòque cum absolutè, & simpliciter afferat bonum, & nullum malũ, non est cur habitus ad tale bonũ disponens non sit virtus. Quod si a legibus prohibemur addiscere aliquas artes, quamuis veras, hoc non fit ex eo, quod nõ sint virtutes intellectuales, sed ne ratione humanę malitiæ à scientia fiat trãsitus ad opus noxiũ, quod ex veris præceptis fieri potest.

4 Dices iterum, sequeretur, quod si esset possibilis habitus docens ipsum intellectum errare, & quamlibet rem male facere, talis habitus esset virtus intellectualis. Respondeo, si talis habitus daret de hoc vera præcepta, immediatè, & absolutè disponeret ad bonum, & totum malum refundendum esset in liberam voluntatem vtentis tali habitu, ideoque non est cur non esset virtus intellectualis. Neque instes non posse habitum oppositum prudentiæ, & arti, esse virtutem. Nam vitium oppositum prudentiæ & arti, non esset huiusmodi habitus ex consultatione, rectoque iudicio eliciens vera præcepta, sed habitus, qui ex inconsideratione, & ignorantia inclinaret ad operationes malas.

SECTIO SECVNDA.

Infertur quinam habitus sint virtus, & secundum quas sui partes Logica sit virtus.

1 Qvinque habitus enumerati ab Arist. quibus anima semper verum dicit, habitus scilicet intellectus Scientiæ, Sapientiæ, Prudentiæ, & artis sunt virtutes intellectuales, cum semper disponant

sponant ad opus immediatè elicitum verum, ideòque bonum intellectui. Dubitari solùm potest de prudentia, & arte, quæ non semper videntur disponere ad vera præcepta, si enim Petrus, v. g. verè diues appareat inuincibiliter pauper, Prudentia dictabit Petro esse subueniendum, hoc autem dictamen erit falsum, simpliciter si hæc materia appareat inunicibiliter bona ad ædificandum, ars dictabit hanc esse adhibendam, nec nisi per præceptum re ipsa falsum. Adhuc tamen dicendum est Prudentiam, & artem semper disponere ad verum saltem practicè, nam hoc quod est, Petro esse subueniendum, duo dicit, & quod Petrus mereatur subuentionem, & quod ego debeam hic, & nunc Petro subuenire. Primum est falsum, secundum verum, teneor enim subuenire Petro inuincibiliter apparenti vt pauper, ad hoc, vt honeste operer, sicuti pariter teneor adhibere pro ædificio materiam apparentem inuincibiliter bonam, vt obtineam finem artis, qui non est nisi finis humano modo acquisibilis.

2 Quamuis ergo dictamen de subuentione Petri, non conformetur speculatiuè cum meritis Petri, quia tamen conformatur cum debito, quod ego habeo in ordine ad taliter operandum, ideò dictamen de subueniendo falso pauperi, sed qui inuincibiliter apparet vt pauper; est dictamen simpliciter verum, & bonum, & tota malitia, & falsitas speculatiua refundenda est in iudicium speculatiuum falsum de paupertate Petri, sicuti tota malitia motus distorti refunditur, non in potentiam motiuā, sed in defectum tibiæ.

3 Neque verò in omnibus scientijs eadē requirenda est certitudo, sicut enim inter ipsas scientias speculatiuas Mathematica, & Metaphysica maiorem requirunt certitudinem, & euidentiam, quam Physica, ita comparando virtutes intellectuales speculatiuas cum practicis, sicuti ad virtutes speculatiuas requiritur veritas speculatiua, ita ad practicas satis est veritas practica modo explicato. Habitus Opinionis ex Aristotel. 6. Ethic. cap. 3. meritò reijcitur à ratione virtutis, quia opus immediatè elicitum ab Opinione potest esse falsum, & malum. Sed dices: scientiæ, prout nunc exercentur multas habent veritates non nisi probabiles, ergo non sunt virtutes intellectuales. Respondeo scientias prout nunc exercentur esse aggregatum ex habitibus, quorum aliqui inclinant ad veritates scientificas, alij ad veritates merè probabiles, nullum autem est absurdum, quod secundum aliquas sui partes non sint virtutes; dicuntur tamen simpliciter virtutes, sumpta denominatione a potiori, & nobiliori.

4 Logica est virtus, tam secundum partem analyticam, vt patet, quam secundam partem topicam, quia immediatè disponit ad vera præcepta infallibiliter obtinentia suum finem, hoc est veritatem probabilem. Idem dicendum de Logica secundum partem sophisticam, siue per sophisticam intelligamus artem soluendi, siue contexendi syllogismos fallaces semper enim eius præcepta obtinent finem soluendi, vel contexendi sylloggismos de se aptos ad decipiendum. Patet autem disparitas inter Logicam Topicam, & habitum opinionis; hic enim cum immediatè disponat ad actus probabiles, qui sæpe sunt falsi, non est virtus. Logica, verò Topica, cum immediatè disponat ad præcepta semper vera erit virtus.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Vniuersali in communi.

Ad Vniuersalis notititiam præmittenda est explicatio vnitatis, & distinctionis rerum, præcisionis, &c. Quare sit.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & Quotuplex sit Vnitas.

1 Vnitas definitur, seu describitur negatio diuisionis in se, & diuisio à quolibet alio, nomine diuisionis apud aliquos venit separatio, itaut illud sit vnum, quod vel nullas habet partes, vel si habet partes, hæ non sint per separationem resolutę, sed vnitæ aliqua vnione, per quam sint vnum in aliqua ratione. Sed hęc explicatio, vnitatem, & vnum conuertibile cum vnitate, confundit cum vnito, ideòque destruit definitionem, & conceptum vnitatis. Nam de vnitate dicitur, quod sit negatio diuisionis in se, ideòque negatio diuisionis in ipsa vnitate, non verò negatio diuisionis in aliquo, quod non est vnitas. Iuxta positam verò explicationem, vnitas esset negatio diuisionis, seu separationis in partibus constituentibus vnitatem, partes autem etiam non separatæ, licet sint constitutiuę vnitatis; non tamen sunt de se vnitas, nisi quate-

quatenus accipiuntur, vt quid simplex; si enim prescindimus ab hac Metaphysica acceptione, partes etiam non separatę non sunt vnitas, sed pluralitas rerum vnitarum. Cum ergò vnitas sit negatio diuisionis in se, hoc est in ipsa vnitate, non verò in partibus, quę non sunt vnitas, si de vnitate dicatur esse negatio diuisionis in partibus, erit definitio, & conceptus non vnius, neque vnitatis, sed vniti. Vnitum enim est id, quod non est in suis partibus diuisum, seù quod per diuisionem non est resolutum in partes constitutiuas vniti in ea ratione, in qua est vnitum.

2 Pręterea nomine diuisionis non potest venire distinctio, licet enim quidquid est vnum sit indistictum in se, & distinctum à quolibet alio, tamen si explicaretur vnitas per negationem distinctionis, explicaretur per aliquod obscurius, indigens pluribus reflexionibus, nam vnum esse distinctum ab alio est, quod vnum non sit aliud, ergo si vnum est quod est indistinctum in se ipso, vnum erit, quod non est non ipsum.

3 Superest ergo vt nomine diuisionis veniat pluralitas, quamuis enim non omnia, quæ sunt plura, sint in omni rigore diuisa. Omnia tamen, quæ sunt plura, habent peculiare aliquod fundamentum ratione suę pluralitatis, vt ab intellectu diuidi possint, quod peculiare fundamentum non habeat ea, quę realiter non sunt plura. Porrò pluralitas, quam negat vnitas, non est pluralitas quomodocumque existens in rerum natura, sed pluralitas identificata cum eo, quod est vnum, ideòq; in definitione vnitatis adduntur illę particulæ *in se*. Ideò ergo Petrus est vnus homo, quia non habet secum identificatam pluralitatem hominum, neque potest diuidi in plures tales, qualis est ipse Petrus hoc est, in plures Petros, licet possit diuidi in Animam, & corpus, vel in alias partes. Et vniuersaliter quidquid in aliqua ratione est vnum, non habet secum identificatam pluralitatem in ea ratione, in qua est vnum, neque diuidi potest in plura eiusdem rationis.

4 Ex quo patet negationem, quam importat quęlibet vnitas esse negationem alicuius impossibilis, ideòque etiamsi admitterentur negationes rerum contingentium, cum tamen ex peculiari capite negationes necessarię reijciantur, ex peculiari capite, negatio, quam dicit vnitas, non est negatio formalis, sed fundamentalis, adeòque erit entitas rei, quæ est vna, prout dat fundamentum intellectui ad dicendum, quod non sit pluralitas. Et sanè sicuti ipsa formalis negatio superaddita, si daretur, deberet esse vna, & non per aliam negationem, ne daretur processus in infinitum, ita non est cur entitas positiua non sit vna sine formali negatione superaddita Adduntur in definitione vnitatis verba illa *diuisis à quolibet alio* ad maiorem explicationem vnitatis comparando illam cum alijs, & per hæc verba significatur, quod vnitas à quocumque alio habeat, vt simul cum illo faciat pluralitatem.

5 Hæc vnitatis definitio non est rigorosa, quia non est per terminos clariores, pluralitas enim per cuius negationem explicatur vnitas, non est quid notius vnitate, melior tamen definitio afferri non potuit, quia conceptus vnitatis, & pluralitatis sunt primi. Propter hanc etiam rationem non committitur circulus, dum explicatur vnitas per negationem pluralitatis, & pluralitas per negationem vnitatis, quia licet explicentur per aliquid ęquè notum, non tamen simpliciter damnari debent huiusmodi explicationes; quando meliores dari non possunt, ex eo quod deuenire tandem debeamus ad aliquos primos conceptus vlterius explicabiles, & sanè hoc idem debet ab omnibus dici etiamsi nomine diuisionis intelligatur separatio, neque enim separatio videtur esse quid notius vnitate, pręsertim si nomine separationis veniat exclusiuum vnionis, vnio enim est plurium vnio, ideòque conceptus vnionis, vel minus, vel saltem ęquè clarus est, ac conceptus pluralitatis.

6 Vnitas, sicuti non importat aliquid formaliter negatiuum superadditum, ita neque importat aliquid positiuum superadditum rei, quę dicitur vna, tum quia vnum est prędicatum conuertibile cum ente, tum etiam quia si habetur per aliquid positiuum superadditum, hoc vel esset vnum, vel multiplex. Si vnum, vel per aliud superadditum, & sic procederetur in infinitum, vel per se ipsum, & nulla est ratio, cur omne aliud, quod est vnum, non possit per se ipsum esse tale, quod si hoc superadditum est multiplex, constabit proculdubio vnitatibus, de quibus redibit eadem quęstio.

7 Inter plura indiuidua alicuius naturæ nulla datur vera vnitas simpliciter, quia tam nihil Petri est in Paulo, quam nihil Petri est in equo, & tam pereunte equo, quàm pereunte Paulo nihil perit in Petro. Quia tamen datur inter Petrum, & Paulum maior conuenientia, quàm inter Petrum, & equum; ideò non est, cur hæc maior conuenientia congruenter ad modum loquendi Aristotelis, & Philosophorum non vocetur vnitas specifica. Similiter maior conuenientia, quæ est inter hominem, & equum, quam inter hominem, & lapidem, appellari potest vnitas generica, sed fundamentaliter sicuti & illa alia specifica solùm fundamentaliter Porrò hæ conuenientiæ appellari possunt vnitates, tum quia hæ vnitates recensentur ab Aristotele, vbi tradit definitionem vnitatis, tum quia ex eodem Aristotele similia sunt, quorum qualitas vna, tum etiam quia apud Philosophos relationes fundatæ in conuenientia, dicuntur fundari in vnitate & nulla cæteroqui ratio est cur plures milites dici possint vnus exercitus, & plures homines, non possint dici vnum formaliter, seu vnum in essentia.

8 Ex dictis infertur simpliciter loquendo rationem vnitatis, & vnius consistere in indiuisibili; sicuti enim Deus est vnus, quia omnem Deorum pluralitatem excludit, ita vnus exercitus est vnus, quia omnem exercituum pluralitatem excludit, ita vt si vel in vnicam exercitus pluralitatem diui-

di pos-

di posset, non esset vnus exercitus, sed multiplex. In alio tamen sensu minus proprio Deus dici potest magis vnus, quia omnes partes excludit, quas non excludit exercitus.

CAPVT SECVNDVM.

Quid, & quotuplex sit rerum distinctio.

1 Illa inter se distinguuntur, quorum vnum non est aliud, seu quæ sunt talia, vt ratione suæ entitatis dent fundamentum intellectui ad dicendum, quod vnum non sit aliud. Quare distinctio vnius ab alio non est quidquam positiuum, vel negatiuum superadditum rei, quæ distinguitur, vt facile colligitur ex dictis capite superiori, adeoque verissimum est: quod idem sit constitutiuum rei, ac distinctiuum eiusdem ab omni alio. Distinctio alia est realis, alia rationis, & hæc alia rationis ratiocinatæ, alia rationis ratiocinantis. Distinctio realis, alia est realis simpliciter intercedens inter rem, & rem alia realis modalis intercedens inter rem, & modũ. Rursus alia est adæquata, quæ etiam dicitur contradistinctio, & intercedit inter duo, quorum vnum non includit aliud, alia est inadæquata, quæ intercedit inter includens, & inclusum, inter partes, & totum.

2 Inter distinctionem realem, & rationis nullam agnoscimus distinctionem intermediam ex natura rei, quia nulla est necessitas illam admittendi, neque est explicabile quid sit. Illa enim distinguntur, quorum vnum non est aliud, si ergo animalitas, & rationalitas distinguuntur tanquam vnum ab alio, seù tanquam ens ab ente distinguuntur realiter; si verò distinguntur tanquam vna formalitas obiectiua ab alia formalitate obiectiua, explicandum est, quid sit formalitas obiectiua talis videlicet, quæ neque sit entitas, neque nihil, sed quid medium inter ens, & nichil. Licet enim Personalitates Diuinæ neque sint nihil, neque sint perfectio simpliciter simplex, melior scilicet ipsa, quam non ipsa, sed sint perfectio simplex, & quid medium inter perfectionem simpliciter simplicem & nihil; in creatis tamen, sicuti non est inuehendum Mysterium Trinitatis, ita non est inuehendũ quid medium inter nihil, & ens importans perfectionem simpliciter simplicem, ideòque nulla pariter est inuehenda distinctio media inter realem, & rationis.

3 Dices illa distingui ex natura rei, quæ habent diuersas definitiones, & conceptibilitates. Sed contra, vel enim loqueris de conceptibilitate, & definitione obiectiua, vel de merè formali, & per intellectum. Si de merè formali nullam aliam distinctionem probas, nisi merè formalem, per intellectum scilicet potentem diuersimodè concipere, & definire eandem rem simplicem, sed æquiualentem pluribus distinctis. Quod si loqueris de diuersa conceptibilitate, & definitione obiectiua, hæc vel habebitur ab entibus realiter distinctis, vel ab eadem entitate simplici, sed æquiualente pluribus, ideòque dante fundamentum intellectui, vt nunc vno, nunc alio conceptu concipiatur, & definiatur. Hinc gradus, qui dicuntur Metaphysici cum non distinguantur realiter, non distinguuntur, nisi distinctione rationis ratiocinatæ.

4 Præterea, stando in creatis, nulla datur distinctio virtualis intrinseca, ratione cuius de aliquo obiecto realiter simplici verificari possint duo contradictoria realia vel intentionalia. Esto enim propter Mysterium Trinitatis admittatur inter essentiam Diuinam, & personalitates, distinctio virtualis intrinseca, hanc tamen increatis dicendum est repugnare, sicuti repugnat Mysterium Trinitatis, aliter nihil per humanũ discursum probari posset per reductionem ad contradictoria, statim enim pateret effugium dicendi ratione distinctionis virtualis intrinsecæ verificari posse de eodem realiter duo contradictoria.

5 Implicat etiam in creatis distinctio virtualis intrinseca in ordine ad contradictoria intentionalia, primò quia vnum contradictorium intentionale æquè, ac reale tollit quidquid ponitur ab alio ideòque si cognitio est cognoscens obiectum aliquod realiter simplex, non poterit esse nõ cognoscens illud. Secundò ex distinctione virtuali intrinseca sequuntur etiam contradictoria intrinseca. Nam si animalitas distingueretur virtualiter intrinsecè à rationalitate, animalitas esset idem realiter cum animalitate per omnimodam identitatem cum illa excludentem omnem distinctionem, etiam virtualem, sed rationalitas non esset omninò idem cum animalitate; quia ab illa distingueretur virtualiter. Ergo de animalitate, & rationalitate, quæ sunt idem realiter verificaretur, quod essent, & non essent omninò idem cum animalitate, quæ sunt prædicata contradictoria intrinseca. Tertiò ex distinctione virtuali sequuntur alia contradictoria intrinseca, quod nimirum eadem cognitio sit imago, & non imago eiusdem; conformis, & non conformis eidem, quod idem intellectus sit cognoscens, & non cognoscens idem obiectum, &c. Quod implicare dicendum est non aliter, ac implicat, quod idẽ sit producens, & non producens, efficiens, & non efficiens respectu eiusdem. Demum est inexplicabile, quid sit ista distinctio virtualis; si enim dicas animalitatem distingui à rationalitate virtualiter, quia in ordine ad intellectum perindè se habent, ac si essent duo distincta. Contra est, quia intellectus non immutat essentias rerum. Ergo si in illis non datur vnum, & aliud, sed vnum quid simplex, implicat quod intellectus possit conoscere tale obie-

obiectum, & in illo cognoscere vnum; & non aliud, si non datur vnum, & aliud.

6 Dices magis sunt idem posse ferire, & posse vulnerare in gladio, quàm posse sentire, & posse discurrere in homine, ergo si posse ferire, & posse vulnerare in gladio sunt idem realiter, & virtualiter posse sentire; & posse discurrere in homine erunt idem realiter, sed non virtualiter. Respondeo posse ferire, & posse vulnerare esse idem realiter, & formaliter, hoc est idem, & eodem modo cognitum, cum tota diuersitas sit solum penes nomina, è contra posse sentire, & posse discurrere in homine sunt idem realiter, non tamen formaliter, quia idem diuerso modo cognoscitur.

7 Dices iterum: si datur in Diuinis distinctio virtualis, cur non etiam datur in creatis? Sed contra, quia eodem modo dicam, si datur Mysterium Trinitatis in Diuinis, cur negatur in creatis? Præterea hęc paritas nimis probat, probaret enim, quod sicuti datur in Diuinis distinctio virtualis in ordine ad produci, & non produci, communicari, & non communicari, ita etiam deberet dari in creatis distinctio virtualis non solum in ordine ad prędicata opposita intentionalia, sed etiam realia.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum detur Præcisio Obiectiua.

1 IMplicat in creatis præcisio obiectiua, per quam ex duobus prędicatis realiter identificatis vnum ex parte obiecti cognoscatur, & aliud non cognoscatur. Implicat enim idem obiectiuè cognosci, & non cognosci, vt capite superiori probauimus. Dantur ergo solùm in huiusmodi prędicatis pręcisiones formales, per cognitiones magis, vel minus claras de toto obiecto, ita vt quęlibet cognitio de obiecto simplici non possit non cognoscere realiter, & obiectiuè totum obiectum, licet vna cognitio attingat illud clariùs, alia obscuriùs.

2 Vt verò explicemus quid sit realiter, & obiectiuè cognoscere totum obiectum simplex, non verò illud cognoscere totum formaliter, seu non totali claritate: Aduerte cuicumque cognitioni conuenire hoc, quod est esse determinatiuum formale viuentis cognoscitiui ad operandum, duplex autem distinguendum est genus operationum, ad quas cognitio potest determinare, quarum aliquas appellamus reales, alias intentionales. Nomine operationum intentionalium appellamus affirmationes, & negationes, ad quas determinare possunt simplices operationes, alias verò operationes; v. g. contractum, productionem, &c. appellamus operationes reales ad distinctionem priorum intentionalium. Cognoscere ergo realiter & obiectiuè totum obiectum simplex est habere cognitionem de tali obiecto, quæ non sit determinatiuum ad exercendam vllam operationem realem, nisi circa totum obiectum. Hinc, quia quacumque cognitione cognoscatur obiectum simplex; ita semper cognoscitur, vt ex vi talis cognitionis non possit cognoscens determinari ad exercendum vllam operationem realem, nisi circa totum obiectum, ideò quacumque cognitione cognoscatur obiectum simplex, semper obiectiuè, & realiter cognoscitur totum.

3 E contra obiectum simplex potest diuersimodè cognosci formaliter, ita vt ex vi talis cognitionis, cognoscens determinari posit ad has operationes intentionales circa tale obiectum, ex vi autem alterius cognitionis determinari posit ad alias operationes intentionales. Tunc ergo idem obiectum clarius cognoscitur, quando ex vi talis cognitionis potest intellectus determinari ad nouas, & plures affirmationes de tali obiecto, & ad nouas, & plures negationes, per quas tale obiectum à pluribus distinguatur, quare cognoscere entitatem simplicem hominis, prout animal, est illam tanta, & non maiore claritate cognoscere, vt ex vi talis cognitionis determinari posit intellectus ad dicendum quod sit principium sensationis, ad distinguendum illam à lapidibus, plantis, &c. Cognoscere verò illam eandem entitatem, vt animal rationale, est illam cognoscere cognitione clariore, cognitione scilicet potente determinare intellectum ad plures affirmationes de tali obiecto, ad dicendum videlicet, quod sit principium sensationis, & principium discursus, & ad faciendas pariter de tali obiecto plures negationes, per quas à pluribus distinguatur, dicendo, quod obiectum cognitum non sit lapis, non sit planta, & non sit equus. Quia verò adhuc claritas huius cognitionis non est omnimoda, sed est permixta cum aliqua obscuritate, ideò non possum dicere vtrum sit principium talium accidentium indiuidualium, vtrum sit Petrus, Paulus, &c. Cum verò possimus semper habere aliam, & aliam cognitionem, quę ad plures, & plures operationes intentionales de aliquo obiecto posit nos determinare, ideò nulla nostra cognitio de vllo obiecto ita est clara, vt non posit dari alia clarior.

4 Ex hoc autem habetur diuersitas prędicatorum, eadem enim entitas cognita per cognitionē tantę claritatis, vt solùm posit determinare intellectum ad dicendum de illa, quod sit principium sensationis constituit prędicatum, & formalitatem animalis, eadem entitas cum diuersa cognitione erit prędicatum, & formalitas rationalis. Dices primò dum cognosco animal nullam possum reddere rationem de rationali, ergo rationale nullo modo à me cognoscitur. Respondeo cognoscere rationale, ita vt posit de rationali reddi ratio, dicendo quod sit principium

 discur-

discursus, est cognoscere rationale formaliter; quare per conceptum animalis, quia non cognosco rationale nisi obiectiuè, ideò, vt ita dicam non possum reddere rationem de rationali, nisi obiectiuam, per hoc scilicet quod ad nullam operationem realem determinare possit cognitio de animali, quę operatio realis non terminetur tam ad animal, quam ad rationale; neque enim potest tangi, produci, &c. vnum, quin tangatur, & producatur aliud. Hoc idem verificatur etiam circa rationale non existens, sed merè possibile, semper enim cognitio de rationali quantum est de se non potest determinare ad operationem realem circa rationale, & non circa animal, si rationale ponatur existens, & sit capax terminare operationes reales.

5 Dices secundò, si non daretur præcisio obiectiua, quando cognosco ens, cognoscerem omnia entia, omnia secreta cordium, &c. quod videtur absurdum. Respondeo nullum esse absurdum quod solum obiectiuè, ac materialiter cognoscam omnia entia: cognitio enim de ente non est potius de se determinatiuum ad operandum realiter circa hoc ens, quam circa aliud quare cum quantum est de se sit determinatiuum ad operandum realiter circa quodlibet ens; quodlibet ens per hanc cognitionem cognoscitur obiectiuè, & realiter: Solum ergo esset absurdum, si per conceptum entis vt sic, secreta cordium cognoscerentur formaliter, per talem scilicet cognitionem, quę esset determinatiuum ad affirmationem de talibus secretis cordium.

6 Dices tertiò, non potest vna cognitio esse clarior altera, nisi à clariori cognitione attingatur aliquid plus, & diuersum in obiecto. Respondeo hoc esse falsum, sufficit enim si idem melius cognoscatur; Nam possum cognoscere v.g. Petrum nunc vt potentem cognoscere terram, v. g. nunc præterea, vt potentem cognoscere plantam; per has autem cognitiones non cognosco merè Petrum, & terram, Petrum, & plantam, sed cognosco in Petro potentiam, & ordinem ad cognoscendum terram, potentiam, & ordinem ad cognoscendum plantam. Quid ergo est nunc vnam solùm, nunc verò aliam etiam potentiam in Petro cognoscere? Si est aliquid plus, & diuersum ex parte obiecti, in ipso scilicet Petro; tot in Petro dabuntur potentiæ virtualiter intrinsecè distinctę, quot sunt obiecta diuersa quę ab illo possunt cognosci: Imò tot dabuntur distinctæ potentię, quot sunt gradus perfectionis diuersi designabiles in pluribus, & pluribus cognitionibus possibilibus elici à Petro; quod est absurdum. Quando ergo per cognitionem clariorem aliquid plus cognoscitur in obliquo, adhuc dicendum est, quod cognitio recti sit clarior per hoc, quod modo meliori tendat in illud obiectum in quod alia cognitio tendebat modo deteriori.

7 Dices demum, si nullus homo existat in atrio, & ego dicam, *homo existens in atrio*, quid cognosco per hanc cognitionem? Respondeo formaliter à me cognosci animal rationale habens talem vbicationem in atrio; quia ex vi talis cognitionis determinari possum ad operationem formalem, affirmando homo existens in atrio est animal rationale habens vbicationem in atrio. Obiectiuè autem, & realiter, proximè, & completè nihil cognosco, quia ad hoc, vt habeatur determinatiuum proximum, & completum ad operandum realiter, requiritur obiectum non modo existens, & expressum in cognitione, sed etiam existens in se. Hinc quando dico *homo existens in atrio*, si nunc adsit, nunc non adsit homo in atrio, non mutatur cognitio secundum quod dicit de formali, seu secundum quod cognitio habet de determinatiuo ad operationes intentionales, quia ex vi illius semper possum elicere easdem operationes intentionales, sed mutatur secundum quod est determinatiuum proximum, & completum ad operationes reales? quod habet partialiter ab obiecto existente in se.

8 Porrò cognitio de obiecto non habente esse in se, nisi merè possibile, differt à cognitione de impossibili per hoc, quod per cognitionem de impossibili, neque cognoscitur, neque potest cognosci quidquam ex parte obiecti, & in se; quia talis cognitio, nec est nec esse potest determinatiuum ad operandum realiter circa obiectum cognitum, sed solùm est determinatiuum ad operandum circa illud formaliter. Cognitio verò de obiecto possibili, licet non sit completum determinatiuum ad operandum realiter ex defectu existentiæ in obiecto, potest tamen euadere determinatiuum cōpletum ad operandum realiter per positionem ipsius obiecti.

9 Quæ diximus de pręcisione intellectus applicanda proportionaliter sunt voluntati. Hæc enim dum in cibo v.g. vult id quod est principium dulcedinis, non verò id quod est principium morbi, si vtrumq; principium in cibo supponatur esse realiter idem, voluntas non posset obiectiuè, & realiter velle nisi vtrumque quia nulla operatio realis, ad quam determinet talis volitio, terminari potest, nisi ad totum. Formaliter verò non vult nisi principium dulcedinis, quia vult cibum tali volitione, quę est determinatiuum intellectui cognoscenti talem volitionem ad faciendas has operationes formales, hoc est has propositiones de obiecto volito, non verò ad faciendas alias.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Quid sit, & an detur vniuersale.

1 CVM Vniuersale ex vi nominis sit vnum pertinens ad multa; aliud est Vniuersale in causando. Aliud in significando. Aliud in repræsentando. Aliud demum est Vniuersale in prædicando, quod definitur: vnum aptum esse in multis, quia verò prædicari sequitur ad esse, vniuersale debet esse in multis, ad hoc vt possit de illis prędicari: ita verò debet vnum esse, vel saltem habere aptitudinem, & potentiam ad essendum in pluribus per identitatem, vt in illis multiplicetur, ideòque natura Diuina non est vniuersalis iuxta præsentem acceptionem, quia ita est in tribus Personis, vt in illis non plurificetur in tres naturas Diuinas. Ex his ergo patet implicare vniuersale, quod secundum eundem statum habeat rigorosam vnitatem, & pluralitatem, ideòque tale solùm dari potest vniuersale, per quod plura indiuidua, quæ habent in se intrinsecam pluralitatem, habeant ab intellectu vnitatem extrinsecam.

2 Non datur vniuersale extra singularia in Ideis Platoni attributis. Implicat enim dari substantias ab indiuiduis separatas, & à loco, ac tempore independentes, cum nihil dari possit, quod non sit determinatum, singulare, & à Deo in hac, vel illa circumstantia loci, ac temporis dependendēs. Pariter non datur Vniuersale ante singularia in statu præcisionis, seu possibilitatis, in quo sit aliquid præter omnipotentiam Dei, vt infra probabimus. Tum quia, vel natura in statu possibili est eadem cum illa, quæ deindè ponitur in statu actuali, vel est quid diuersum. Si est eadem, sicuti in statu actuali est singularis, ita in statu possibilitatis erit singularis. Si verò est quid diuersum: Contra est, quia possibile debet esse illud idem, quod deindè reducitur in actum; ergo si non reducitur in actum quidquam vniuersale, sed hæc, & illa natura in particulari, non nisi hæc, & illa natura in particulari erit possibilis.

3 Demum non datur vniuersale in ipsis singularibus iuxta modum explicandi Scotistarum, tum quia hoc vniuersale supponit distinctionem ex natura rei inter naturam, & hæcceitatem, quam reiecimus: tum quia etiam ea admissa, adhuc natura equina Equi A. perit, nihil pereunte de natura equina Equi B; ergo non sunt vnum, nisi per conuenientiam: Tum denique, quia hæcceitas Petri v. g. prout distincta ex natura rei à natura, non est nihil, ergo aliquid ergo ens, ergo in ratione entis conueniet hæcceitas Petri cum hæcceitate Pauli; ergo in ipsa hæcceitate datur prædicatum commune, & prædicatum differentiale, ex hoc autem, vt patet, infertur processus in infinitum.

4 Solum ergo datur vniuersale per intellectum præscindentem formaliter naturam communem ab indiuiduationibus, & cognoscentem plura, vt vnum. Non signatè, hoc enim esset errare, sed vt vnum exercitè, hoc est per talem actum confusum, ex vi cuius non possit intellectus determinari ad dicendum quod obiectum à se cognitum sit a parte rei multiplex, neque ad dicendum, quod à parte rei sit vnum, sed solùm, quod ex vi talis cognitionis dicere possit, quod non sit multiplex, ideòque sit vnum præcisiuè, & exercitè.

5 Quare vniuersale, neque fit per actum, quo dico *omnis homo*, neque per actum, quo dico *aliquis homo*, *vel vnus homo*, sed per actum, quo dico *homo*. Huic enim cognitioni ita correspondent omnes homines ex parte obiecti, sicuti diximus vbi de præcisione, vt ex parte cognitionis hi omnes homines fiant vnum prædicabile de pluribus, cum homo taliter cognitus prædicari possit de quolibet ex illis, qui ex parte obiecti respondent cognitioni de homine.

6 Sicuti autem distinctio formalis, & exercita inter realiter identificata non est chimerica, ita vnitas formalis, & exercita constitutiua vniuersalis, per quam plura modo dicto cognoscuntur vt vnum, non est chimerica, sed realis extrinseca ab actu intellectus, nam neque ipsa cognitio est aliquid chimericum, neque obiectum cognitum. Quia plura indiuidua obiectiuè cognita sunt quid reale; neque modus, quo hæc plura indiuidua cognoscuntur vt vnum, est quid chimericum, quia cognoscere plura vt vnum non est cognoscere plura cum negatione pluralitatis, vel cognoscere illa plura signatè cum negatione differentiarum, sed est talis modus cognoscendi, per quem cognoscatur natura plurium, non cognita formaliter pluralitate, eò quod plura ita confusè cognoscantur, vt ex vi talis cognitionis non possit determinari intellectus ad affirmandam de obiecto cognito pluralitatem; in quo nihil chimericum intercedit.

CAPVT QVINTVM.

Vtrum Vniuersale, quando prædicatur de inferioribus retineat suam vniuersalitatem.

VNiuersale in actuali prædicatione de inferioribus retinet suam vniuersalitatem. Vniuersale enim est vnum aptum prædicari de pluribus, ergo non id, quod fuit vniuersale, sed ipsum vniuersale remanens vniuersale potest prædicari de pluribus. Sed dices etiam lignum esse aptum comburi, ita tamen, vt in actuali combustione lignum destruatur, & non remaneat lignum. Verum non est cur ita intelligatur definitio vniuersalis, tum quia in prædicatione sciẽtifica prædicatum magis latè patere debet subiecto, ad quod requiritùr quod sit Vniuersale: tum quia cum dico *Petrus est homo* eodem modo concipio *ly homo*, dum prædico illud de Petro, ac ante illud conceperam per simplicem apprehensionem ex vi enim prædicati æquè nullam possum reddere rationem neque de pluralitate, neque de singularitate hominum, cum ergo nihil obstet, vt patebit, non est neganda manifesta experientia; præsertim cum non nisi difficillimè possit explicari quomodo in illa propositione *Petrus homo* ex parte prædicati concipiatur singulare; longè enim diuersa est cognitio, qua dico Petrus est homo, à cognitione, qua dicerem *Petrus est hic homo*, vel *vnus homo, &c.*

2 Dixi ex parte, & ex vi prædicati nullam posse ab intellectu reddi rationem de singularitate, licet enim de hac certificetur ex vi subiecti; hoc tamen non facit, quod per actum iudicij simplicẽ quidem, sed æquiualentẽ duabus distinctis apprehensionibus, non possit intellectus, solum quantum est ex vi prædicati, facere vniuersale, quatenus scilicet solum ex vi prædicati habet conceptum cõfusum, qualis requiritur ad vniuersale. Et sicuti si dicam *homo non est Deus* hic actus ex parte subiecti est cognitio de re creata, ex parte prædicati de re increata, ita dum dico Petrus est homo, hic actus habebit ex parte prædicati, non verò ex parte subiecti modum cognoscendi confusum, & si non repugnat quod ex parte subiecti attingatur vnum obiectum, ex parte prædicati aliud obiectum diuersum, nec repugnabit quod ex parte prædicati sit cognitio tẽdens tali modo diuerso à modo subiecti.

3 Dices, si dum dico *Petrus est homo* ly *homo* esset vniuersale, prædicarentur de Petro omnes homines, & talis propositio esset falsa cum falsum sit, quod detur identitas inter Petrum, & omnes homines. Respondeo ad veritatem propositionum affirmatiuarum requiri identitatem subiecti cum prædicato, non tamen semper adæquatam, sed vel adæquatam, vel inadæquatam, prout diuersimodè ab intellectu per diuersos modos tendendi designatur. Sic quando adhibet terminum syncathegorematicum, *omnis*, designat intellectus, se prædicare vniuersale vniuersaliter, ideòque se affirmare, quod prædicatum adæquatè identificetur cum subiecto. Quando ergo intellectus adhibet terminum communem nullo affectum signo syncathegorematico, tunc designat se affirmare solum quod prædicatum identificatur cum subiecto præscindendo ab hoc, quod identificetur adęquatè, vel inadæquatè; sicut enim per terminum communem, seù vniuersalem, *homo*, intellectus non certificatur formaliter de pluralitate, neque de singularitate hominum; ita neque affirmat, quod cum Petro, v. g. identificentur plures, neque quod identificetur vnus tantum homo, sed pręcisè affirmat, quod homo identificetur cum Petro, ita vt ad veritatem huius propositionis æquè sit satis, siue identificetur Petrus cum omnibus, siue identificetur cum vno tantum homine. Hinc tamen est vera hæc propositio *Petrus est homo*, in qua pręedicatum solum inadæquatè identificatur cum subiecto, quam hæc alia *omnia animalia rationalia sunt homo*, in qua prædicatum adęquatè identificatur cum subiecto.

4 Dices iterum, ergo idem erit dicere *Petrus est aliquis homo*, seù *Petrus est vel hic, vel hic homo*, ac dicere *Petrus est homo*, æquè enim ad veritatem vtriusque propositionis, satis est, quod predicatum inadæquatè identificetur cum subiecto. Respondeo differre has propositiones ex modo tendendi, in illis enim primis intellectus explicitè designat se affirmare, quod prædicatum identificetur inadequatè cum subiecto, at in illa *Petrus est homo* intellectus nullam determinatam identitatem explicitè designat, sed solum explicitè designat prædicatum identificari cum subiecto pręscindendo ab hoc, quod identificetur adæquatè, vel inadequatè, sicuti concipit omnes homines præscindendo ab eorum pluralitate, & singularitate

5 Ex his colligitur primò vniuersale fieri posse per omnes tres operationes intellectus, cũ enim de prima non sit dubiũ, & neque de secunda, ideòq; per consequens etiam de tertia, iam probatum est. Potest etiam fieri vniuersale tam per cognitionem directam, quam reflexam, tam per absolutam, quam per comparatiuam, imò in omni propositione, per quam vniuersale prędicatur de singulari intercedit aliqua comparatio prędicati cum subiecto. Colligitur secundò, non posse vniuersale fieri, nisi ab intellectu capace cognitionis confusę,

6 Supereſſet dicendum de aptitudine requiſita ad vniuerſale, ſed cum hæc nihil aliud ſit, niſi poſſibilitas plurium indiuiduorum, quæ cognoſcuntur, vt vnum; quid ſit in hac re dicendum, conſtabit ex dicendis de ente poſsibili.

DISTINCTIO TERTIA.

De Vniuerſalibus in particulari, ſeu de quinque Prædicabilibus.

CAPVT PRIMVM.

De Diuiſione Prædicabilium.

1 QVæcumque de alio, vt vniuerſalia prædicari poſſunt, in quinque claſſes, ſeu in quinque prædicabilia fuere diuiſa, quæ ſunt Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Quidquid enim de alio prædicatur, vel prædicatur vt quid illi eſſentiale, vel vt quid accidentale, ſi eſſentiale, vel formaliter vt tota eſſentia, & erit ſpecies; vel formaliter vt pars eſſentiæ perfectibilis, & importata ad modum per ſe ſtantis, & erit genus; vel formaliter, vt pars eſſentiæ perfectiua, & importata ad modum adiacentis, & erit differentia. Si verò prædicatur de alio, vt quid illi accidentale, vel prædicatur, vt quid accidentale, ſeu profluens ab eſſentia, & ab illa exigitum, & erit proprium; vel vt quid merè accidentale, nullam dicens connexionem cum eſſentia, & erit accidens commune, vt melius conſtabit ex dicendis de ſingulis hiſce prædicabilibus in particulari.

2 Hæc diuiſio eſt bona pro fine, & inſtituto Logicæ ad hoc ſcilicet, vt Logico inſeruiat ad intelligenda prædicamenta Ariſtotelis, ad quod reſpexit Porphyrius, neque enim hæc diuiſio continet tot membra, quæ pariant confuſionem, neque tam pauca, vt non ſatis rem explicet. Quare ſimpliciter dicenda eſt bona diuiſio; tunc enim diuiſio aliqua eſt bona, quando bene inſeruit fini, ad quem inſtituitur, etiamſi metaphyſicè loquendo melior fieri potuiſſet.

3 Et ſanè in caſu noſtro negari non poteſt, quod in plura, vel pauciora membra fieri potuiſſet diuiſio prædicabilium. Si enim diuiſio in duo tantum prædicabilia, eſſentiale ſcilicet, & accidentale fuiſſet nimis preſſa, certè cum nulla in modo prędicandi appareat differentia inter proprium, & accidens, vt videbimus, quę neceſsitas erat, quod ab his duo diuerſa prędicabilia conſtituerentur? Prętetea ipſum accidens commune, ſicuti diuiditur in diuerſa prædicamenta, ita cur non poterat ſubdiuidi in alia prædicabilia? Dicendum ergo eſt diuiſionem in quinque prædicabilia ad inſtitutum Logicæ eſſe bonam, licet Metaphycè loquendo aliter fieri potuiſſet.

CAPVT SECVNDVM.

De Genere.

1 GEnus definitur id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid. Ponuntur in hac definitione loco generis particulę illę, *id quod prædicatur de pluribus*, in hoc enim, quod eſt eſſe de pluribus prędicabile conuenit genus cum alijs prędicabilibus. Sed vt prędicari de pluribus ſit eſſentiale generi, intelligendum eſt non de actuali, ſed de radicali prędicatione; ita vt idem ſit id quod prędicatur de pluribus, ac prędicabile, ſeu potens prędicari de pluribus.

2 Loco differentię ponuntur illę particulę *differentibus ſpecie in quid*, quamuis enim genus prędicari etiam poſsit de differentibus ſolo numero, poſſe tamen prędicari de differẽtibus ſpecie in quid, non conuenit, niſi generi. Porrò bene definitur genus per prędicabilitatem de pluribus differentibus ſpecie in quid, quia ſupponitur eſſe aliunde notum. Adduntur vltimę particulæ *in quid*, vt explicetur modus, quo genus eſt prędicabile; eſt enim prædicabile per reſponſionem ad interrogationem factã per *quid*, ſi enim petatur *quid eſt homo*, reſpondetur *eſt animal*.

3 Eſſentia generis, ex qua oritur, quod poſsit taliter prędicari, conſiſtit in hoc, quod ſit conceptus eſſentialis obiectiuè attingens totam eſſentiam rei, ſed formaliter inadęquatus, & repręſentans

ſolùm

solum partem essentiæ; importatam tamen ad modum totius, & per se stantis, & primò quidem debet esse conceptus essentialis, quia cum per prędicatum genericum respondeamus ad interrogationem factam per *quid*; per interrogationem factam per *quid* quęrimus essentialia rei, sicuti per interrogationem per *quale* quærimus accidentalia. Secundò genus obiectiuè debet attingere totã essentiam rei, tũ quia nulla pars prędicatur in *quid* de suo toto; tum quia cũ non detur pręcisio obiectiua, prędicatum metaphysicum essentiale attingit obiectiuè totam essentiam, verùm formaliter est conceptus inadęquatus nec repręsentans, nisi partem essentię. Tunc enim existimamur scire totam rei essentiam, quando scimus aliquid, per quod res conuenit cum alijs, & aliquid per quod ab illis differt, hinc definitio dicitur oratio explicans essentiam rei, quia per illam scimus hęc duo, non quod essentia rei non possit semper clarius, & clarius sciri, sed quod scientię humanę tunc existimentur attigisse essentiam rei, quando de illa cognouerint aliquid per quod res conenit, & aliquid per quod disconuenit ab alijs. Cum ergo genus formaliter non repręsentet, nisi id per quod res conuenit cum alijs, hinc conceptus genericus est formaliter inadęquatus, & per hoc differt à conceptu specifico, qui, vt dicemus, explicat formaliter totam essentiam.

4 Sed quia etiam differentia est conceptus essentialis solum obiectiuè, non verò formaliter inadęquatus, ideò vt genus à differentia distingueretur; additur, quod genus sit *prædicabile in quid*. Porrò ad hoc, vt aliquid sit prędicabile in quid non est satis, quod obiectiue attingat totam essentiam; nam differentia attingit obiectiuè totam essentiam, & tamen non est prędicabilis, nisi in quale quid. Solùm ergo illud prędicari potest in quid, quod vel est etiam formaliter conceptus adęquatus repręsentans formaliter totam essentiam, sicuti est species; vel si est conceptus formaliter inadęquatus, importatur tamen ad modum totius, & per se stantis, cuiusmodi est genus.

5 Duo ergo requiruntur ad hoc, vt aliquid possit prædicari in quid, & quod saltem obiectiuè attingat totam rei essentiam, & quod importetur ad modum per se stantis. Ex defectu primæ conditionis non potest dici; Petrus est anima, Petrus est humanitas, quia licet hæc predicata sint essentialia Petro, & importata ad modum per se stantis, seu modo substantiuo, non tamen attingunt obiectiuè totam essentiam. Ex defectu verò secundæ conditionis differentia non Prædicatur, nisi in *quale quid*; vtraque verò conditio generi conueniens, efficit vt prædicari possit in *quid*.

6 Dices primò si prædicabile vt sic esset genus ad omnia quinque prędicabilia, esset genus respectu generis primi prædicabilis, & si genus definiretur per genus, genus quod definitur non esset genus, sed species respectu prædicabilis vt sic. Respondeo posse genus, quod definitur, esse genus, & speciem respectu diuersorum; est enim genus formaliter respectu huius, & illius generis in particulari; respectu verò prædicabilis vt sic est formaliter species, nec nisi denominatiuè, & materialiter est genus. Sicuti enim animal respectu hominis, & equi est genus respectu verò viuentis est species; ità genus respectu omnium generum est genus respectu verò alterius cognitionis reflexæ cognoscentis confusè omnia prædicabilia sub conceptu prędicabilis vt sic est species.

7 Dices secundo, si predicabile vt sic esset genus respectu generis, esset superius genere, cum omne genus sit superius respectu speciei sibi subiectę, sed etiam esset inferius eodem genere, quia cum prędicabile vt sic sit vnum ex generibus, erit inferius genere primo prędicabili, quod est superius, ad omnia genera, ergò prædicabile vt sic erit superius, & inferius genere primo prædicabili. Sed primò respondeo hoc argumentum habere multas instantias, cognitio enim, per quam cognosco omnes cognitiones, cognoscit reflexè se ipsam, vtpote vnam ex omnibus, ergò talis cognitio est cognoscens, & cognita superior, & inferior respectu sui ipsius. Similiter definitio in communi definitur oratio explicans essentiam rei, hęc ergo definitio cuiuscumque definitionis erit superior respectu sui ipsius, quatenus est superior ad omnes definitiones, sed simul erit inferior, quatenus est vna ex definitionibus definitis per hanc definitionem definitionis in communi. Demum dum dico *vniuersale vt sic* facio vniuersale, cui correspondent omnia vniuersalia, sed ipsum vniuersale, quod per hanc cognitionem facio est vnum ex vniuersalibus, ergò, &c.

8 Ad hęc igitur omnia dicendum est cognitionem habentem, & se ipsam, & alia plura pro obiecto, ita esse multiplicem, seù vniuersalem in pręsentando, vt etiam de se sit tale ens singulare, hinc autem fit vt possit ęquiualere duabus, & simul esse cognoscens, & cognita, superior, & inferior etiam respectu sui ipsius; quatenus non consideratur secundum esse vniuersale in repraesentando, nũc secundum suum esse entitatiuum singulare. Quare cognitio de omni cognitione, quatenus habet pro obiecto omnem cognitionem, & per consequens etiam se ipsam est cognoscens, & superior respectu omnium cognitionum, & respectu sui ipsius; quatenus verò cognitio de omni cognitione ipsa etiam est talis cognitio in particulari, est cognita, & inferior respectu sui ipsius considerate vt est vniuersalis in repręsentando; quod idem applicandum est cęteris. In casu autem nostro prędicabile vt sic, quatenus est quid vniuersale habens pro obiecto omnia prędicabilia, & per consequens etiam se ipsum, est quid superius, etiam ad se ipsum, sed quia etiam est tale prędicabile in particulari, ideò quatenus tale, est quid inferius respectu sui ipsius, & respectu generis, vt sic.

9 Allata generis definitione definitur, *vt quod* natura, *vt quo* verò genereitas. In omnibus enim definitionibus concretorum semper dicitur definiri *vt quod*, & materialiter ipsum subiectum *vt quo* verò, id cuius essentia per talem definitionẽ explicatur. Cum ergo per allatã generis definitionẽ explicetur

cetur essentia genereitatis, meritò dicitur definiri *vt quo* ipsa genereitas. Porrò genereitas tam secundum vnitatem, quam secundum aptitudinem est extrinseca naturę, quę denominatur generica. Vnitas enim habetur à cognitione confusa, aptitudo à possibilitate plurium differentium specie, vtraque autem est extrinseca naturæ, quæ dicitur generica, vt constabit vbi de possibilitate. Ideòque genereitas erit totaliter extrinseca naturæ, quæ est genus.

CAPVT TERTIVM.

De Specie.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Species.

1 Species est, quæ subijcitur generi. Alia est tantum subijcibilis, qualis est species subalterna, quæ prout prædicabilis non est species, quia prædicatur vt genus; alia est subijcibilis, & prædicabilis, qualis est species infima, quia tam respectu generis, cui subijcitur, quam respectu indiuiduorum, de quibus prædicatur, est prædicabilis vt species.

2 Species, quæ tam prout subijcibilis, quàm prout prædicabilis est species, requirit pluralitatem indiuiduorum saltem possibilem; neque enim potest esse apta prædicari de pluribus, nisi sint saltem possibilia plura, de quibus prædicetur. E contra species tantum subijcibilis non requirit pluralitatem indiuiduorum, neque possibilem; quia ad rationem speciei merè prout subijcibilis, satis est, quod supponatur generi.

3 Species infima prout prædicabilis benè definitur, id quod prędicatur de pluribus differentibus numero in quid, de hac autem, & reliquorum prædicabilium definitionibus inferius afferendis eadem proportionaliter sentienda sunt, quæ diximus de definitione generis, quod nimirum constent suo genere, & differentia, quod intelligi debet de prædicatione aptitudinali.

4 Quamuis autem etiam genus prædicetur de pluribus differentibus numero in quid, speciei tamen conuenit tantum prædicari de pluribus differentibus numero. Neque verò necesse fuit in definitione speciei apponere explicitè particulam *tantùm* per huius enim particulę additionem non debuit definitio speciei reddi longior, cum sufficienter illa intelligatur; non aliter, ac quando dicimus Petrum, & Paulum differre numero, & scholam distare à platea decem passibus, iuxta communem loquendi modum intelligitur particula *tantùm*.

5 Assignandus superest conceptus aliquis communis tam speciei infimæ, quam speciei subalternæ. Hic ergò non potest desumi per prędicabilitatem, quia prędicabilitas de inferioribus non conuenit speciei subalternę, quę non est prędicabilis de inferioribus, nisi vt genus; pręterea non potest desumi per subijcibilitatem, quia species infima est species non solum prout subijcitur generi, sed etiam pręcisè per hoc, quod est prędicabilis de inferioribus, sub quo conceptu non conuenit illi subijcibilitas.

6 Melius ergo essentia, & conceptus communis speciei tam subijcibili quam prædicabili, consistet in hoc, quod species sit conceptus non solum obiectiuè, sed etiam formaliter adæquatus, seu formaliter explicans totam essentiam eorum, respectu quorum est species, & importatus prætereà ad modum per se stantis. Sic homo v. g. est species subijcibilis respectu animalis, & est species prædicabilis respectu Petri, & Pauli, quia est conceptus non modo obiectiuè, sed etiam formaliter explicans totam essentiam Petri, & Pauli, respectu quorum est species prędicabilis, cum explicet aliquid, per quod illi cum alijs conueniunt, & aliquid per quod ab alijs differunt, iuxta dicta de genere. Similiter explicat formaliter totam essentiam generis, cui subijcitur; Homo enim subijcitur animali tanquam generi, homo verò cum idem formaliter sit, ac animal rationale explicat profectò ipsum animal, licet etiam explicet aliquid plus, nimirum rationale. Demum species subalterna, v.g animal est species respectu viuentis, cui tanquam generi subijcitur, quia explicat totam essentiam viuentis; cum enim animal idem sit, ac viuens sensitiuum, profectò animal explicat totam essentiam viuentis, licet, simul cum essentia viuentis, explicet etiam aliquid plus. Cum verò tam species subijcibilis, quam prædicabilis importetur ad modum per se stantis, patet quod conceptus assignatus speciei conueniat speciei tam subijcibili, quàm prædicabili, & quod hic conceptus differat a conceptu tam generis, quàm differentię quia tam conceptus genericus, quàm differentialis non explicat formaliter, nisi partem essentię.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit differre specie.

1 CVM species dicatur à spectando, illa dici possunt differre specie, si spectemus etymologiam, quæ differunt spectabiliter. Dupliciter autem potest aliquid dici spectabile, vt diuersũ ab alio, vel quia sit potens tanquam diuersum ab alio spectari respectu nostri in ordine ad quos quærimus differentiam specificam, vel quia sit etiam dignum, quod à nobis spectetur vt diuersum ab alio. Rursus id quod respectu nostri est potens spectari, vt diuersum ab alio, vel est tale, vt licet habeat positiũam differentiã ab alio, non sit tamen à nobis talis positiua differentia positiuè designabilis vt diuersa, sed merè negatiuè, per hoc scilicet, quod solùm possimus dicere, quod vnum non est aliud, & hæc quia non sunt à nobis positiuè designabilia, vt diuersa, non differunt nisi numericè; sic duę guttæ aquæ non differunt nisi numero, quia si spectemus earum naturam, & entitatem, præscindendo ab accidentibus merè coassumptis, vt mox explicabimus, non possunt à nobis designari vt diuersę, nisi merè per hoc, quod dicamus vnam guttam non esse aliam.

2 Alia tamen dantur, quæ non modo habent inter se positiuam differentiam, sed prætereà sunt à nobis positiuè designabilia vt diuersa, talia autem sunt, quæ habent prędicatum aliquod entitatiuum, seu essentiale positiue designabile vt diuersum, sufficiens ad tollendam integram, & perfectam similitudinem in natura, & entitate, & hæc quia differunt plusquam illa, quę non sunt designabilia, vt diuersa nisi negatiuè dici possunt differre specie; iuxta doctrinam Suarez disp. 5. met. sect. 2. num. 35. vbi sic ait; *Indiuidua eiusdem speciei cum reali distinctione habent integram, & perfectam similitudinem in natura, in quo differunt ab indiuiduis differentibus specie sub eodem genere, quæ inter se non habent tantam, tam perfectamque similitudinem.*

3 Sed quoniam non omnia, quæ ratione cuiuscumque prædicati entitatiui tollentis integram, perfectamque similitudinem in natura, differunt inter se sunt alia, vt attenta vitæ breuitate, nostræque intelligentiæ limitata capacitate digna sint, quæ spectentur vt diuersa, ideò non omnia, quæ iuxta priorem acceptionem differunt specie, sunt talia, vt etiam respectu humanarum scientiarum differant specie. Quare duplicem distinguere poterimus differentiam specificam, prima dicatur entitatiua, secunda scientifica; non quod hæc secunda non fundetur etiam in entitate rei, sed quod cũ prior illa habeatur merè ratione entitatis, & naturæ rei non attentis vllis intrinsecis circumstantijs, hæc verò attendat etiam ad extrinsecas scientiarum circumstantias, hæc peculiari nomine dici poterit scientifica.

4 Porrò quæ alterutro modo non differunt nisi numericè, dicenda sunt differre secundum id, quod se habet vt materia, ex Aristotele enim 10. met. cap. 7. tex. 25 *Materia negatione ostenditur* ergo illa, quæ non ostenduntur, neque designantur à nobis vt diuersa, nisi per negationem meritò cum Aristotele, & Sancto Thoma dicuntur differre secundum id, quod se habet vt materia, non quod non possint solo numero differre, nisi quæ habent materiam primam, sed quod illa, quæ in ordine ad designari vt diuersa se habent sicuti materia prima, non differant nisi numero, quę verò differunt per prędicatum aliquod positiuè designabile vt diuersum modo explicato, differant secundum id, quod se habet vt forma. Sic Aristoteles 10. met. tex. 25. docens hominem album, & nigrum differre solo numero ait. *homo namque vt materia est.*

5 De specie entitatiua iuxta modum explicatum verificari dicendum est commune axioma fundatum in Aristotele 8. met. tex. 10. Quod scilicet species sunt sicut numeri, sicut enim quælibet positiua additio, & positiuè designabilis variat numerum, ita quodlibet entitatiuum prædicatum positiuè designabile vt diuersum variat speciem entitatiuam. Et sanè cum quodlibet huiusmodi prædicatum sit communicabile pluribus plusquam numero differentibus, non erit indiuiduale, sed constitutiuum speciei saltem entitatiuę.

6 Dices primò Materia differt specie à forma, ergo aliquid, quod non modo se habet vt materia, sed est materia, differt specie ab alio. Respondeo materiam differre specie à forma, quia non vtraq; ex his est materia, neque vtraque se habet vt materia, quare ad diuersitatem duorum numericam requiritur, quod vtrumque se habeat vt materia comparatum cum alio.

7 Dices secundò, nihil est quod alteri comparatum non habeat aliquod accidens loci temporis, &c. positiuè designabile vt diuersum ab alio. Respondeo ex Aristotele citato: *Quæcumque in ratione contrarietates sunt, specie differentiam faciunt, quæcumque verò in coassumptæ materiæ minimè faciunt.* Aliqua ergo accidentia cuiusmodi sunt hic locus, hoc tempus, &c. sunt merè coassumpta per accidens, talia scilicet, quę stante vna alicuius alterius entitate ęquè potuissent illi conuenire, ideòque id, quod designatur vt diuersum ab alio merè per ordinem ad hęc accidentia non differt ab alio nisi numericè, quia si spectemus illud, quod non per accidens, sed ratione sui habetur peculiare ab vno; & non ab alio, hoc non erit designabile, vt diuersum nisi negatiuè. E contra accidentia,

dentia, quæ ita vni conueniunt, vt non possint alteri conuenire, cuiusmodi sunt discursus, sensatio, &c. indicant diuersitatem principij, ideòque id, quod per ordinem ad hæc accidentia designatur vt diuersum, differt ab alio specie saltem entitatiua. Similiter dicendum est de maiori mole, quæ non facit diuersitatem specificam, sed pluralitatem, & numerum partium non differentium, nisi secundum id, quod se habet vt materia.

8 Dices tertiò. In scientijs aliqua modo considerari, modo non considerari, vt positiuè diuersa pro libito profitentium ipsas scientias, ideòque regulam à nobis traditam de differentia specifica scientifica non esse firmam. Respondeo regulam de differentia specifica entitatiua esse firmissimam, sicuti firmæ sunt rerum essentiæ. Circa diuersitatem verò specificam scientificè non potuit à nobis tradi regula firmior quam sint ipsæ scientiæ humanæ, quæ nunc ampliores, nunc angustiores fines habent. Quanquam in pluribus satis constat, quæ nam consueuerint in aliqua scientia considerari vt positiuè diuersa.

SECTIO TERTIA.

An dari possit Species, seù Creatura immultiplicabilis?

1 Creaturam immultiplicabilem appellauimus nomine speciei, quia si dari posset, esset species saltem subijcibilis. Porrò dicimus repugnare huiusmodi Creaturam, quæ ex suis intrinsecis principijs habeat, quod ab omni potentia diuina non possit produci alia illi similis, quia huiusmodi Creatura præcisè, prout immultiplicabilis haberet prædicatum nullam importans peculiarem perfectionem, sed merè hoc, quod est directè opponi Diuinæ omnipotentiæ. Quare qui admittunt possibilem Creaturam immultiplicabilem, non propterea tribuunt Deo potentiam ad faciendam Creaturam aliquam cum maiori, vel cum peculiari aliqua perfectione; omnes enim perfectiones, quas illi dicunt fieri posse à Deo, nos etiam Deo faciendas tribuimus, cum non nisi tale prædicatum Creaturis denegemus, quod nullam aliam peculiarem perfectionem importet, quam directè opponi Diuinæ omnipotentiæ.

2 Et quidem quamcumque perfectionem aliundè possibilem assignaueris, semper stat possessio pro Diuina omnipotentia, quod si potest facere perfectionem illa maiorem, possit multò magis similem, ideòq; spectabit ad aduersarios assignare contradictionem in talis perfectionis multiplicatione, aliter dicam esse possibilem talem Creaturam, quæ semel posita per suam essentiam exigat non posse produci vllam aliam Creaturam: Quare huiusmodi prædicata, quæ solùm habent directè opponi Diuinæ Omnipotentiæ, dicenda sunt inuoluere in suo conceptu contradictionem. Fundamentum Thomisticum, quod ea, quæ non dicunt ordinem ad materiam, non possint differre solo numero, gratis assumitur, & bene explicantur auctoritates Aristotel. & S. Thomæ per hoc, quod illa differant solo numero, quæ differunt per id, quod se habet vt materia modo explicato, cum cæteroqui satis ex supradictis colligatur, posse aliqua solo numero differre etiamsi nullum dicant ordinem ad materiam.

3 Dices, potest Deus reuelare Petro se nolle concurrere, nisi ad vnicum actum Fidei; si ergo Petrus credat huic reuelationi, talis actus Fidei erit essentialiter verus, ideòque de sua essentia immultiplicabilis. Respondeo multiplicabilitatem, seù possibilitatem plurium indiuiduorum eiusdem speciei haberi per omnipotentiam Dei, à qua denominantur possibilia, licet ad hoc, vt omnipotentia aliquid actu ponat, requiratur libera Dei volitio. Quamuis ergo Deus liberè decreuerit non producere aliqua, adhuc tamen, cum illa sint simpliciter de se possibilia Deo, simpliciter denominantur possibilia, quia denominatio possibilis est denominatio ab omnipotentia Dei, & solùm dici possunt impossibilia secundum quid, ratione videlicet decreti Dei nolentis illa producere. Similiter ergo in casu nostro actus ille Fidei non reddit alios actus similes simpliciter impossibiles, quia nullum habet prædicatum oppositum possibilitati simpliciter aliorum actuum, hoc est oppositum omnipotentiæ Diuinæ, illamque limitans, sed solùm reddit alios actus impossibiles secundum quid, eò quod habeat solummodo prædicatum oppositum alteri actui Diuinæ voluntatis, quo Deus vellet ponere alios actus Fidei. Tale autem prædicatum non modo non opponitur vlli perfectioni Diuinæ, sed opponitur, seù excludit à Deo imperfectionem alterius actus, quo Deus mutaret prius Decretum. Idem dicendum in sententia complente decreta Dei per extrinsecum de actione terminatiua decreti, quo Deus decerneret nolle creare quidquam aliud propter tale peculiare motiuum, actio enim explicatiua talis motiui, & excludens aliud quodcunque ens, non opponeretur, nisi volitioni Dei chymericæ, qua prius decretum retractaret, cæterum remaneret possibilitas simpliciter tum aliarum Creaturarum, tum etiam alterius actionis solo numero diuersæ ab actione illa, quæ de facto poneretur.

4 Non ergo dicenda est implicare Creatura, quæ ex suis intrinsecis principijs habeat, quod à Diuina voluntate non sit volibilis alia illi similis in specie, imò neque implicare dicenda est creatura, quæ habeat, quod non sit à Deo quidquam aliud volibile, cuiusmodi esset actus Fidei, quo quis crederet Deo reuelanti se nolle quidquam amplius creare. Sed cum hoc bene stat id quod prius diximus,

mus, quod nimirum implicet creatura, quæ directè se opponens Diuinæ omnipotentiæ reddat aliam Creaturam sibi similem simpliciter impossibilem.

CAPVT QVARTVM.

De Indiuiduo.

1 SPeciei adnectimus explicationem Indiuidui, quia de indiuiduis species prædicatur. Describitur indiuiduum à Porphyrio, *id cuius proprietatum collectio nunquam in alio eadē erit*. Hæc est mera descriptio, quia eadem, seu similis collectio accidentium, quæ est in vno Indiuiduo, non repugnat, quod sit in alio, ideòque per ordinem ad collectionem proprietatum, non differt metaphysicè loquendo vnum indiuiduum ab alio.

2 Melius ergo ratio indiuidui explicabitur, quantum primi conceptus explicari possunt, si cum S. Thoma 1.par.quæst.29. art.4. dicamus esse id, quod est in se indistinctum, ab alijs verò distinctū; seu vt communiter dicitur, indiuisum in se, & diuisum a quolibet alio, quod scilicet non est diuisum, imò nec est diuisibile in plura eiusdem rationis, sed cum quolibet alio facit diuisionem, & pluralitatem, vt diximus supra de vnitate. Ex hac indiuidui explicatione, quæ traditur per negationes, constat bene à nobis fuisse dictum supra, quod illa differunt solo numero, quæ differunt merè per id, quod se habet, vt materia, seu per hoc quod vnum non sit aliud.

3 Indiuiduum aliud est incompletum, aliud completum, aliud vagum. Incompletum est conceptus genericus cum hæcceitate, vt *hoc animal*, genus enim est conceptus formaliter inadæquatus ex supradictis; quia verò species est conceptus adæquatus essentiæ rerum, ideò indiuiduum completum est conceptus specificus cum hæcceitate, vt *hic homo*. Indiuiduum vagum est, quando generi, vel speciei additur terminus syncathegorematicus *aliquis*, *vnus*, &c. ita tamen vt per hos terminos non designentur prædicata conuertibilia cum ente, sed designetur indiuiduum de se quidem determinatum, sed indeterminatum quoad nostrā cognitionem, ideòque indiuiduum vagum nunquā est vniuersale, sic si dicam *vnus nostrū est optimus, aliquis nostrū primus morietur*, esse optimum, esse primò moriturū non conuenit, nisi vni, nec est de pluribus prædicabile, quod ad vniuersale requiritur.

4 Ab hoc tamen, ab illo, & illo indiuiduo abstrahi potest vniuersalis ratio indiuidui vt sic, quæ erit de pluribus prædicabilis, æque enim de Petro, ac de Paulo, &c. prædicatur quod sit indiuiduum. Porrò ratio indiuidui vt sic sub conceptu indistincti in se, est ratio non certificans formaliter de vlla pluralitate, neque de vllo indiuiduo in particulari, ideò non est, cur non dicatur esse perfectè præcisa ab inferioribus, & vniuoca. Quod verò differentiæ fiat formaliter indiuiduum, hoc non officit vniuocationi, sed solum efficit, quod ratio indiuidui non sit generica, cum plus requiratur ad esse genus, quam ad esse Vniuocum, vt constabit ex dicendis de vniuocatione entis.

5 Dixi rationem Indiuidui vt sic esse perfectè præcisam sub conceptu indistincti seu indiuisi in se, sub conceptu enim distincti, seu diuisi à quocumque alio, non potest esse perfectè præcisa, cum formaliter certificet nos de pluralitate aliorum, à quibus distinguitur.

CAPVT QVINTVM.

De Differentia, Proprio, & Accidente.

1 DIfferentia alia est communis, qua vnum differt ab alio quomodocumque, & hæc est quodlibet accidens commune diuersum ab accidente alterius; alia est differentia propria, & hæc est quodlibet accidens proprium, per quod vnum differt ab alio; alia demum est differentia proprijssimè dicta, quæ est id, quo singula differunt inter se essentialiter, hæc habet diuidere genus, & constituere speciem, ideòque prout diuisiua generis, est id quo genus diuiditur in suas species, prout constitutiua speciei est id, quo species abundat à genere.

2 Differentia prout prædicabilis, est id, quod prædicatur de pluribus in quale quid; non addimus cum Porphyrio particulas illas *differentibus specie*, vt allata definitio sit vniuersalior & conueniens tam differentiæ infimæ, quæ est prædicabilis de pluribus differentibus solo numero, quam differentiæ subalternæ, quæ est etiam prædicabilis de pluribus differentibus specie. Ad auctoritatem verò Porphyrij, dicendum est, quod noluerit agere exactè de prædicabilibus sic enim ipsemet in principio profitetur. Essentia differentiæ consistit in hoc, quod sit conceptus essentialis, sed formaliter inadæquatus, & importatus ad modum adiacentis; hinc prædicatur in quale, quia importatur ad modum adiacentis alteri, quia verò est conceptus essentialis prædicatur in quid.

3 Quodcumque prædicatum, quod est extra Metaphysicam rei essentiam, vel est accidentale proprium, vel merè accidentale, seu accidentale commune. Porrò proprium aliud est, quod conuenit soli alicui speciei, vel generi, sed non omnibus contentis sub illis, & hoc modo esse Philosophū est pro,

proprium speciei humanæ, aliud conuenit omni, sed non soli, sic eiusdem speciei humanæ est proprium esse bipedem; aliud est, quod conuenit omni, & soli, sed non semper, & hoc modo canescere est proprium hominis. Aliud demum est proprium quarto modo, quod *conuenit omni, soli, & semper*, dummodo sit extra conceptum quidditatiuum rei, hinc ex Aristot. . Topic. cap. 4. definitur *quod non indicat, quid est esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur de re.*

4 Proprium aliud est genericum, quale est, v g. habere figuram, quod est proprium corporis; aliud specificum, quale est esse risibile, quod est proprium hominis. Vtrumque autem prout prædicabile definitur id, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale conuertibiliter cum essentia, conuertibiliter inquam cum essentia generica, & specifica, cum qua proprium æquè latè patet, non verò de contentis sub genere, vel specie, de quibus proprium prædicatur, vt vniuersale, neque enim risibile prædicatur conuertibiliter de Petro, v. g. vel de Paulo, sed de homine, cum quo æquè latè patet.

5 Accidens commune; seu prædicatum accidentale commune, prout prædicabile, definitur id, quod prædicatur de pluribus in quale merè accidentale. Accidens primò intentionaliter acceptum, erit id quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem. Quod scilicet est tale, vt siue intelligatur abesse à subiecto illo, quod denominatur habere tale prædicatum accidentale, non propterea intelligitur subiectum corruptum, sed æquè intelligitur totus conceptus quidditatiuus talis subiecti denominationis, sic siue intelligatur homo habens albedinem, siue intelligatur carens albedine æquè intelligitur tota quidditas hominis.

6 Sed quia hoc totum conuenit cuicumque accidenti, etiam proprio, ideò vt vnum ab alio distinguatur, dicendum est: accidens proprium, licet non pertineat ad conceptum quidditatiuum, & essentiam rei, esse tamen ab essentia exigitum, cum è contra accidens commune neque sit de essentia rei, neque ab essentia exigatur, ex quo fit, vt non possit intelligi essentia rei, quin intelligatur exigentia accidentis proprij, è contra verò intelligi possit essentia rei, etiam sine exigentia accidentis communis: Sic risibile est accidens proprium hominis, quia non potest intelligi homo sine rationalitate, quæ est exigentia metaphysica risibilitatis, & si intelligatur homo sine exigentia risibilitatis, intelligetur destructus, è contra esse album est prædicatum homini merè accidentale, quia tota essentia hominis habetur, & intelligitur tam sine albedine, quam sine exigentia albedinis; quia verò esse non potest sine exigentia alicuius coloris, ideò esse coloratum erit accidens proprium, nō tamen specificum, sed genericum.

7 Dices sauciatio cordis, mors, &c. sunt accidentia, nec tamen adsunt sine subiecti corruptione. Respondeo sauciationem cordis, & mortem dispositiuam, seu accidentia disponentia ad mortem formalem, adesse subiecto sine formali illius corruptione, ideoque illis conuenire differentiam accidentis. Mors verò formalis, siue formalis non destructio, & non esse, non est accidens, nec vllum habet esse, cum negationes non sint entia.

DISTINCTIO QVARTA.

In Antepraedicamenta.

1 AGemus hic cum Aristotele, de Æquiuocis, Vniuocis, & Analogis, quæ prædicamētorum explicationi præmittuntur, & recepto scholarum more de vniuocatione entis; sed cum hoc in libro Metaphysicam Logicæ statuerimus miscere, occasionem libenter arripimus expediendi etiam hic quidquid de ente, vt sic dicendum occurret.

CAPVT PRIMVM.

De Aequiuocis, Vniuocis, & Analogis.

1 AEquiuoca alia sunt æquiuocata, alia æquiuocantia. Æquiuoca æquiuocata benè definiuntur, quorum nomen commune est, secundum nomen verò ratio substantiæ diuersa. Æquiuoca verò æquiuocantia sunt ipsa nomina communia pluribus, quorum substantię ratio secundum nomen importata est diuersa. Porrò bene potuimus æquiuoca vna definitione definire, quia omnia ęquiuoca vniuocè conueniunt in hoc, quod omnia sint æquiuoca.

2 Vniuoca similiter alia sunt vniuocata, alia vniuocantia. Vniuocata sunt, quorum nomen commune est, secundum nomen verò ratio substantiæ eadem; secundum nomen, inquam, ad hoc

enim vt aliqua sint vniuoca debent habere eandem, hoc est similem essentiam, quæ specialiter importetur per nomen commune, & vniuocans. Rursus vniuoca alia sunt participata hoc est, ipsæ naturæ communes æquè inexistentes in inferioribus, & ab illis participatę, alia sunt participantia, hoc est inferiora ęquè participantia naturam communem. Demum alia sunt vniuoca essentialia, alia accidentalia, prout ratio per nomen commune significata est essentialis, vel accidentalis in inferioribus.

3 Analoga sunt quorum nomen cõmune est secundum nomen verò ratio substãtiæ partim eadem partim diuersa. Alia sunt analoga attributionis, alia proportionis; ratio autem huius diuisionis est, quia cum analogia idem latinè sit ac proportio, plura quæ habent nomen commune habere possunt ordinem proportionis, vel quod plura dicant ordinem ad vnum, vel quod vnum dicat ordinem ad aliud; si ergo plura dicant ordinem ad vnum erunt analaga attributionis, si verò vnum dicat ordinem ad aliud, erunt analoga proportionis.

4 Analoga attributionis sunt, quæ dicunt ordinem ad vnum tertium, ita vt in tali ordine per commune nomen importato partim conueniant, partim differant, sic color medicina, & animal analogicè conueninnt in nomine *sani*, eo quod hæc omnia in ordine, seu habitudine, quæ importatur per nomen *sanum* partim conueniant, partim differant, conueniunt quidem quia terminus cuiuscumque ex his ordinibus est eadem sanitas, discoueniunt autem, quia ordo medicinę ad sanitatem est ordo efficientiæ, ordo coloris est ordo signi, ordo animalis est ordo intrinsecæ habitudinis. Ita verò in habitudine ad sanitatem partim conueniunt, partim disconueniunt, vt præterea ordo coloris, & medicinæ, quæ in ratione, & nomine *sani* sunt minus principalia analogata, sit ad vnum, ad sanitatem scilicet animalis, quod propterea dicitur analogatum magis principale.

5 Analoga proportionis sunt, quorum nomen commune est, ratio secundum illud nomen importata proportionaliter, ac proindè imperfectè eadem. Alia sunt analoga proportionis propria, alia metaphorica; si enim aliqua habentia inter se proportionem ita appellantur eodem nomine, vt nomen commune propriè vtrique conueniat erunt analoga proportionis propria si verò vni conueniat propriè, alteri solùm per metaphoram erunt analoga proportionis metaphorica, sic quia ita se habet risus ad hominem, sicuti viriditas ad pratum, sit vt risus metaphoricè dicatur de viriditate pratorum: ideòque nomen *risus* prout dictum de actu vitali hominis, & viriditate pratorum est analogum proportionis metaphoricum. Pariter quia ita se habet substantia ad esse ens simpliciter dictum, sicuti se habet accidens ad esse entis ens, sit vt non solum substantia, sed accidens sine addito appelletur ens, ideòque ens est analogum proportionis sed proprium; quia non per metaphoram, sed propriè dicitur de accidente quod sit ens, licet cum addito. Cum hoc tamen stat, quod ens in alia aceptione possit esse vniuocum, vt inferius explicabimus.

6 Analoga non constituuntur in suo esse neque per inæqualitatem, neque per dependentiam, quia dari potest conceptus entis realis vniuocus respectu substantiæ, & accidentis, respectu Dei, & creaturarum, vt videbimus, & tamen ratio entis realis inęqualiter à substantia, & accidente, à Deo, & creaturis participatur, & pariter accidens dependet à substantia, creaturæ dependent à Deo: & sanè si inæqualitas, & dependentia non importatur formaliter per conceptum, & nomem commune, cur tollet vniuocationem, & perfectam rationem vnius? cum de nulla pluralitate ex vi talis conceptus certificemur. Similiter non constituuntur analoga in ratione analogorũ per transcendentiam, ratione cuius superius pręscindat ab inferioribus; inferiora verò non præscindant à superiori; huiusmodi enim trascendentia non tollit vniuocationem, quia per hoc quod differentiæ imbibant conceptum superioris, bene stat quod conceptus superioris sit perfectè vnus, cum de nulla pluralitate certificet. Adde non posse essentiam analogorum omnium consistere in transcendentia, quia trascendentia in analogis proportionis metaphoricis non requiritur.

7 Essentia ergo analogorum consistet in hoc, quod ex vi nominis analogi intellectus formaliter certificetur de pluribus, partim inter se conuenientibus, partim disconuenientibus in ratione specialiter importata per nomen analogum. Probatur quia hoc conuenit omnibus analogis, & per hoc ab vniuocis, & æquiuocis distinguuntur. Et primò analogum proportionis metaphoricum habet formaliter representare plura ex Aristotele enim tertiò Rhetor. metaphoris maximè delectamur quia *faciliter discere, ac intelligere natura omnibus est suaue*. Per metaphoram autem plura vnico nomine; ideòque facilius discimus, vt explicat idem Aristoteles, & constat experientia. Quis enim est, qui audiens viriditatem prati appellari risum, statim cognitione non accurrat ad risum hominis, huius autem experientiæ ratio est, quia cum nomen, quod est metaphoricum respectu vnius, sit proprium respectu alterius, semper habet nos ducere in cognitionem illius, ad quod significandum est tale nomen impositum.

8 Idem accidit in analogis attributionis, cum enim *sanum* v. g. dicatur magis principaliter de animali, quando applicatur colori, vel medicinæ, fieri non potest, quin ducat nos in cognitionem illius, de quo magis principaliter prædicatur, non aliter ac nomen, quod metaphoricè dicitur de vno, statim inducit nos in cognitionem illius, de quo tale nomen propriè dicitur. idem denique asserendum ęst de analogis proportionis proprijs, si enim nomine entis significetur id, quod est simpliciter, & absolutè ens, quando de accidente, quod est entis ens dicitur sine addito ens non

potest

potest non etiam repræsentari intellectui id quod est simpliciter, & absolutè ens, quale est substantia, ergo omnibus analogis conuenit, quod formaliter repręsentent plura.

9 Porrò differunt analoga ab vniuocis, per hoc quod vniuoca de nulla pluralitate certificent, sed perfectè ab inferioribus præscindant, cùm è cōtra analoga semper formaliter repręsentent aliquā inferiorum pluritatem. Ab ęquiuocis verò differunt per hoc, quod æquiuoca de pluribus certificent omnino diuersis in ratione specialiter importata per nomen; analoga verò certificent de pluribus, sed partim conuenientibus, partim disconuenientibus in ratione per nomen importata. Quamuis autem per nomen analogum repręsentetur formaliter pluralitas, adhuc tamen propositiones sunt verę, quia non importantur in recto plura; quando enim dicimus, v. g. Prata rident, sensus est, prata sunt habentia aliquid simile risui, qui est in homine.

10 Potest idem nomen comparatum cum aliquibus esse analogum, comparatum cum alijs esse vniuocum, sic risus prout dicitur de viriditate pratorum, & de tali actu vitali hominis est analogū, prout dicitur de hoc, & illo actu ridendi humano est vniuocum; sic idem homo dicitur vniuocè, de hoc, & illo homine, de homine autem vero, & picto dicitur ęquiuocè ex Aristotele hìc. Quando ergo quęritur de aliquo nomine vtrum sit vniuocum, vel analogum statuendum prius est respectu quorum petatur vtrum sit vniuocum; vel analogum. Quod si quęras vtrum alicui nomini solitariè prolato subestet conceptus vnus, an conceptus plurium: Dico analogis metaphoricis solitariè prolatis subesse conceptum perfectè pręcisum plurium, vt vnum, eorum scilicet, quę propriè per tale nomē significantur. In analogis autem attributionis pendet hoc ex conceptu, quem sibi quisque format ex vi talium nominum, qui enim bene penetrat hoc nomen *sanum*, v. g. concipiet formaliter pluralitatem, quia hoc nomen videtur impositum ad significandam pluralitatem, qui verò illud non bene penetrat habebit conceptum magis confusum, & nullam concipiet pluralitatem.

CAPVT SECVNDVM.

An Ens sit vniuocum.

1 ENS ex Arist. 4. met. text. 2. multipliciter dicitur. ideòque accipi potest vel in stricta, vel in lata significatione. Si enim in latissima significatione sumatur, comprehendet tam ens reale, quam ens rationis, & quidquid, quomodocumque est intelligibile. Quod si nomen entis strictius accipiatur, significabit solum ens reale. Si sumatur adhuc strictius non conuenit nisi substantię, quia sola substantia dicitur ens simpliciter, & sine addito, accidentia enim dicuntur entis entia; si demum sumatur strictissimè, non conuenit nisi Deo, qui de se dicit: *Ego sum qui sum*, creaturę autem sunt entia cum addito nimirum per participationem. Cum ergo tam diuersimodè accipiatur ratio entis pro diuersa acceptione diuersimodè de illo discurrendum erit.

2 Ens in acceptione latissima, prout significat quidquid est intelligibile, est vniuocum, cum perfectè pręscindat a differentijs, per conceptum enim entis vt sic, seu intelligibilis non certificamur de reali, vel non reali, quę sunt differentię entis vt sic. De pluribus enim de quibus certificamur, quod sint quid intelligibile quia illa intelligimus, disputamus deinde vtrum sint ens reale, vel non reale; ideòque conceptus de intelligibili non est formalis conceptus de reali, vel non reali. Verum quidem est, quod inferiora non pręscindunt a superiori, sed hoc non officit vniuocationi, adhuc enim conceptus intelligibilis, & entis vt sic, est perfectè pręcisus, & vnus, ideòque illi conuenit tota definitio vniuocorum, quod nimirum ratio importata per nomen commune sit vna, & eadem.

3 Ex eo autem quod differentię non pręscindant formaliter ab ente latissimè accepto; sequitur solùm quod ens latissimè acceptum non sit genus, plus enim requiritur ad rationem generis; quam ad esse vniuocum. Aristoteles enim tertiò met. tex. 10. ait: *Non esse autem possibile neque ipsum vnum entium esse genus, neque ipsum ens, necesse etenim est vnius cuiusque generis differentias, & esse, & vnamquamque vnum esse, quare si vnum, vel ens genus est, nulla differentia nec vnum, nec ens erit.* Ergo per Aristotelem ad rationem generis requiritur, quod differentię non sint formaliter superius. Preterea Porphyrius cap. de differentiam esse qua *species abundat à genere*. Sed differentię entis latissimè accepti inuoluunt ipsum ens latissimè acceptum, ergo non sunt quid ab illo abundans, ideòque propriè loquendo non sunt differentię. Cum ergo ad rationem generis Arist. & Porphyrius aliquid requirant, quod ad rationem, & definitionem vniuoci non est necessarium, poterit ens latissimè acceptum esse vniuocum, non genus; ideòque ens latissimè acceptum non pędicatur vt rigorosè genus; sed vt genus reductiuè, & hac de causa non constituit diuersum pędicabile.

4 Dices ens, & non ens nullam possunt habere inter se conuenientiam, quod enim nullo modo est neque potest habere conuenientiam. Respondeo ens, & non ens conuenire in conuenientia aliqua extrinseca, ideòque esse vniuoca per denominationem vniuocam, sed extrinsecam; prout enim

per

per aliquod nomen habetur denominatio vniuoca intrinseca, vel extrinseca, plura appellata tali cõmuni nomine, intrinsecè, vel extrinsecè erunt vniuoca. Sic hoc, quod est chimæram esse intelligibilem est denominatio merè extrinseca ab intellectu potente intelligere chimæram, quare prout tam chimera, quam ens reale conueniunt in hoc quod intellectus possit illa intelligere, possunt in nomine, & conceptu intelligibilis conuenire vniuocè ratione conceptus, & denominationis importantis conuenientiam aliquam illis extrinsecam, quod si enti reali tribuas etiam capacitatem intrinsecam ad intelligi, adhuc ens reale, & ens rationis conueniunt vniuocè in hoc quod est posse intelligi, præscindendo à posse intelligi vel per intrinsecam aptitudinem in eo, quod intelligitur, vel per meram potentiam extrinsecam intelligentis.

5 Si nomine entis veniat ens reale hoc non solum formaliter perfectè præscindit à suis differentijs, sed etiam differentiæ perfectè præscindunt ab ente reali, sicut enim per conceptum entis realis nullam possumus reddere rationem de perseitate, & inaleitate, ita per conceptum perseitatis, & inaleitatis nullam possumus reddere rationem de ente reali; disputamus enim, vtrum ens in alio sit ens reale nec nè, non aliter ac disputamus, vtrum ens a se, & ens ad aliud sit reale, ideòque si esse à se, & esse relatiuum præscindit ab esse reali, & non reali, etiam esse per se, & esse in alio præscindet à reali, & non reali, cum ergo inter ens reale, & illius differentias detur mutua præcisio, ens reale erit vniuocum, & genus, vt constat ex dictis, tum ex Aristotete 11. met. summa 1. cap. 1. vbi ait: *Omnis scientia vniuersalium, non vltimorum est, quare sic erit vtique primorum generum hæc autem sanè fuerint ens, & vnum*. Ergo per Aristotelem *ens*, & *vnum* possunt esse genus, cum ergo loco superius citato etiam dixerit ens, & vnum non posse esse genus, fatendum est Aristotelem sensisse, quod ens, & vnum in aliqua significatione possint esse genus, in aliqua verò nequaquam.

6 Potest etiam nomine entis significari id, quod dicit ordinem aliquem ad substantiam, quæ primo, & principaliter dicitur ens. Ex Aristotele num. 4. met. tex. 2. ens in hac significatione assimilatur sano dum ait. *Ens multipliciter dicitur, verum ad vnum quemadmodum omne salubre ad sanitatem, quædam enim, quoniam passiones substantiæ, &c.* Sub hac igitur significatione erit analogum attributionis importans formaliter pluralitatem, quatenus scilicet certificari non possumus de ente habente ordinem ad id, quod principaliter dicitur ens, quin certificemur de pluralitate entium. Poterit etiam ens esse analogum proportionis proprium, vt supra innuimus, cum enim ita se habeat substantia ad esse ens simpliciter sicuti se habet accidens ad esse entis ens, fit vt de accidente prædicetur ratio entis simpliciter, & sine addito per analogiam proportionis ad substantiam, si enim nomine entis simpliciter dicti veniat id, quod strictissimè est ens, sicuti est solus Deus; quãdo de creaturis, quæ sunt entia per participationem prædicatur ratio entis sine addito, hoc non fit nisi per analogiam ad Deum, qui sine vllo addito diminuente est ens.

CAPVT TERTIVM.

De Ente possibili.

1 PRæmittendum est possibilitatem entis realis, siue extrinsecam, siue intrinsecam non esse quid contingens, sed æternum, & necessarium, quod enim Antichristus, v. g. sit possibilis, est propositio necessaria, & æternæ veritatis, ergo possibilitas Antichristi, per quam hæc dropositio semper fuit, & erit vera, erit quid æternum, & necessarium. Ex hoc ergo constat possibilitatem creaturarum non posse esse quid positiuum necessarium distinctum, & independens à Deo, neque enim quidquam positiuum fuit, aut esse necessario debuit ab æterno præter Deum.

2 Quod si recurras ad negationes, dicendo quod ens reale denominatur intrinsecè possibile à negatione repugnantiæ ad existendum. Contra est primò, quia negationes omnes obiectiuas inferius reijciemus. Contra secundò, quia repugnantia idem est ac impossibilitas, seù negatio possibilitatis, ergo si possibile habetur à negatione repugnantiæ, habebitur à negatione negationis repugnantiæ, quod dici non potest.

3 Si verò dicas possibilitatem rei intrinsecam haberi, vel ab existentia rei, vel ab eius negatione defectibili. Contra eodem modo est primò, quia omne esse negationibus adimemus. Contra secundò, quia vel ex hoc capite negationes istæ reijciendæ sunt, nè scilicet dicamus necessariò dari debere aliquid, vel positiuum, vel negatiuum distinctum à Deo, cum longè congruentius sit dicere Deũ ita se posse esse contentum, vt totum, quod est, sit Deus.

4 Quare possibile erit denominatio totaliter extrinseca à sola omnipotentia Dei primò, quia nihil extra illum est posibile positiuum, vel negatiuum, per quod habeatur. Secundò quia per hoc præcisè, quod aliqua causa intelligatur præcontinere in sua virtute aliud, hoc intelligitur possibile. Tertiò, quia de conceptu rei merè possibilis est, quod nihil illius sit actu, ergo non est cur quidquã actuale quæramus, per quod res intrinsecè habeat esse possibile. Quarto chimæram esse impossibilem

lem, neque est denominatio intrinseca ab aliquo positiuo, neque ab aliquo negatiuo contingenti, vt per se patet, neque ab aliquo negatiuo necessario, quia ex peculiari capite negationes necessariæ reiiciuntur, ergo neque ens reale denominabitur possibile ab aliquo sibi intrinseco. Neque verò necesse est, quod id, quod denominatur possibile, habeat aliquod esse, de quo verificetur denominatio possibilis. nam actualis existentia alterius mundi prout actualis denominatur cognita, etiam si prout actualis nullum esse sibi intrinsecum habeat.

5 Dices primò. Si esse possibile esset denominatio à sola omnipotentia Dei, non posset assignari cur Antichristus, non verò chimæra sit possibilis. Respondeo Antichristum non verò chimæram esse possibilem, quia omnipotentia Dei realis, non chimærica, est talis, vt possit ponere Antichristum non chimęram. Quod si quęras vnde nobis innotescat, quod aliquid possit, & non posit fieri ab omni potentia Dei, Dico hoc nobis innotescere ex eo quod si concedamus rem aliquam existere, non propterea cogatur deindè intellectus ad concedendas duas propositiones contradictorias.

6 Dices secundò Sanctus Thomas 1. p. q. 25. art. 3. docet aliquid dici posibile, vel imposibile ex habitudine terminorum, alioquin *erit circulatio in manifestatione omnipotentiæ, cum quærenti cur aliquid sit possibile; respondemus, quia Deus potest illud facere, & si rursus quæratur cur Deus possit illud facere, respodemus, quia est possibile*. Respondeo Sanctum Thomam per hanc habitudinem non potuisse intelligere aliquid habens esse independenter ab intellectu, quia imposibile nullā habet habitudinem independenter ab intellectu, & tamen etiam de imposibili docuit, quod habetur ex habitudine terminorum. Solum ergo voluit Sanctus Thomas, quod fundamentum, quod nos habemus ad dicendum, quod Deus posit, vel non posit aliquid facere, sit comparare inter se terminos v. g. Chimæram, & ens. quod si inter hos terminos appareat habitudo repugnantiæ, eo quod chimæra excludat ens non poterit chimæra fieri à Deo potente facere quidquid non est simultas entis, & nō entis. Quod verò à Deo non posit fieri simultas entis, & non entis, non arguit in Deo vllam impotentiam; illud enim dicitur impotens producere aliquid, quod non continet perfectionem illius, cum ergo simultas entis, & non entis non sit vlla perfectio, non nisi impropriè dicetur Deus impotens illam producere, ideòque, docet Sanctus Thomas loco citato *Conuenientius dicitur quod impossibilia non possunt fieri quam quod Deus ea non possit facere*.

7 Dices tertiò verificatiuum huius propositionis *Antichristus est possibilis* non potest esse omnipotentia Dei, quia verificatiuum debet esse obiectum talis propositionis; Respondeo, quod sicuti hæc propositio. *Antichristus est cognitus* verificatur per cognitionem, à qua Antichristus denominatur cognitus, importatam in obliquo per prædicatum *cognitus*, ita quod Antichristus sit posibilis verificatur per omnipotentiam Dei, quæ est obiectum importatum in obliquo per prædicatum *possibilis*.

CAPVT QVARTVM.

De Ente existente.

1 SIcuti essentia rei est id, per quod respōdetur interroganti *quid res est* præscindendo ab hoc quod talis entitas existat, vel non existat; ita nomine existentiæ venit id, per quod formaliter res actu existit; ex quo reijciuntur ij, qui nomine existentiæ intellexerunt actionem productiuam, & conseruatiuam rei; actio enim est id, quo effectiuè res existit, existentia, verò est id, quo formaliter res existit, & quod effectiuè per actionem ponitur. Dubitatur ergo an existentia rei hoc modo explicata distinctione aliqua independenter ab intellectu, distinguatur ab eiusdem rei essentia. Sed respondendum est negatiuè nullū enim inter essentiam, & existentiam est realis distinctionis signum ex his, quæ attulimus vbi egimus de rerum distinctione; ideòque sicuti res, ita distinctiones rerum sine positiuo fundamento multiplicari non debent. Neque dicas essentias rerum esse necesarias, & ab æterno, existentias vero contingentes, & in tempore; nam ab æterno nihil aliud fuit, nisi essentia posibilis, seu posibilitas essentiæ, atque hæc non intrinseca, sed merè extrinseca ab omnipotentia Dei, vt vidimus capite superiori,

2 Dices hæc propositio *Homo est animal rationale* est necessaria, & æternæ veritatis; ergo verificatiuum illius debet esse necessarium, quod esse non potest nisi essentia necessaria, quæ sit distincta ab existentia contingenti. Respondetur etiam hanc propositionem *chimæra est impossibilis* esse æternæ veritatis; cum tamen formale verificatiuum illius esse non possit aliqua imposibilis essentia chimæræ, quæ nullo intellectu cogitante habeat aliquod esse, si enim dicas verificari formaliter per essentiam imposibilem; esse imposibile nullum est esse nisi per terminum omninò distrahentem. Sicuti ergo nihil datur, per quod formaliter verificetur hæc propositio *Chimæra est imposibilis*; ita non est necesse quod quidquam detur, per quod formaliter verificetur hæc propositio: *Homo est animal rationale*; vtraque enim quasi efficienter satis verificatur per omnipotentiam Dei non potentem facere hominem, qui non sit animal rationale, nec potentem producere chimæram. Ratio autem cur propositiones de essentijs rerum non requirant ad sui veritatem, quod detur aliquid extra intellectum,

lectum, per quod formaliter verificentur, est quia cum posit res aliqua, licet nullum habens esse actuale in re, habere tamen esse actuale obiectiuè in intellectu eo modo, quo paulò post explicabimus agentes de ente rationis metaphysico, & posit per duos conceptus res eadem cognosci; si id, quod per vnum conceptum cognoscitur, positum a parte rei, esset idem cum eo, quod cognoscitur per alium conceptum, propositio affirmans, & componens obiectum vnius conceptus cum obiecto alterius est vera, & necessariò vera; ergo id quod habet tantum esse obiectiuè per vnum conceptum si poneretur à parte rei, esset idem cum eo, quod habet tantum esse obiectiuè per alium oonceptum. Ex hoc autem conditionato nihil ponente in esse malè arguitur, quod essentiæ rerum absolutè loquendo habeant aliquod esse necessarium distinctum ab earum existentia. Quare propositiones de rerum essentijs tam affirmatiuè, quam negatiuè sunt æternæ veritatis, quia æquiualent conditionatis non requirentibus ad sui veritatem quidquam actuale, ideòque idem æquiualenter est dicere: Homo essentialiter est animal rationale. Homo non est equus, ac dicere: si ponatur à parte rei Homo, necessariò erit animal rationale, non equus.

4 Reijcitur etiam distinctio essentiæ ab existentia, quia ipsa existentia superaddita, prout talis est, non est nihil, ergo est aliquid, ergo est ens, ergo habet suam essentiam, ergo aliqua essentia non distinguitur ab existentia, quod idem dicendum erit de qualibet alia essentia. Similiter de ipsa existentia superaddita fieri possunt propositiones æternæ veritatis, v. g. quod sit possibilis, quod sit contingens, &c. ideòque de essentia, & prædicatis necesarijs ipsius existentiæ redibunt omnia argumenta, quæ possunt fieri ad probandam distinctionem essentiæ ab existentia.

4 Dices esse proprietatem Dei, quod ipse sibi sit suum esse, & quod de eius essentia sit existere. Sed respondeo esse proprietatem Dei, quod sit suum esse necessarium semper actu existens, & independens, similiter existentia est de essentia solius Dei, quia solus Deus semper, & necessario existit, cum quo benè stat, quod creatura contingenter existat, ita tamen, vt quando existit eius essentia, non distinguatur ab existentia. Neque verò licebit ex his inferre, quod existentia non posit esse donum Dei, si non distinguatur ab eo, cui donatur, nam cum quidquid est, sit donum Dei, ne procedamus in infinitum, debemus tandem deuenire ad aliquid, quod physicè loquendo non sit donum, nisi intransitiuè. Primum ergo donum inintransitiuè collatum creaturæ, dico esse essentiam, & existentiam indistinctam, cui deindè alia dona transitiuè conferuntur.

5 Subsistentiam in homine realiter à natura distingui colligunt Tgeologi ex eo, quod Concilia definierint non mansisse in natura humana Christi Domini subsistentiam creatam; à paritate verò hominis in alijs etiam substantijs hæc est admitenda tanquam modus substantialis distinctus, & vltimè terminans substantiam. Pro varietate subiectorum diuersimodè appellatur; supositum enim dicitur in omnibus, personalitas verò, & hypostasis solùm in naturis rationalibus. Plura de hac re non dicimus, ne ad Theologica diuertamus.

CAPVT QVINTVM.

De Proprietatibus Entis.

1 ENS non potest habere vllam proprietatem à se physicè profluentem, quia nihil dari potest, quod ab ente realiter distinguatur. Siuè enim accipiatur ens in latisima significatione pro ente intelligibili, siuè accipiatur strictius pro solo ente reali, nulla potest esse proprietas entis intelligibilis, quæ non sit intelligibilis, ideòque ab ente intelligibili indistincta & nulla potest esse proprietas entis realis, quæ non sit realis, & indistincta ab ente reali. Solæ ergo proprietates metaphysicè possunt enti conuenire, hæ recensentur tres, Vnitas, Veritas, Bonitas. Quamuis enim sex numerentur prædicata transcendentia comprehensa in illa voce summulistica, *Reuban*, quia tamen nec res differt ab ente, nec aliquid ab vno, tria solum prædicata, vnum scilicet, verum, ac bonum remanent, quæ omni enti conueniant.

2 De vnitate, & vno satis egimus initio vniuersalium; ab illius tamen paritate proportionaliter explicanda est bonitas, & veritas trascendentalis, de qua hic loquimur. Bonitas enim moralis, & veritas prædicamentalis propositionum ad hunc locum non spectant. Veritas ergo transcendentalis consistit in conformitate rei cum cognitione, & idea perfectisima, atque infallibili, quam Deus habet de tali re ideò enim aurum est verum aurum, quia est conforme ideæ, & cognitioni diuinæ de auro, à qua tanquam à mensura mensuratur. Hinc Aurichalcũ dicitur verum Aurichalcum, sed falsum aurum, quia conformatur cognitioni, quam Deus habet de Aurichalco, sed non conformatur cognitioni, quam Deus habet de auro: sicut enim id quod est simile vni est alteri diuerso disimile, ita quodlibet ens, quod est verum tale ens, quia non conformatur ideę, quam Deus habet de tali ente est falsum aliud ens, quia non conformatur ideæ quàm Deus habet de alio ente. Ex quo infertur, quod sicuti vnum est id, quod non habet plura secum identificata, ita verum est id quod non habet secum identificatum, aliquid falsum, seu aliquid difforme illi cognitioni, & ideæ diuinæ, cui ipsum conformatur. Sic aurum est verum aurum, quia non habet secum identificatum aurichalcum,

cum, seu aliud quidquam difforme ideæ, quam Deus habet de auro, quale est quidquid non est aurum.

3 Similiter bonitas transcendentalis consistet in conformitate rei cum Diuina volitione volente talem rem; ideò enim aurum est bonum aurum, quia est conforme volitioni diuinæ volenti aurum, à qua volitione tanquam à mensura mensuratur bonitas auri. Hinc aurichalcum dicitur bonum aurichalcum, sed malum aurum, quia conformatur volitioni, quâ Deus vult, & ponit aurichalcum, sed non conformatur volitioni, quâ Deus vult, vel potest velle aurum. Quare aurum erit bonum aurum, quia non habet secum identificatum quidquam difforme volitioni Dei volentis aurum. Ex his autem patet cuique enti conuenire vnitatem, & bonitatem sic explicatam, quodlibet enim ens est conforme cognitioni, & volitioni Diuinæ de tali re, nec habet secum identificatum aliquid illis difforme.

4 Sicut ergo vnitas est negatio diuisionis in se, ita veritas est negatio falsitatis in se, & bonitas est negatio malitiæ in se, seù secum identificatæ. *Falsitatis*, inquam, & *malitiæ*, hoc est rei difformis cognitioni, vel volitioni Diuinæ, vt explicuimus. Præterea sicuti negatio, quam dicit vnitas est negatio fundamentalis indistincta ab ente, quod est vnum, & negans aliquid impossibile, ita similiter dicendum est de negatione, quam dicit veritas, & bonitas.

CAPVT SEXTVM.

De Ente substantiali, & accidentali.

SECTIO PRIMA:

An dentur accidentia realiter distincta à substantia?

1 Dari accidentia realiter distincta à substantia constat primò ex Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo remanent accidentia, destructa tota substantia panis, & vini. Ex Florentino enim, Lateranensi, & nouissimè ex Tridentino sessione VIII. canone secundò habemus. *In Sacrosancto Eucharistia Sacramento fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini* Quamuis autem in his Concilijs accidentia vocentur species, tamen & omnes Theologi per species intelligunt accidentia, & ab alijs Concilijs expresè vocantur nomine accidentium.

2 Præterea constat dari in nobis intellectiones, volitiones, & sensationes, quæ non sunt nostra substantia, & constitutiuum nostri. Pariter idem lignum ex frigido fit calidum, Aër ex tenebroso fit lucidus; hæc autem, & alia innumera explicari non possunt sine accidentibus à rerum substantia distinctis:

3 Dices primò Calorem, v. g. in terra esse agitationem particularum terrestrium, quas radij solares diuersimodè agitant, & varijs modis huc illuc impellunt. Sed contra primò: vel vis motum esse causam caloris, vel esse calorem formaliter. Primum non est ad rem; secundum est falsum, nec vllo modo probari potest; imò dum accidentia negas, admittis motum, qui cum non sit substantia rei, quæ sine motu integrè permanet, erit accidens. Contra secundò, si calor haberetur formaliter per motum, quando ferrum maximè calefit, eius particulæ maximè agitarentur, ideòque ferrum discontinuaretur. Præterea talis agitatio, & motus deberet cadere sub sensus. Licet enim motus vnius particulæ de se seorsim fugeret sensus, non tamen esset cur motus omnium simul videri non posset, si daretur.

4 Dices secundò, accidentia; quæ remanent in Sanctissima Eucharistia esse corpuscula, quæ prius continebantur in panis substantia, quæ perijt. Sed contra primò, quia corpuscula ista non essent nisi nomine tenus accidentia; verè enim essent entia completa, & per se subsistentia, nec de illis verificaretur, quod miraculosè sine subiecto conseruentur à Deo supplente in genere causæ efficientis concursum materialem subiecti; nullum enim esset miraculum conseruatio corpusculorum, quæ sint entia per se completa. Contra secundò, quia admittendum est aliquid per quod formaliter hæc corpuscula essent in poris, cum enim possent esse corpuscula, & pori, nec tamen corpuscula esse in poris, hoc quod est esse in poris, est aliquod accidens modale. Admittenda præterea sunt accidentia realia, intellectiones, volitiones, &c.

5 Dices tertiò in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento remanere solùm accidentia intentionalia, ordinata scilicet ad operationes intentionales, existentia in aere, & ambientia Corpus Christi Domini. Sed contra primò, quia hæ species intentionales non manent sine subiecto, sed recipiuntur in aere tanquam in subiecto, contra id quod definit Ecclesia. Contra secundò, quia Ecclesia definit

Christum Dominum esse sub singulis partibus specierum, non esset autem sub illis, nisi quatenus à superfici: aëris ambientis cingeretur.

6 Dices quartò, si pluma circa nares leuiter ducatur; sentimus quandam titillationem, quæ nihil est in pluma, sed solùm est talis sensatio, ergo idem poterimus dicere de calore, dulcedine, &c. Sed contra primò, quia nunquam ex multiplici, varioque tactu plumæ fieri potest sensatio caloris, dulcedinis, &c. Contra secundò, quia in pluma id quod causat talem sensationem, sunt talia accidentia, quæ, quia in alijs corporibus non dantur, non possunt talem sensationem causare. Contra tertiò, quia cognitiones, & volitiones non possunt saluari per meras congregationes corpusculorum; tum quia cognitiones, &c. possent dari etiam in rebus inanimatis, tum quia cognoscere, & amare de suo conceptu est agere, non merè pati; tum etiam quia motus localis fit in tempore, cognitio instantaneè; tum demum, quia per hos actus iteratos acquirimus facilitatem, quæ debet esse quid accidentale acquisitum, vt videbimus.

SECTIO SECVNDA.

Per quid differat substantia ab accidente.

1 CVM duo entis genera sint admittenda substantiale nimirum, & accidentale, quæritur per quid differant inter se, quamuis enim definiatur substantia, esse ens per se: Accidens verò ens in alio, difficultas tamen est in explicando quid sit *esse per se* conueniens solis substantijs, quid verò *esse in alio*. Cum enim tam forma equi, quam eius calor sit in materia, cur forma equi est substantia, non calor? Primò ergo non rectè dicitur differre accidens à substantia per hoc, quod accidens, non substantia sit inhæsiuè in subiecto, esse enim inhæsiuè in subiecto, & ab illo sustentari, conuenit etiam formis substantialibus materialibus.

2 Malè etiam explicatur conceptus substantiæ per hoc, quod sit radix subsistentiæ: Tum quia subsistentia distincta non innotuit Aristoteli, cui tamen innotuit ratio substantiæ; tum quia explicatur substantia per subsistentiam ignotiorem; tum etiam quia cum ipsa subsistentia sit substantialis, de ipsa redibit quæstio quid habeat peculiare, ratione cuius sit substantialis. Adde quod assignandum esset, cur potius forma equi v. g. quam quantitas sit radix subsistentiæ, & subsistentiam fundet.

3 Quod si dicas substantiam esse, quę constituit primum conceptum rei, seu primum conceptum illius, quod communiter dicitur *res*. Contra est, quia etiam concretum accidentale dicitur communiter res. Sic dicitur quis rem pulcram emisse, quia emit statuam, picturam, &c. Pariter cur aqua dicitur res non verò nix? si enim vtrique conuenit ratio entis, vtrique conueniet ratio rei conuertibilis cum ente. Quod si dicas accidenti conuenire solum esse entis ens; verum dices: Sed quid habet peculiare substantia, ratione cuius dici debeat ens, & res; Accidens verò nequaquam.

4 Demum si dicatur substantia esse prima radix cæterorum: Contra est primò, quia substantia est quid substantiale, nec tamen est prima radix, sed supponit aliam primam radicem, à qua profluit; Quamuis autem substantia non innotescat nobis, nisi ex principijs fidei; posito tamen quod illam nouerimus, talem substantiæ conceptum debemus assignare, qui etiam illi conueniat. Contra secundò, quia habitus supernaturales sunt prima radix actuum supernaturalium, nec tamen sunt substantia.

5 Dicendum ergo est substantiam esse id, quod in quolibet supposito propter se primariò intenditur à natura, seù quod non intenditur propter aliud, à quo adæquatè distinguatur. *Dixi in quolibet supposito*, quia aliqua intenta à natura propter aliud, possunt esse substantialia, si in supposito illo, in quo sunt, propter se primariò sint intenta; sic terra v. g. licet intenta propter hominem, adhuc tamen est substantia, quia in hoc supposito terræ propter se primariò intenta est. Ad hoc autem, vt aliquid sit propter se intentum, requiritur, quod non sit intentum propter aliud, à quo adæquatè distinguatur, sic albedo est accidens, quia est intenta propter totum, à quo adæquatè distinguitur. E contra vnio inter materiam, & formam substantialem est substantialis, quia licet intenta sit propter totum, a toto tamen non distinguitur adæquatè, sed est pars constitutiua totius: ideòque est pars illius, quod est primariò propter se intentum; idem dicendum de materia, & forma, quæ intenduntur propter totum, à quo non distinguuntur adæquatè. Consonat hæc explicatio Aristoteli qui 7. met. cap. 1. ait substantiam esse, *quo primò est ens*; primitas autem intentionis certum est, quod cuicunque substantiæ conuenit. Dum verò capite de substantia dixit Aristoteles substantiam de nullo subiecto prædicari, locutus est de substantia prima, seù singulari, vt inferius videbimus, quod non facit ad rem præsentem.

6 Sed adhuc superest vlterius explicandum quidnam in quolibet supposito existimandum sit fuisse propter se intentum a natura: Dicendum ergo est: quidnam in alijs suppositi sit propter se intentū à natura esse scibilem per analogiam ad id, quod tale scimus esse in nobis. Sic Aristoteles volens explicare materiam primam docuit illam esse scibilem per analogiam ad materiam rerum artificialium. Porrò quilibet cognoscit se ipsum, & ita de se dicit *Ego* vt se ipsum bene sciat distinguere à suis, seu ab alijs omnibus, de quibus dicit hæc sunt propter me: Illud ergo, quod in quolibet suppo-

supposito correspodet pronomini *Ego*, seu quod in quolibet supposito se habet proportionaliter ad id, quod in nobis scimus esse nos, erit primariò, & propter se intentum, ideoque erit substantia; reliqua verò erunt accidentia.

7 Ratio verò cur primariò intentum à natura sit id quod in quolibet suppposito correspondet pronomini *Ego*, est quia illud dicendum est fuisse ab auctore naturæ primariò intentum, quod est primariò intendibile; illud autem est tale, quod quælibet res debet rationabiliter primariò intendere; hoc autem illud profectò erit, de quo res quælibet posset dicere *Ego*, si posset hoc pronomen vsurpare, seu quod proportionaliter se habet ad id, quod in nobis scimus esse *Ego*. Quare sicuti in nobis materia, forma, vnio, & subsistentia sunt id, de quo dicimus *Ego*, ita hæc omnia tam in nobis, quam in alijs entibus naturalibus erunt substantialia; reliqua verò accidentalia.

CAPVT SEPTIMVM.

De Ente infinito.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit infinitum.

1 INfinitum in rebus habentibus partes definitur ab Aristot. 3. Phys. tex. 63. *Id ex quo secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est*. Vt autem hæc definitio sit propria infiniti intelligenda est, quod secundum quantitatem accipientibus per partes æquales vni certæ, in ea ratione in qua fit acceptio, seù diuisio, non communicantes, & eiusdem rationis cum toto, semper sit aliquid vlterius, & vlterius acceptibile.

2 Et quidem si quælibet vlterior semper, ac vlterior acceptio satis esset ad infinitum, quælibet quantitas esset infinita; ex quantitate enim palmari, v. g. sunt acceptibiles partes proportionales, minores scilicet, ac minores, non tot quin plures in infinitum. Partes ergo non tot quin plures in infinito acceptibiles debent esse æquales vni certæ, ac determinatæ, nec communicantes, sed tales vt vna sit adæquatè extra aliam, aliter quantitas bipalmaris esset infinitè extensa, cum in ea non tot quin plures palmi communicantes designari possint.

3 Præterea partes non tot quin plures acceptibiles ex infinito debent esse æquales vni certæ in ea ratione, in qua fit diuisio, aliter columna v. g. altitudinis decem palmorum, & diametri palmaris esset infinitè extensa, cum si diuidatur per longum accipi possint non tot quin plures partes circulares, & habentes æqualem diametrum palmarem; ideò ergo huiusmodi columna non est infinita, quia partes quæ accipiuntur sunt æquales in latitudine; diuisio verò fit secundum longitudinem.

4 Demum debent esse partes commensurabiles, & eiusdem rationis cum toto: Punctum enim est incommensurabile, & diuersæ rationis à linea, linea incommensurabilis cum superficie, superficies cum corpore, & angulus contingentiæ (qui scilicet fit à linea recta tangente circumferentiam) est incommensurabilis cum angulo rectilineo, ideòque licet angulus contingentiæ infinities replicatus adæquari non possit cum vllo quamuis minimo angulo rectilineo; & punctum infinities multiplicatum adæquari non possit lineæ, nec linea superficiei, &c. non tamen linea, nec angulus contingentiæ sunt infinita, quia scilicet sunt diuersæ rationis, & linea est incommensurabilis cum superficie, punctum cum linea, &c.

5 Infinitum aliud est infinitum negatiuè, quod scilicet vel nullam habens entitatem, nullum etiam habet finem, & tale est chimæra, & negatio; vel quia licet habeat entitatem nullas tamen in illa habet partes, & tale est punctum; Aliud est infinitum positiuè, & hoc rursus aliud est infinitum secundum essentiam & perfectionem; & hoc iterum vel in omni, vel solum in aliqua perfectione. Aliud est infinitum in quantitate, & hoc aliud est infinitum in numero, aliud in extensione, aliud in intensione, aliud in duratione.

6 Demum infinitum celebri diuisione diuiditur in syncathegorematicum, & cathegorematicum. Primum est id quod partim est actu, partim potentia, seu de quo non verificatur quod totum sit actu positum, sed semper remaneat aliquid illius possibile, ideòque dicitur finitum in infinitum, quia id quod ponitur non est nisi finitum, semper autem remanet plus, & plus ponendum. Infinitum cathegorematicum est, quod est totum actu, non quod ad illud requiratur coexistentia omnium suarum partium, sed quod de illo verificetur aliquando quod sit totum actu positum, siue deinde eius partes coexistant, siue non.

SECTIO SECVNDA.

An sit possibile infinitum chathegorematicum in rebus diuisibilibus.

1 DAri infinitum syncathegorematicum est certum, tales enim sunt creaturæ possibiles, de quibus verificatur quod partim sint actu positę, partim possibiles in infinitum. Quodlibet autem infinitum cathegorematicum quantitatiuum tam in numero, & extensione, quam intensione, & duratione, dicimus implicare; Quod probatur primò de infinito in numero ex eo quod numerus infinitus esset maximus, & non maximus, seù contineret, & non contineret omnem numerum.

2 Et primò quod non esset maximus probatur, tum quia illud non est maximum, quod ab alio exceditur, numerus autem infinitus hominum excederetur à numero capillorum: tum quia si daretur infinitum oculorum constans ex oculis dextris, & sinistris, numerus oculorum tantum dexterorum, vel esset finitus, vel infinitus, non finitus, quia per vnicam additionem alterius numeri oculorum sinistrorum, qui pariter esset finitus, non posset fieri infinitus. Quod si dicas fore infinitum sequitur, quod numerus infinitus non sit maximus, quia hic numerus infinitus oculorum dextrorum excederetur ab infinito oculorum destrorum simul, & sinistrorum.

3 Quod verò numerus infinitus esset maximus (quę erat altera pars contradictionis probandæ) probatur, quia ille est numerus maximus, qui continet omnes species, & omnia indiuidua numerorum; quinam enim erit nemerus maximus, si hic non est? atqui numerus infinitus contineret omnes species, & omnia indiuidua numerorum, contineret enim denarium, centenarium, millenarium, &c. quod si aliquam numeri speciem non contineret, tuum est assignare quænam esset; pariter contineret omnia indiuidua numerorum, si enim vel vnum non contineret, non contineret omnes species, quodlibet enim indiuiduum additum facit nouam speciem numeri.

4 Constare ergo videtur quod de ratione infiniti sit esse maximum, continens scilicet omnia, quod quia implicat, implicabit infinitum. Quod vlterius suadetur ex infinito in pesectione, quod vnicum datur, & est maximum, ita vt si illi vel minima fieri posset additio, non esset infinitum. Porrò ex repugnantia infiniti in numero patet repugnantia cuiuscunque alterius infiniti quantitatiui, in infinita enim extensione designabilis esset infinitus numerus palmorum maximus, & non maximus, in infinita graduū intentione numerus infinitus graduum, &c. Neque dicas in infinito non habere locum hoc quod est esse maximum, nam de Deo, quia est infinitus, dicimus, quod sit maximus, & si hoc quod est esse maximum, seu continere omnia, non habet locum in infinito, in nullo habebit locum.

5 Repugnantia infiniti cathegorematici probari etiam potest ex eo, quod pars esset æqualis toti, infinitum enim oculorum destrorum, quod esset pars, esset æquale infinito constanti ex oculis dextris & sinistris, quod esset totum. Ideò autem essent ęqualia, quia vtrumque infinitum contineret infinitas infinitates infinitarum oculorum in infinitum, & vtrumque corresponderet eidem tertiò, eidem scilicet æternitati a parte post.

6 Dices æquale, & inæquale, maius & minus non esse terminos aptabiles infinito, cum competant solum rebus habentibus fines, & terminos. Sed contra primò, quia si daretur infinitum hominum, animæ essent æquales corporibus eo quod animæ non excederent, neque excederentur à corporibus. Contra secundò, in Symbolo Sancti Athanasij dicitur quod personæ Diuinę *coæterna sibi sunt, coæquales*. Contra tertiò; si infinitum in quantitate esset quantum, ergo esset tantum, ergo si infinitum oculorum dexterorum esset tantum, quantum esset infinitum ex oculis dextris, & sinistris, vnum esset æquale alteri. Demum verè dicimus finitum non esse tantum quantum est infinitum: ergo hi termini aliquo modo aptantur etiam infinito.

7 Dices iterum infinitum oculorum dexterorum, & sinistrorum, quod est totum, respectu infiniti ex oculis dextris solis esse illo minus quo ad continentiam, eo quod vnum continetur in alio, sed non esset maius, quoad correspondentiam, eo quod vtrumque correspondere posset eidem tertiò; v. g. æternitati à parte post. Sed contra primò, quia si corresponderent, & essent æqualia eidem tertiò, essent etiam ęqualia inter se. Secundò implicat duo æquè correspondere eidem, & tamen vnum esse partem alterius, seu ab altero contineri.

8 Atque hinc infertur alia contradictio in infinito, quod nimirum correspoderet, & non corresponderet eidem tertiò. Sint enim infiniti homines habentes singuli vnum annulum inscriptum suo nomine; hi verò proijciant omnes simul suum annulum in vnum cumulum, quo facto quæro, vel simul tempore quilibet ex infinitis illis hominibus posset resumere duos annulos, vel non. Quod possit, implicat; idem enim annulus esset penes duos. Si non posset, ergo vnitates, quæ sunt in infinito annulorum correspodent infinito hominum; binarij verò, qui sunt in eodem infinito annulorum non correspondent, sed exceduntur ab infinito hominum; sed in infinito tam vnitates, quam binarij debent esse infinita, vt per se patet, ergo infinitum binariorum, quod est infinitum contentum non

non correspondet eidem tertiò, cui correspondet infinitum vnitatum, quod est infinitum continẽs ergo non solum quoad continentiam, sed etiam quo ad correspondentiam vnum infinitum est minus alio.

9 Præterea in infinito in numero non quælibet numeri species in illo contenta esset infinita, binarius enim, ternarius, &c. essent species finitæ contentæ in numero infinito. De speciebus ergo finitis contentis in numero infinito peto an sint finitæ, vel infinitæ, si dicas esse finitas; Contra est quia si species finitæ sunt infinitæ, iam inter illas continebitur aliqua species infinita, ideòque non assignas solas species finitas, quas solum ego peto: si verò dicas esse finitas. Contra est quia in illis daretur vltima, quod enim est finitum habet vltimum, atque hæc vltima species esset vltima ex suppositione, non esset vltima, quia si huic speciei addatur vnica vnitas, fit noua species vlterior, nec nisi finita, ergo prior species, quæ supponebatur vltima, non esset vltima.

10 Idem argumentum fit contra infinitum in extensione; in linea enim ex hoc puncto infinitè extensa versus Orientem, v. g. non omnes palmi distarent ab hoc puncto infinitè: De palmis ergo infinitè solum distantibus peto vtrum sint finiti, vel infiniti; non infiniti, quia aliquis distaret infinitè contra hypothesim. Non finiti, quia daretur in illis vltimus; hic autem esset vltimus finitorum ex suppositione, & non esset vltimus, quia palmus immediatè sequens non distaret nisi finitè.

11 Probatur demum, ne plura congeramus, repugnantia infiniti in extensione, ex eo quod si duæ lineæ rectæ facientes angulum protendantur, quò magis protenduntur eo magis inter se distãt, ergo si protendantur in infinitum distabunt infinitè, ergo dabitur infinita distantia clausa duobus terminis. Hoc autem repugnat primò, ex ipsa notione infiniti, cuius est excludere fines, & terminos. Secundò ex Aristot. qui primò Cæli, tex. 39. docet *Lineam cuius finis est, impossibile est esse infinitam*; ex quo infert nullum corpus figuratum vtpotè terminatum posse esse infinitum. Tertiò demum, quia si daretur superficies longitudinis infinitæ, ac terminatæ, sed nullibi habens latitudinem plusquam palmarem, hæc superficies nullibi erit latior quam per palmum iuxta hypothesim, & simul erit alicubi infinitè lata: Si enim intelligatur habens lineam transuersalem ab angulo versus alium elongatur, eò maiorem distantiam designat in área, quam claudit, si ergo ab vno angulo versus alium elongatur infinitè, designabit alicubi distantiam infinitam, cum distantia crescat non geometricè, sed arithmeticè, & æqualiter ad elongationẽ. Ex 4. 6. Euclid.

12 Præcipuum argumentum ad probandum infinitum cathegorematicum desumitur ab aduersarijs ex infinito obiectiue in mente Dei. Si enim Deus cognoscit omnes Angelos, v. g. & homines possibiles, hi non erunt finiti, sed infiniti. Contra infinitos ergo homines cognitos à Deo redire videntur argumenta superius à nobis facta, quod scilicet numerus infinitus hominum possibilium cognitorum à Deo sit maximus, quod capilli sint plures, & non plures quam homines, &c. Sed dicendum est omnes, v.g. homines possibiles cognosci à Deo distributiuè non verò collectiuè, seu sub vnica collectione complectente omnes homines possibiles; quamuis enim distributiuè, & per plures, & plures collectiones cognoscat & hunc, & hunc, & hunc hominem possibilem, & sic de singulis indiuiduis, & singulis collectionibus, percurrendo distributiuè omnes, non tamen cognscit omnes sub vna collectione complectente omnes homines possibiles, ita vt vltra comprehensos sub tali collectione nullus alius homo sit possibilis; talis enim collectio complectens omnes homnes, vltra quos nullus alius sit possibilis, est chimæra, ideòque non est cognoscibilis à Deo vt quid possibile. Ex parte ergo cognitionis Diuinæ est omnimoda actualitas, & simultas: licet non ex parte obiecti cogniti, quod de sua essentia dicit potentialitatem maiorem semper, ac maiorem in infinitum, non aliter ac quando à Deo cognoscitur tempus essentialiter successiuum, successio tota est ex parte obiecti cogniti.

13 Et quidem hoc ab omnibus asserendum est etiam admissa possibilitate infiniti. Peto enim vtrum Deus cognoscat per modum vnius collectionis omnem, seu maximum numerum finitum. Si affirmes; Contra est quia assignato quolibet numero finito posset illi à Deo addi vnica vnitas, absque eo quod per illius additamentum fiat transitus à finito ad infinitum: Si verò neges dicere nobiscum debes nullum esse numerum finitum, qui distributiuè non cognoscatur à Deo, licet nullus cognoscatur collectiuè, de quo dici possit, hic est omnis numerus finitus, vltra quem nullus alius numerus finitus dari potest, talis enim collectio est chimæra. Idem dicendum de diuisionibus, quas Deus videt fieri à se posse in quantitate, de creaturis possibilibus, de creaturis perfectioribus in infinitum, de illarum destructionibus, & reproductionibus, &c.

14 Dices primo nulla cognitio futura Michaëlis non est cognita à Deo, ergo per æquipollentem: Omnis cognitio futura Michaëlis est cognita à Deo, ergo sunt omnes cognitæ collectiuè. Primò negando vltimam consequentiam, sicut enim nulla est cognita collectiuè, seu sub vna collectione, sed solùm distributiuè ita omnis est cognita, sed solùm distributiuè. Secundò propositionem vniuersalem negatiuam habentem negationem postpositam æquipollere vniuersali affirmatiuæ non nisi quãdo subiectum propositionis æquipollentis est capax syncathegorematis *omnis*, cuius non sunt capaces cognitiones futuræ per æternitatem.

15 Dices secundò Deus certificari debet, quod nulla sit cognitio futura Michaelis, quæ ab ipso non cognoscatur; sed non potest de hoc certificari nisi illas omnes collectiuè cognoscat, ergo &c. Minor probatur quia vt possit de hoc certificari non solum distributiuè debet dicere hæc cognitio cogno-

gnoscitur, hæc cognoscitur, &c. percurrendo singulas; sed præterea certificari debet, quod nulla alia sit cognitio præter illas, quas distributiuè cognoscit, dum autem dicit, nulla est cognitio præter istas distributiuè cognitas, iam omnes sub vna collectione complectitur, ideòque verè Deus cognoscit aliquod infinitum actu, & collectiuè. Sed contra est, quia hoc totum militat in numero maximo finito in creaturis possibilibus, alijsque infinitis sincathegorematicis. Contra, & directè, quia potest Deus ex duplici capite determinari ad dicendum, quod nulla cogitatio futura eum lateat. Primò ex obiecto, & tunc vt dicitur in obiectione deberet ab obiecto collectiuè cognito posse determinari ad dicendum, nulla alia est cogitatio præter istas, quas distributiuè cognoui: sed quia hoc est impossibile, ideò dicendum est Deum posse determinari ad dicendum, quod nulla cogitatio eum lateat ex eo, quod ipse sit certus de sua maxima perfectione in cognoscendo, quæ est talis vt nihil possit eum latere. E contra cum nos sciamus multa nos latere ad hoc, vt possimus dicere, quod nullus discipulus v. g. desit in schola debemus ad hoc determinari ab obiecto, ideòque postquam distributiuè affirmauimus de hoc, & de illo discipulo, quod nō desit, debemus ab obiecto determinari quod nullus sit alius discipulus præter illos de quibus per descensum distributiuum cognouimus; quod non desint. Quando ergo Deus cognoscit nullum hominem possibilem à se ignorari, non præterea omnes homines possibiles cognoscit collectiuè, sed solum distributiuè, quia non habet talem cognitionem, quæ dicat præter hos homines possibiles à me cognitos nullus alius est, quem nouerim, hi enim termini *præter*, *& nullus* designant collectionem.

16 Dices tertio si Deus cognoscit omnes homines distributiuè, ergo & collectiuè, sicuti quia singuli decem homines v. g. distributiuè sunt creaturæ; bene infertur quod omnes decem collectiuè sint creaturę. Hæc obiectio petit regulam vniuersalem quandonam valeat argumentari à distributiuo ad collectiuum: Ideòque dico tunc valere quando non plus infertur in consequenti collectiuè, quàm fuerat assumptum in antecedenti distributiuè. Quare si dicam materia est ens incompletum, forma est ens incompletũ, vnio est ens incompletum, ergo materia, forma, & vnio simul sunt ens incōpletum, illatio est, nulla, quia ratio incompleti prædicatur in antecedenti de materia solum; quatenus dicit negationem compartis, in consequenti verò prædicatur de materia simul cum comparte; ideòque plus, & diuersum quid affirmatur in consequenti, quod non fuerat affirmatum in antecedenti, hoc autem non accidit cum dico, hic homo est creatura, hic homo est creatura, &c. ergo omnes decem homines sunt creaturæ; hæc enim illatio valet, quia de homine prædicatur ratio creaturæ, non quatenus dicit negationem alterius, sed merè ratione suæ entitatis, quæ cum eadem, & eodem modo importetur per sensum collectiuum in consequentia, hæc vtique erit bona. In casu nostro verum est dicere. hic homo possibilis est cognitus, & hic, & hic distributiuè est cognitus, non tamen valet inferre ergo omnes homines possibiles sunt cogniti collectiuè, quia esse omnes homines possibiles cognitos collectiuè habetur per hoc, quod de illis Deus dixerit hi omnes homines possibiles à me cogniti, & nullus alius possibilis est à me cognitus præter illos. Hoc autem nunquam fuit affirmatum, nec potuit affirmari in cognitione singulorum distributiuè; neque enim cognoscendo Petrum v. g. possibilem vnquam dicit, vel dicere potuit Petrus possibilis est à me cognitus, & nullus alius possibilis est à me cognitus.

17 Ex his infertur, argumenta, quæ superius attulimus contra infinitũ cathegorematicum ita contra illud militare, vt nullo modo faciant contra Syncathegorematicum. Nam de hominibus cathegorematicè infinitis, & acceptibilibus sub vna collectione vltra quam non sit alius; sed totum ex tali collectione sit actu positum, bene peti potest, vtrum in tali collectione totaliter actuali sint, vel non sint plures homines, quam capilli, vtrum talis collectio sit, vel non sit maxima: At in infinito Syncathegorematico non acceptibili sub vna collectione solùm de singulis collectionibus finitis, & actualibus distributiuè sumptis fieri possunt dictæ interrogationes, ad quas tamen facile responderetur, quod secundum singulas collectiones actuales, & finitas semper sunt plures capilli, quam homines, quod nulla est maxima, &c. At secundum id quod dicunt de potentiali non sunt comparabiles in ratione excedentis, & excessi, cum non sint quid determinatum, neque sub vna collectione possibile, aut cognoscibile. Quare si petas, vel homines possibiles sunt tot, quot capilli possibiles vel non, vel sunt æquales vel non? Respondebo non esse tot, neque esse æquales; at non, quod sint, & sint non tot, vel sint inæquales, sed quia non sunt actu nec in se, nec in cognitione vt quid possibile, ideòque non sunt comparabiles in ratione excedentis, & excessi.

18 Alia argumenta pro infinito cathegorematico facilius soluuntur. Primò enim si dicas potentiam Dei infinitam debere esse talem, vt possit producere infinitum ad hoc, vt actus secundus correspondeat primò. Contra est quia potentia Dei est infinita non ex eo quod possit producere impossibile, quale vidimus esse infinitum, sed ex eo quod non possit excogitari maior illa, cum sit potens producere creaturas non solum successiuè, sed etiam simul non tot quin plures, & perfectiores, ac perfectiores in infinitum, similiter actus primus infinitus non est nec esse potest ad actum secundum infinitum, & actui primo adæquatum in infinitate, quia talis actus secundus est chimæra, ideòque potentia infinita est de actu secundo finito in infinitum perfectiori semper in infinitum. Demum si petas quot nam homines Deus poneret si crearet quotquot homines potest creare? Respondeo, vel vis quod Deus actu ponat quotquot homines potest ponere distributiuè, hoc est quotquot potest

ponere

ponere ita vt remaneant alij possibiles, & dico quod ponet centum v.g. vel mille: At si dicas quod actu ponat quotquot homines potest actu ponere collectiuè itaut nullus alius remaneat possibilis, petis quod Deus actu ponat quid chimæricum. Hoc autem ab omnibus dici debet de omni numero finito de omnibus creaturis possibilibus, de diuisionibus in quantitate, &c.

SECTIO TERTIA.

An possit à Deo poni infinitum cathegorematicum in perfectione.

1 AD infinitum in aliqua perfectione simplici, & carente partibus non satis est, quod ratione talis perfectionis res æquiualeat non tot quin pluribus distinctis perfectionibus assignabilibus, & æqualibus vni certæ; si enim hoc satis esset homo esset infinitè perfectus, quia cum inter hominem, & formicam v. g. sint possibiles non tot quin plures creaturæ perfectiores formica, & imperfectiores homine, homo habet æquiualere infinitis perfectionibus, quarum quælibet est maior perfectione certa, & determinata formicæ. Ratio autem huius rei est, quia per talem æquiualentiam fit augmentum perfectionis in homine non per partes arithmeticas, sed geometricas, idque ex eo, quod gradus perfectionis assignabiles, & distinguibiles in homine v. g. æquiualente, sunt inter se communicantes.

2 Sumatur enim exemplum in cognitione attingente simul centum obiecta, hæc quamuis æquiualeat centum distinctis cognitionibus, quarum quælibet non attingat nisi vnum obiectum, non tamen si cætera sint paria est centies perfectior, quam cognitio de vno tantum obiecto; quia in cognitione de centum obiectis hoc quod est attingere obiectum A, importat tantam perfectionem, non modo quatenus hæc cognitio exprimit tale obiectum A, sed etiam quatenus est tale ens reale, spirituale, vitale, &c. Sed hæc eadem prædicata, & perfectiones importantur ab hac eadem cognitione quatenus exprimit obiectum B. ergo hæc prædicata, & perfectiones sunt communicantes ita vt semper eædem accipiantur in hac cognitione, tam prout exprimente obiectum A, quam prout exprimēte obiectum, B, obiectum, C, &c. Quoties autem fit augmentum perfectionis per partes communicantes non fit augmentum perfectionis, nisi per partes minores, & minores, quod ad infinitum non est satis.

3 Hoc idem constat in moralibus, neque enim volitio de occidendis centum v. g. habet malitiā centies maiorem malitia volitionis de occidendo vno, si cætera sint paria; ipsa enim multiplicitas actuum auget malitiam, nec vnquam potest vnus actus simplex cæteris paribus propter meram tendentiam in plura obiecta esse ita bonus, vel malus, ac sunt multi actus distincti, quorum quilibet non tendat nisi in vnum obiectum, quia, vt diximus perfectiones formaliter distinguibiles in actu simplici, æquiualente pluribus distinctis sunt communicantes.

4 Cum ergo huiusmodi æquiualentia non sit satis ad infinitum in perfectione, non apparet ex quo alio capite desumi possit ratio infinitatis in perfectione simplici, nisi ex eo quod illud sit in omni, vel in aliqua perfectione infinitum, quo maius in omni, vel in aliqua perfectione dari non potest. Verum quidem est hoc non importari formaliter in definitione infiniti, sed per bonas consequentias hoc ex illa deducitur vt constat tam ex modo dictis tum ex repugnantia infiniti quantitatiui superius allata; vidimus enim quod ad numerum infinitum habentem omnes conditiones requisitas in definitione infiniti, necesse foret, quod esset maximus, quod tamen esse non potest, quia dato quocumque numero excederetur ab alio.

5 Posito quod ad infinitum in omni, vel in aliqua perfectione hoc requiratur, benè infertur repugnare omne infinitum in perfectione. Quælibet enim perfectio creata est essentialiter dependens à Deo, & infinitè distans à simili perfectione existente in Deo, ergo similis perfectio existens in Deo est maior qualibet perfectione creata assignabili.

6 Hinc infertur pariter repugnantia creaturæ omnium perfectissimæ in omni, vel in aliquo genere perfectionis, quia talis creatura perfectissima neque posset esse infinita, cum hæc implicet, vt vidimus, neque finita quia aliqua perfectio finita esset terminus Diuinæ omnipotentiæ, quod repugnat de huius enim ratione est quod infinitis modis perfectioribus & perfectioribus sit participabilis, & sicuti producto quolibet numero finito alius, & alius semper est à Deo producibilis, ita producta quaubet perfectione finita alia semper maior, & maior remanet producibilis. Implicat ergo, quod aliqua perfectio creata sit adæquata mensura Diuinæ omnipotentiæ, mensura enim creata colligens actu omnem perfectionem possibilem est chimæra. Ita dicendum de creatura omnium imperfectissima, hæc enim similiter repugnat; adeòque sicut data qualibet modica extensione in quantitate dari potest minor & minor in infinitum, ita data creatura quantumlibet imperfecta dari semper poterit imperfectior.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Ente rationis Metaphysico.

1 ENS rationis metaphysicum definitur, id quod habet tantùm esse obiectiuè in intellectu. Pro cuius intelligentia, in qualibet nostra cognitione quamuis indiuisibili duo formaliter distinguenda sunt, vnum, quod se habet obiectiuè, aliud quod dici potest se habere subiectiuè. Illud dicitur se habere obiectiuè in intellectu, seu in cognitione, quod per talem cognitionem exprimitur; ipsa verò entitas cognitionis dicitur se habere subiectiuè in intellectu, quamuis enim tam id, quod se habet obiectiuè prout tale est, quam id quod se habet subiectiuè in intellectu verè subiectetur, cum realiter loquendo sit eadem simplex cognitio, quæ in intellectu subiectatur; in eadem tamen simplici cognitione de pariete, v. g. ex nostro modo concipiendi consideramus duo, ipsam scilicet entitatem cognitionis secundum prædicata, quæ habet communia cum alijs cognitionibus, & prout taliter considerata dicitur habere esse subiectiuè in Intellectu; & præterea consideramus ipsum parietem prout expressum, & existentem in cognitione, & hic dicitur esse obiectiuè in intellectu.

2 Porrò aliqua ita sunt obiectiuè in intellectu, vt præterea habeant suum esse, vel actuale, vel possibile; alia verò non habent nisi merum esse obiectiuè in intellectu, & merum repræsentari, & exprimi à cognitione. Quare ens rationis metaphysicum erit id, quod nec habet, nec potest habere aliud esse, quam cognosci, & esse obiectiuè in intellectu. Porrò dubitari hic potest, an quando cognitio aliqua reflexè cognoscit se ipsā, talis cognitio dici debeat habere tantùm esse obiectiuè in intellectu, sed respondetur quod cum talis cognitio sit cognoscens, & cognita non habebit tantum esse obiectiuè, sed esse obiectiuè, & subiectiuè, ideòque illi non conueniet definitio entis rationis.

3 Sic explicata definitione entis rationis quæritur, an verè cognosci possit ab intellectu aliquid impossibile, quod proinde habeat tantum esse obiectiuè in intellectu. Respondemus autem affirmatiuè, quod probatur primò tum experientia, tum quia dum disputamus de impossibili, debemus cōcipere id, de quo disputamus; tum etiam quia ex dictis vbi de præcisione obiectiua, tunc cognoscimus aliquid formaliter, quando habemus determinatiuum formale ad operandum formaliter, seu ad faciendas affirmationes, vel negationes de obiecto cognito; sed de impossibili possum dicere, quod non sit ens reale, quod implicet, &c. ergò verè cognoscitur.

4 Dices in cognitione de impossibili contineri virtuale iudicium, ita vt dum concipimus identitatem, v. g. inter hominem, & equum, non concipiamus nisi realia, hominem scilicet & equum; sed per implicitum iudicium falsò de homine dicamus, quod sit equus. Sed contra est primò, quia gratis, & contra omnem experientiam finguntur tot ambages ad explicandas cognitiones de obiecto impossibili. Secundò experior eodem modo à me concipi identitatem inter hominem, & equum, ac identitatem inter hominem, & animal: eodem modo à me concipi Verbum Diuinum æternum, ac Verbum Diuinum non æternum. Cur ergo cognitioni de Verbo Diuino æterno, de identitate inter hominem & animal respondet obiectum simplex, non verò alijs? Tertiò multa sunt, de quibus dubitamus, vtrum sint possibilia, v. g. vtrum sit possibilis creatura immultiplicabilis, si igitur diuersus esset modus cognoscendi possibilia à modo cognoscendi impossibilia, per experientiam, solius cognitionis nobis innotesceret, vtrum aliquid sit possibile, nec ne.

5 Ad probandum quod concipi possit aliquid impossibile desumi etiam solet argumentum ex propositionibus impossibilibus verificari, qualis est ista hæretica: *Verbum Diuinum est creatura*. Sic enim argumentantur: cum in hac propositione sit prædicatum, subiectum, & copula *est*, sicuti prædicato, & subiecto correspondent duo obiecta, ita etiam copulæ *est* debet correspondere aliud tertium obiectum, quod tertium obiectum si in propositionibus possibilibus verificari est identitas realis, in proportionibus impossibilibus verificari est identitas ficta, & impossibilis.

6 Sed hoc argumentum, ne aliquid falsi assumat, indiget limitatione. Primò enim per *est* & *non est*, quando stant exercitè, non importatur nisi talis modus tendendi compositiuus, vel diuisiuus, sicuti solus modus tendendi importatur per particulas *vel si &*, *&c.* Dixi quando *est* & non *est* stant exercitè, & vitaliter, quia hæ particulæ possunt aliquando stare signatè; & veluti mortuo modo, ac tanquam obiectum, si enim dicam: hominem esse animal, est verum per ly *esse* importatur & repræsentatur identitas obiectiua, ly verò *est* stat deinde exercitè non tanquam obiectum, sed significans solum modum tendendi compositiuum; si enim importaret identitatem obiectiuam necesse esset, quod ab intellectu adhiberetur alia particula per quam designaret modum tendendi, quo ipsa identitas ab intellectu componeretur, vel diuideretur, cum ipsa etiam identitas obiectiua possit vel per assensum componi cum alio, vel per dissensum ab alio diuidi.

7 Præterea non videtur vniuersaliter necessarium, quod in omni propositione repræsentetur idētitas inter prædicatum, & subiectum. Si qua enim esset necessitas, maximè, vel vt assignemus quid correspondeat copulæ *est* vel vt assignemus obiectum affirmatum, vel negatum. Primū nihil facit,

facit, cum dixerimus copulæ *est* respondere talem modum tendendi. Sed neque secundum obstat, quia bene possumus dicere quod in his propositionibus: Petrus est homo: Petrus non est Equus affirmatur homo de Petro, & negatur Equus de Petro, cum enim affirmatio, & negatio sit vnius de alio, dum petitur quid affirmatur, vel negatur, non possumus respondere assignando vnum tantum, sed necessariò assignandum est id, quod, & id de quo affirmatur, vel negatur. Pariter cum affirmatio sit compositio, & negatio sit diuisio cum petitur quid componatur in hac propositione. Petrus est homo, bene respondemus componi hominem, sed vt designemus cum quo componatur, assignandus est alius terminus, nempè Petrus, dicendo componi hominem cum Petro ly verò *de* & *cum* non significant aliquid obiectiuum, sed solum modum tendendi, sicuti particulæ *si, vel,* &c. Idem autem dicendum est de diuisione.

8 Adhuc tamen in aliquibus propositionibus necessariò concipi debet identitas inter prædicatũ, & subiectum, vel subiectum saltem, aut prædicatum sub conceptu identitatis; huiusmodi autem sunt propositiones immediatæ, quibus assentimur ex vi terminorum, in his enim motiuum assentiendi debet necessariò esse saltem vnum extremum cognitum sub conceptu identitatis cum alio extremo. Ex hoc ergo probatur posse concipi aliquid impossibile tali pacto: Arrius præbuit assensum huic propositioni hereticæ; *Verbum est creatura*, ergo concepit aliquod motiuum ad eliciendum talem assensum, quando enim nullum omninò motiuum intellectui repræsentatur, ex mero voluntatis imperio, non potest intellectus assentiri; quis enim sine vllo motiuo assentiatur ex imperio voluntatis, quod astra sunt paria? Porrò motiuum ad affirmandam propositionem illam hereticam non fuit auctoritas aliorum, quia supponamus fuisse primum, qui propositionem illam affirmauerit, ergo motiuum fuit, vel alia propositio impossibilis verificari, & de hac reddit idem argumentum, vel motiuum fuit talis appræhensio terminorum, per quam aliquem saltem ex terminis illius propositionis apprehenderit sub conceptu identitatis cum alio termino, ergo in hac, vel alia propositione impossibili verificari, cui præbuit assensum ex vi terminorum, concepit identitatem impossibilem, quæ fuit illi motiuum ad assensum. Atque hoc argumento vlterius reijciuntur ij, qui vt negent concipi impossibile recurrunt ad iudicium implicitum, & virtuale, nam etiam in tali iudicio deueniendum tandem est ad aliquam simplicem apprehensionem de obiecto impossibili, quæ fuerit motiuum huiusmodi iudicii impliciti, & virtualis impossibilis, verificari.

9 Dices primò, si posset cognosci impossibile, quod videtur absurdum, esset enim, & non esset incognoscibile. Respondeo Incognoscibile signatè, & tanquam obiectum posse cognosci exercitè, sic negatio omnis cognitionis actualis signatè & tanquam obiectum, cognoscitur à me exercitè per hanc cognitionem actualem; circa incognoscibile enim obiectiuè, & signatè, & circa negationem omnis cognitionis actu existentis exercetur à me actualis cognitio. Quod si vrgeas dum dico incognoscibile signatè, & exercitè non posse circa tale incognoscibile exerceri cognitionem, quia esset, & non esset incognoscibile exercitè. Respondeo adhuc à me exercitè cognosci ipsum incognoscibile exercitè, quia dum dico incognoscibile exercitè, ly *exercitè* non stat exercitè nisi materialiter cum verè ly *exercitè* stet signatè & tanquam obiectum, quia est obiectum cognitum per cognitionem exercitè formaliter, sed tendentem in incognoscibile exercitè solum materialiter, & denominatiuè.

10 Dices secundò, sequeretur quod dum dico *Ens ignotum Deo* verè cognosceretur à me aliquod ens ignotum Deo, ergo daretur aliquod ens ignotum Deo. Respondeo distinguo consequens Daretur aliquod ens ignotum Deo obiectiuè tantum in Intellectu concedo consequentiam, ens ignotum Deo, quod verè in se esset, vel posset esse ignotum Deo, nego consequentiam; Sic dum cognosco existentiam actualem alterius mundi, hæc habet esse actuale tantum in intellectu obiectiuè, sed ex hoc non benè infertur, quod etiam in se habeat esse actuale; similiter ergo ex eo quod ens ignotum Deo habeat tantum esse obiectiuè in intellectu, non benè infertur, quod etiam detur, vel dari possit à Deo in tali mea cognitione formaliter cognoscatur id, quod solum obiectiuè, & repræsentatiuè est ignotum Deo.

11 Simili modo respondendum erit si dicas Chimæram esse in intellectu quid reale; ideòque non esse impossibilem. Respondendum enim est Chimæram esse in intellectu quid reale realiter, non verò esse quid reale, & possibile repræsentatiuè; sic in casu simili, si detur imago repræsentans Bucephalum viuum, Bucephalus habet esse viuum in imagine repræsentatiuè, non verò esse viuum realiter, cum enim Bucephalus in imagine, nullum aliud habeat esse reale nisi esse imaginis, & cum imago sit quid mortuum, in imagine habet realiter esse mortuum, sed cum hoc stat, quod in imagine habeat esse viuum repræsentatiuè, quia repræsentatur, & exprimitur viuus. Ita pariter Chimæra realiter loquendo in cognitione habet esse reale ipsius cognitionis, sed cum hoc stat, quod habeat in cognitione repræsentari, & exprimi vt chimæra, & vt impossibilis.

12 Dices tertiò, ad hoc vt concipiatur quid impossibile, vel satis est, quod simul simultate cognitionis, seu vnica cognitione concipiantur duo termini contradictorij, ens videlicet, ac non ens, vel debet ex parte obiecti concipi aliquid simplex. Respondeo debere concipi ex parte obiecti aliquid simplex, tale, vt si daretur verificaret hanc simplicem propositionem *est & non est ens*. Ideòque dum dicitur, quod ex impossibili sequerentur duo contradictoria, sensus est quod si daretur impossibile, ex illo haberet intellectus fundamentum dicendi, quod ratione illius verificatur hæc simplex

propositio *est & non est ens*, quæ simplex propositio æquiualet duabus distinctis propositionibus contradictorijs, per quarum vnam intellectus diceret *est ens*, per aliam verò diceret *non est ens*. Porrò si poneretur impossibile, ita simplex illa propositio verificaretur, vt simul non falsificaretur, vt aliqui contendunt, illa enim simplex propositio *est & non est ens* falsificaretur solum per ablationem impossibilis, hoc est per negationem, seù per non existentiam simulatis entis, & non entis.

13 Ex dictis infertur primò non fieri ens rationis per solum modum tendendi indebitum in duo realia; quando enim intellectus per solum modum tendendi indebitum dicit: homo est lapis, nullam concipiens identitatem impossibilem, non potest assignari de quo verificetur, quod habeat tantùm esse obiectiuè in intellectu; nam homo, & lapis habent etiam esse in se: modus verò tendendi, seù cognitio affirmatiua indebita, habet esse subiectiuè in intellectu, ideòque requiritur ad ens rationis, quod aliquod impossibile repræsentetur, & obiciatur intellectui, de quo proindè verificabitur definitio entis rationis. Neque dicas semper necesse esse quod id, quod cognoscitur habeat aliquod esse extra intellectum, nam in quacunque sententia est vera propositio, Existentia actualis alterius mundi nihil est. Ergo esse nihil non potest verificari de existentia possibili, sed existentia actuali, quæ prout actualis non habet nisi esse obiectiuè in intellectu.

14 Infertur secundò; ad faciendum ens rationis non esse necesse, quod intellectus decipiatur, si enim dicam: alius Deus est imposibilis, facio verissimam propositionem, etiam si ex parte subiecti concipiendo aliquod imposibile faciam ens rationis. Ex quo vlterius infertur, quod quantum est ex hoc capite non repugnat ens rationis fieri ab intellectu incapaci deceptionis.

15 Infertur demum fieri posse ens rationis per omnes tres operationes intellectus, non aliter ac superius diximus de vniuersali, & tam per cognitionem directam, quam per reflexam, tam per absolutam, quam per comparatiuam. Tam enim quando cognosco directè alium Deum, quam quando reflexè cognosco me cognouisse alium Deum, æquè facio ens rationis: & tam quando absolutè illum cognosco, quam quando comparo alium Deum fictum cum hoc Deo vero, semper facio ens rationis, cum semper concipiam aliquid impossibile.

CAPVT NONVM.

De Ente rationis Logico.

1 DEnominationes extrinsecè à cognitione, quales sunt denominatio cogniti subiecti, &c. dicuntur entia rationis Logica, quia & habentur ab actibus rationis, & pertinent ad Logicam. Dicuntur etiam secundæ intentiones, quia per primam intentionem, seù intentionem obiectiuam, significantur obiectum, in quod intellectus tendit, per secundam verò intentionem, seù intentionem formalem significatur ipsa cognitio. Hinc terminus significans rem prout substat alicui cognitioni intellectus, & prout affectam extrinseca denominatione proueniente ab aliqua intellectus operatione, appellatur terminus secundæ intentionis, sicuti terminus significans rem, prout est in se independentet ab intellectu, dicitur terminus primæ intentionis.

2 Hæc entia rationis Logica fiunt per cognitionem directam, cognoscuntur autem vt talia per cognitionem reflexam, sed neque dum directè fiunt, nec dum directè cognoscuntur requiritur, quod in obiecto, quod denominatur cognitum, prædicatum, &c. concipiatur aliqua relatio rationis, vel aliquid aliud fictum, neque quod ex illo resultet aliquod ens diminutum, ideòque denominationes sunt reales, & merè extrinsecæ ab actibus realibus intellectus. Ratio autem est, quia antecedenter ad quodlibet diminutum, ad quamlibet relationem rationis, & ad quodlibet fictum, per hoc præcisè, quod directè cognouerim v.g. parietem, paries est directè cognitus; & similiter per hoc præcisè, quod reflexè cognoscam cognitionem, quę directè versata est circa parietem, cognosco cognitum reflexè, ergo hæc entia rationis Logica constituuntur in suo esse præcisè per obiectum, & per cognitionem realem, vel directam, vel reflexam.

3 Præterea cur per hoc præcisè quod cognouerim v.g. parietem, debet in illo resultare aliquod ens diminutũ, quod neque est explicabile quid sit, & in multis certum est quod resultare non possit, vtpote illo incapacibus cuiusmodi est Deus, chimæra, &c. Neque verò omnia concreta importare debent formam intrinsecam, vel conceptam, vt intrinsecã subiecto, quod totaliter denominatur sicut enim associatum, esse vestitum, &c, sunt concreta, & denominationes à forma extrinseca subiecto, quod denominatur associatum, & vestitum, ita cognitum, esse prædicatum, &c. erunt concreta, & denominationes à forma extrinseca cognitionis.

4 Quod si quæras in hac propositione v.g. *Petrus est homo*, quid sit Petrum esse subiectum, hominem esse prædicatum? respondeo, hoc nihil esse aliud, nisi quod intellectus tali modo tendendi compositiuo tendat in Petrum, & hominem, vt hominem componat cum Petro, seù affirmet de Petro; per talem autem modum, quo in Petrum tendit diuersum à modo tendendi in hominem, Petrus exercitè fit subiectũ, seù taliter cognitus, quando verò per aliam cognitionem reflexã cognoscitur vt talia.

5 Sed

5 Sed vt hic etiam explicemus, vtrum esse cognoscibile habeatur ab aliqua relatione reali, vel ficta. Dicimus tam esse sensibile, quam esse intrinsecè cognoscibile per emissionem specierum, non esse denominationem merè extrinsecam à potentia sensitiua, & cognoscitiua, sed esse prædicatum, ac denominationem partialiter intrinsecam ipsi obiecto sensibili, ac taliter cognoscibili; fundatam in intrinseca potentia ipsius obiecti ad posse sentiri, & posse emittere species: hoc autem prædicatum est realiter relatiuum ad potentiam sensitiuam, & cognoscitiuam, vt constabit ex dicendis de relatione. E contra esse cognoscibile abstractiuè potest aliquando esse denominatio merè extrinseca à potentia cognoscitiua, impossibilia enim sunt abstractiuè cognoscibilia, non per hoc, quod aliquid habeant, ratione cuius possint totaliter cognosci, sed merè per hoc, quod intellectus possit illa cognoscere.

CAPVT DECIMVM.

De Ente negatiuo.

1 Negationes, & priuationes tam necessariæ, quam contingentes non plus habent de vllo esse, quamuis improprio, & abusiuo, quam entia impossibilia, ideòque sunt mera entia rationis habentia tantũ esse obiectiuè in intellectu; hinc meritò cõmuni diuisione fundata in pluribus locis S. Thomæ diuiditur ens rationis in chimæricum negatiuum, priuatiuum, & relatiuum, & quamuis ens rationis negatiuum dicatur cum fundamento in re, hoc tamen non probat, quod aliquid plus entitatis habere debeat negatio, quam chimæra; nam etiam relatio rationis dicitur ens rationis cum fundamento in re, nec propterea relatio rationis aliquid plus entitatis habet quam chimæra. Hæc ergo dicuntur entia rationis cum fundamento in re, quia à subiecto aliquo, cui concipiuntur negationes, & relationes rationis inesse determinamur ad illas concipiendas. Præterea non potuit ens rationis diuidi in chimæricum, negatiuum, & relatiuum, eo quod negationes, & relationes rationis concipiantur à nobis ad modum entium realium, nam entia spiritualia concipimus ad modum materialium, nec tamen ens rationis diuiditur in chimæricum, & spirituale, ergo cum benè diuidatur in chimæricum, & negatiuum, tam chimæræ, quam negationi verè conueniet habere tantum esse obiectiuè in intellectu.

2 Sed ratione probatur conclusio posita primò de negationibus necessarijs, quia nulla est necessitas illas admittendi, vt constabit ex solutione argumentorum, quæ etiam si vim aliquam haberent pro negationibus contingentibus, nullam certè habent pro necessarijs, cum omnia explicari facilè possint per entitatem rei, quæ prout talis est dat fundamentum intellectui ad negandum aliud cum tali entitate incompossibile, sic quælibet res est vna per negationem necessariam diuisionis in se, quod sufficienter habetur per entitatem rei, prout dat fundamentum intellectui ad dicendum, quod non sit in se diuisa, si enim res esset vna per negationem necessariam superadditam, hæc etiam negatio esset vna, ergo vel per aliam negationem, & procederetur in infinitum, vel si esset vna per se ipsam quatenus dat fundamentum intellectui ad dicendum: quod non sit multiplex, non est cur non idem dicamus de quolibet positiuè vno. Sicut ergo negatio necessaria, quam dicit vnitas, non est quid distinctum ab entibus positiuis, ita nulla negatio necessaria erit, quid distinctum ab omni ente positiuo.

3 De negationibus contingentibus probatur pariter 1. quia nulla est necessitas illas admitendi, vt constabit 2. quia si daretur negatio contingens, non omnis negatio contingens opponeretur contradictoriè rei negatæ, quod est absurdum, etiam apud Aduersarios: sequela probatur quia contradictoria sunt talia, vt non possit vtrumque deesse, sed vnum tunc tantum desit, quando ponitur aliud illi contradictoriè oppositum, sed negatio contingens durationis æternæ Antichristi, v. g. defuit absque positione ipsius durationis externæ, quæ est forma per talem negationem negata, ergo aliqua negatio contingens deest absque positione formæ negatæ. Minor probatur, quia nunc neque est duratio externa Antichristi, nec est eius negatio contingens, sed est solùm eius negatio necessaria, cum sit impossibile, quod duratio externa sit hodie, ergo hodie verum est dicere, quod defuerit negatio contingens durationis externæ absque positione durationis negatæ.

4 Dices negationem contingentem durationis externæ non perijsse, sed dari, non tamen dari hodie, sed dari heri. Sed contra est quia dari heri, & non dari hodie, idem est ac heri fuisse, & hodie non esse, idem autem est heri fuisse & hodie non esse, ac heri quidem fuisse, sed deindè perijsse: aliter dicam Bucephalum non perijsse, quia licet non detur hodie, datur tamen pro illo tempore, quo viuebat Alexander. Neque dicas negationem contingentem transiisse in necessariam, tum quia esse contingens, & esse necessarium, est prædicatum intrinsecum, ideòque non potest contingens transire in necessarium absque de perditione sui esse, tum quia iam cogeris admittere negationes necessarias, quæ passim reijciuntur; Nec parùm profectò esset ita impugnasse negationes contingentes, vt non possint hæ admitti, nisi admittantur etiam necessariæ. Si demum dicas negationem con-

tingentem durationis non dari, quia hæc ex peculiari capite repugnat, nullum tibi supererit argumentum pro alijs negationibus contingentibus, quod in hac æquè tibi soluendum non sit.

5 Sequeretur præterea dari negationes actu, & cathegorematicè infinitas, imò quando nihil erat fuissent tot negationes, vt illis non potuerit fieri additamentum. Neque dicas negationes omnium rerum possibilium esse infinitas solùm syncathegorematicè sicuti sunt res negatæ, nam cum quælibet res possibilis distributiuè accepta sit potens existere, cuilibet distributiuè acceptæ respondebit negatio actu existens, cum ergo nulla ex his negationibus sit tantum possibilis, sed quælibet sit actu existens, & nulla supersit possibilis, faciunt profectò infinitum totum actu, & cathegorematicum, quod nunquam faciunt res possibiles, si nunquam actu omnes ponantur.

6 Dices primò, non dari nisi vnicam negationem exclusiuam omnium rerum non existentium, ita vt hæc vnica negatio varietur, quoties aliquod ens de nouo ponitur, vel tollitur in rerum natura. Sed contra est 1. quia quis hoc credat, quod non nisi gratis fingitur? Contra 2. quia huiusmodi negationi tribuerentur prædicata plusquam negatiua. Contra 3. quia huiusmodi negatio non opponeretur contradictoriè formæ negatæ, quia posset deesse tam negatio, quam forma negata, negatio enim Antichristi, v. g. quæ nunc datur, posset deesse. etiam non posito Antichristo per hoc solum, quod producatur, vel pereat aliquid de nouo, cum ratione cuiuslibet mutationis rerum varietur iuxtà hanc responsionem negatio Antichristi, quæ nunc est.

7 Dices secundò, non dari infinitas negationes, quia idem est dari infinitum negatiuum, ac non dari infinitum. Sed contra, quia verum est negationes non esse infinitum entium positiuorum, sed si admittis illas habere, nullo intellectu cogitante, aliquod esse, dabitur infinitum actu, cathegorematicum in numero talium entium, quodcumque tandem esse actuale sit illud quod habent; nam non dari vnam rem positiuam est per te dari vnum ens negatiuum, & vnum verificatiuum propositionis negatiuæ, ergo non dari infinitas res positiuas erit dari infinita entia negatiua. Quod si hanc consequentiam negas, benè est. Quando enim argumento vnius sententiæ premeris, statim omne esse negationibus adimis. Quando verò argumentis alterius sententiæ nescis satisfacere, tunc negationibus mirum quot prædicata tribuas, dicis enim illas habere nullo intellectu cogitante veritatem obiectiuam, contradistinctam ab omni ente positiuo, esse motiuum, & verificatiuum propositionum negatiuarum, cadere sub nostram experientiam, esse inter se distinctas, vnam perire, alia non pereunte, incipere, & desinire esse, esse complementum diuinorum decretorum, volibiles, & amabiles à Deo, aliaque plurima illis tribuis, ac tribues, quoties sese dabit occasio, quæ si non sunt prædicata propria entium positiuorum, quænam erunt.

8 Demum dum dicis negationes habere aliquam veritatem nullo intellectu cogitante contradistinctam ab omni ente positiuo, quid intelligis per hanc veritatē? Cum enim veritas conuertatur cum entitate, si habent aliquā veritatē, habebunt aliquam entitatē, ergo sicuti dicis, quod habent entitatem impropriam, & abusiuam, ita debes dicere quod habeant veritatem impropriā & abusiuā. Quod si hoc cōcedas, iterum peto vel veritas negationum est totaliter abusiua, ita vt illis non conueniat, nisi merum nomen entis, & veritatis, & quid quid entitatis, ac veritatis habent: & non habeant nisi dependenter ab intellectu: & iam mecum sentis, vel earum entitas, & veritas non est totaliter abusiua, & explica quid sit; quod si dicas non posse explicari, quia est primus conceptus, sicuti conceptus entis est primus conceptus. Contra est, quia tu qui asseris aliquid dari, debes illud positiuo argumento probare, non ergò debes assumere quod sit negatio, & quod sit primus conceptus inexplicabilis; donec enim tu mihi dixeris quid sit veritas, & entitas negatiua, semper negabo quod sit, ideòque primum conceptum intellectus benè dispositi dicam esse, quod negatio seù *non esse rei* non sit *esse non*, seù esse aliquid negatiuum? sed quod de non esse nullum habente esse, malè petatur, quid sit? Cum disertè asseram quod non sit quidquam, & hoc dico esse primum conceptum. In quo patet disparitas cum ente; Ens enim scimus dari, ideòque benè de illo dici potest, quod sit primus conceptus; adeòque non detur quidquam illo clarius.

9 Dices veritatem, quam habent negationes explicari posse per hoc, quod sint determinatiuum obiectiuum iudicij negatiui. Sed contra quia chimæra est etiam determinatiuum obiectum iudicij negatiui, quo dico chimæra non est ens. Non ergo necesse erit tribuere maiorem veritatem obiectiuam negationi, quam chimæræ. Quod si dicas chimæram non esse determinatiuum obiectiuum vllius iudicij negatiui, dicam, quod neque negatio sit determinatiuum obiectiuum iudicij negatiui, quid autem verè sit in hoc sentiendum patebit ex dicendis in responsione ad obiectiones.

10 Adde, quod si admittantur veritates negatiuæ, & de illis dicatur, quod sint inexplicabiles, quia sunt primi conceptus, admittendæ etiam erunt ex parte obiecti veritates positiuæ necessariæ, rerum non existentium, quæ nullo intellectu cogitante habeant aliquod esse obiectiuum contradistinctum à Deo, sed à nobis inexplicabile, quia sunt primi conceptus, sic dicam dari ab æterno essentiam necessariam alterius Mundi. Quod si petas quid sit? Dicam esse veritatem obiectiuam vlterius inexplicabilem, cum non minus sit primus conceptus essentia rei, quam rei existentia, vel negatio, hæc autem obiectiua veritas possibilitatis communiter reijcitur ab his contra quos agimus.

11 Præcipuum fundamentum admittendi negationes est, quia alioqui non posset assignari, per quid verificentur propositiones negatiuæ contingenter veræ. Per quid enim inquiunt, verificatur

hæc

hæc propositio, noctu non est lux? sed primò non omnis simplex apprehensio habere debet obiectum cui conformetur, tale, vt habeat in se aliquod esse distinctum à cognitione. Quando enim cognosco chimæram, vel existentiam actualem alterius mundi, hæ non habent esse vllum in se, sed solùm cognosci, si ergo non ad omnem simplicem cognitionem requiritur obiectum habens in se aliquod esse cui cognitio sit positiuè conformis in ratione imaginis, cur ideò instans vt in omnibus propositionibus assignem tibi verificatiuum habens in se aliquod esse, cui iudicium conformetur in modo tendendi; quasi verò hoc ipsum dici ab intellectu non possit, quod nihil detur neque positiuum, neque negatiuum, cui eius cognitio positiuè confirmetur.

12 Quando ergo veritas definitur conformitas cognitionis cum obiecto, distinguenda est duplex conformitas, alia positiuè alia negatiuè; propositiones enim affirmatiuæ debent esse obiecto, & verificatiuo positiuè conformes, nam cum propositio affirmatiua sit veluti positiua obiecti, ad hoc vt sit vera dari debet obiectum eo modo positum à parte rei, quo enunciatur, & intentionaliter ponitur; at cum propositio negatiua non adhæreat obiecto, nec illud intentionaliter ponat, sed ab illo veluti fugiat, ad hoc vt sit vera, non debet dari à parte rei id quod concipit, & à quo refugit. Quare propositio negatiua ad hoc vt sit vera, debet esse conformis veluti negatiuè, hoc est quod ipsa existat, sed non sit difformis obiecto, non quod detur aliquid, cum quo positiuè conformetur, sed quod nihil detur cui difformetur, cum quo cæteroqui deberet conformari, si existeret; sic dum dico *non est lux*, erit vera propositio, non quod detur negatio lucis, cui hæc cognitio sit positiuè conformis, sed quia non datur lux, cui hæc cognitio sit difformis, & cui cæteroqui deberet conformari, si existeret. Sicut ergo ad veritatem propositionum affirmatiuarum requiritur, quod detur earum verificatiuum ita ad veritatem negatiuarum satis est, quod non detur earum falsificatiuum.

13 Dices primò idem est non dari falsificatiuum, ac dari negationem falsificatiui, & idem est, quod hæc propositio, *non est lux* sit vera, quia non datur quidquam cui difformetur, ac quia datur negatio cuiuscumque, cui difformetur. Respondeo hoc esse falsum, cum enim non valeat argumentari à sensu negante ad infinitatem, non licebit inferre: Non datur falsificatiuum, ergo datur negatio falsificatiui. Quod si petas quid sit non dari falsificatiuum, quid sit non dari alium mundum, &c. dico malè à te peti, vt assignem quid sit, cum dicam non esse quidquam. Sicuti malè peteres vt assignem quid sit chimæra independenter ab intellectu, cum independenter ab illo non sit quidquam.

14 Dices secundò, si hæc propositio: non est alter mundus, non esset vera per aliquid distinctū à cognitione, esset vera per suam solam essentiam, ideòque esset essentialiter vera. Respondeo distinguo sequelam esset vera essentialiter, & per essentiam cognitionis, hoc est nihil daretur distinctū à cognitione, per quod illa constitueretur in ratione veri, concedo sequelam, esset vera essentialiter, hoc est indefectibiliter, itaut quoties daretur hæc cognitio, dari deberet veritas, nego sequelam, si enim fuisset positus alter mundus, hæc propositio fuisset falsa; Itaque sicuti propositiones affirmatiuæ contingenter veræ, ablata re, quam affirmant, sunt falsæ, ita negatiuæ non per negationis ablationem, sed per positionem rei negatæ sunt falsæ, Sicuti enim aliquæ denominationes pereunt per ablationem alicuius entis; ità denominatio veri in propositionibus negatiuis perit per positionem obiecti negati: Hinc etiam propositionibus negatiuis veritas est partim intrinseca, partim extrinseca, non tamen positiuè, sed negatiuè; non ex eo quod detur aliquid extrinsecum negatiuū, sed ex eo quod non detur quidquam extrinsecum, per quod propositio negatiua falsificetur; Non aliter ac ista propositio chimæra non est ens, est vera, non per negationem necessariam entis chimerici, quam neque aduersarij admittunt, sed per hoc, quod totum, quod de chimæra datur, sit hæc cognitio, ita vt non detur quidquam, per quod hæc cognitio falsificetur.

15 Dices tertiò, si non admittantur negationes obiectiuæ, non potest assignari, à quo determinetur intellectus ad immediatè assentiendum propositionibus negatiuis contingenter veris, similiter non potest assignari, à quo nam determinentur bruta ad quærendos catulos non repertos in loco, &c. Sed contra est quia neque in sententia aduersariorum negatio rei potest esse sufficiens determinatiuū ad hoc, nam hic dantur negationes rerum omnium, quæ hic non sunt, quid ergo me determinat ad negandam existentiam huius potius, quam illius rei in hoc loco? certè non possam determinari ad negandam existentiam alicuius rei; cuius nullas nec intuitiuas, nec abstractiuas species vnquam habuerim, & tamen huius etiam rei negatio hic datur; aliquid ergo aliud requiritur, de quo absque eo quod dicamus negationes cadere sub experientiam, poterimus asserere, quod de se solo nos possit determinare. Dico ergo determinari nos ad immediatè assentiendum propositionibus negatiuis per hoc, quod existente in nobis apprehensione hic & nunc abstractiua de aliqua re, si de præsenti aliæ omnes nostræ cognitiones intuitiuæ sunt de alijs obiectis, ab hoc determinamur ad dicendum, quod hic, & nunc non habeamus cognitionem intuitiuam de re illa, quam abstractiuè cognoscimus, dum cætera cognoscimus intuitiuè: ex quo deinde inferimus, quod talis res hic non existat. Proportionali autem modo discurrendum est de brutis. Hinc auari non cruciantur à carentia pecuniæ, quæ si de se cruciaret, esset profecto plusquam mera negatio, sed cruciantur, quia cum omnes cognitiones intuitiuè, quas habet auarus, sint de alijs obiectis, hinc determinatur ad dicendum quod non habet pecunias, ex quo deindè sequitur dolor.

16 Dices quartò Innocentia, hoc est carentia peccati est bona, & amatur à Deo, ergo est ens. Respon-

Respondeo, quod ficuti anima cum actu peccaminoso faceret complexum malum, ita anima est quid bonum, quando totum, quod est in anima, est ipsa entitas animæ. Ex eo autem, quod totum quod est in anima sit entitas animæ, non bene infertur, vt vidimus, quod totum, quod est in anima, sit entitas animæ, & negatio alicuius alterius. Pariter quando damnati amant anihilationem sui, ad hoc vt talis amor sit sine errore, debet esse talis, vt totum, quod velint existere, vel totum, de cuius existentia non curent, sint alia quælibet præter existentiam sui, in quam positiuo odio ferantur, aliter eorum amor non nisi per errorem tendere potest in negationem; cum hæc de se non sit amabilis.

17 Dices quintò, quando aër ex lucido fit tenebrosus mutatur intrinsecè, ergo per intrinsecam receptionem mutationis lucis. Respondeo mutari intrinsecè non per vllius rei intrinsecam receptionem, sed per deperditionem lucis, quæ illi erat intrinseca, ideòque duplex erit intrinseca mutatio alia per acquisitionem alicuius intrinseci, alia per amissionem alicuius, quod erat intrinsecum, ad hoc autem non est necesse quod loco primi intrinseci succedat intrinseca negatio.

18 Dices denique Christum Dominum dixisse de Iuda: *Melius illi erat si natus non fuisset*; ergo negatio habet aliquam bonitatem, & entitatem. Respondeo Christum Dominum locutum fuisse iuxta vulgarem loquendi modum, quo ex Arist. 4. metaph. tex. 2. *ipsum non ens esse non ens dicimus*: ex quo patet in quo sensu intelligendus sit Arist. quoties negationibus aliquod esse videtur tribuere. Quare dum capite de oppositis ait: *Sicut affirmatio ad negationem opponitur, sic & res, quæ sub vtroque est*, non potuit nomine *rei*, quæ est sub propositione negatiua, intelligere id, quod est rigorosè res, ac proinde dicendum est, quod *non ens*, & *non rem* iuxta vulgarem modum appellauerit *rem*, vbi ex professo de non ente non disputabat; quod etiam nos præstabimus in sequentibus, vtentes breuitatis, ac facilitatis gratia, recepto loquendi modo, quo non entia, entia negatiua, & negationes appellantur.

19 Ex dictis infertur negationes non posse esse aliquid positiuum incompossibile cum re negata, vt aliqui senserunt, nam vel hoc est aliquid creatum, vel aliquid increatum; non creatum, quia quando Deus nihil creauerat, dabatur negatio contingens rerum omnium, nec tamen dabatur quidquam positiuum extra Deum. Si verò hoc positiuum incompossibile est quid increatum, Decretum scilicet Dei nolitiuum, hoc quidem est veluti negatio causalis, quia decretum Dei est quasi causa, quod res non existat; atque hoc non negamus, sed non facit ad rem præsentem, in qua disputamus de negatione formali.

DISTINCTIO QVINTA.

De Prædicamentis.

CAPVT PRIMVM.

Prædicamentorum diuisio.

1 Omne ens reale diuisum fuit in decem classes, ac summa genera, quæ vocantur prædicamenta: hæc autem sunt Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Vbi, Duratio, Situs, Habitus. Præter primum omnia alia prædicamenta sunt accidentia; ideòque in illis non ponitur ratio accidentis vtpote superior ad omnia nouem prædicamenta; Sicuti neque in illis ponitur ratio entis realis, vtpote ad omnia prædicamenta superior, & quæ in hæc decem prædicamenta diuiditur. Cum enim prædicamenta sint membra omnia, quæ diuidunt Ens reale, non debuit in collectione membrorum diuidentium Ens reale, poni ipsum Ens reale; sicuti neque in collectione membrorum diuidentium Accidens collocari debuit ipsum Accidens.

2 De hac prædicamentorum diuisione sentiendum est, sicuti diximus de diuisione prædicabilium; nimirum quod metaphysicè loquendo fieri potuerit exactior, simpliciter tamen sit bona, cum sit idonea ad finem, propter quem est instituta; ad instruendum scilicet Logicum aliquali rerum omnium cognitione. Ad aliqualem autem rerum omnium cognitionem diuisio rerum omnium in duo tantum membra, in Substantiam scilicet, & Accidens fuisset nimis pressa: diuisio verò in plura capita, quam decem fuisset prolixior. Cæterum metaphysicè loquendo nulla apparet necessitas cur Actio, & Passio, quæ realiter non distinguuntur, debuerint constituere duo diuersa prædicamenta.

3 In vno quoque ex his decem prædicamentis assignari potest series prædicamentorum, quæ à supremo genere vsque ad vltima indiuidua per genera, & species intermedias deducatur. Insistendo communi auctoritati excludimus à prædicamento Deum, & si quæ alia entia infinita essent possibilia. propter maximam enim distantiam finiti ab infinito, non sunt infinita in ijsdem rerum classibus reponenda cum finitis.

CAPVT SECVNDVM.

De Prædicamento Substantiæ.

1 Metaphysicum substantiæ conceptum assignauimus distinctione superiori cap. 6. ideòq; Logica hic supersunt expedienda. Primò ergo summum genus in prædicamento substantiæ est substantia finita importata ad modum per se stantis. Hic enim conceptus est vniuocus, vniuersalissimus, & prædicabilis in quid de omnibus, & solis ijs, quæ directè ponuntur in prædicamento substantiæ ex communi Aristotelis, aliorumque sententia. Et quamuis supra substantiam detur genus superius entis realis, vt probauimus distinctione superiori cap. 2. Ens tamen reale est genus ad omnia prædicamenta; ideòque summũ genus intra prædicamentum substantiæ, quod ipsum sit substantia, est substantia finita, &c. *finita*, inquam, quia ex prædicamento exclusimus infinita, *importata ad modum per se stantis*, vt prædicari possit in quid de inferioribus.

2 Sub hoc summo genere substantiæ comprehendimus Angelos, & Cœlos ex Aristot. enim 5. met. cap. 8. etiam Dæmonia, & simplicia corpora dicuntur substantia: ideòque etiam si Cœli admittantur esse corpora simplicia adhuc poterunt sub genere substantiæ conprehendi. Neque obstat simplicitati Angelorum, compositio ex genere, & differentia, hæc enim, nullam arguens compositionem physicam, nullam importat imperfectionem.

3 Diuiditur ab Aristotele hic substantia in primam, & secundam, ex cuius verbis constat nomine primæ substantiæ intellexisse substantiam singularem, nomine verò secundæ substantiam vniuersalem. Meritò autem suastantiam singularem vocauit substantiam primam; quia cum de ratione substantiæ sit stare per se, substantia singularis, quæ non prædicatur de vllo inferiori, sicuti prædicatur substantia vniuersalis, intelligitur ex nostro modo concipiendi magis stare per se. Quamuis enim realiter loquendo substantia non suscipiat magis, & minus, illa tamen substantia, quæ cum de nullo inferiori prædicetur, nulli inferiori intelligitur aduenire, magis etiam intelligitur ex nostro modo concipiendi participare rationem substantiæ. Hinc prima substantia est ex Aristot. quæ *neq; de subiecto*, hoc est *de inferiori aliquo dicitur, neque in subiecto aliquod est, vt quidam homo*. Secunda verò substantia erit, quæ de subiecto, seu inferiori dicitur, sed in subiecto non est. Quare *non esse in subiecto* est commune vtrique substantię; differunt verò inter se, quod prima non dicitur, secunda verò dicitur de subiecto inferiori.

4 Hæc diuisio substantię in primam, & secundam, est diuisio subiecti, vel concreti accidentalis in accidentia intentionalia. si enim diuisum sit substantia, membra verò diuidentia sint substanria singularis, hoc est clarè cognita, & substantia vniuersalis, hoc est obscurè cognita, erit diuisio subiecti in accidentia intentionalia: si verò diuisum sit substantia cognita clarè, & substantia cognita obscurè, erit diuisio concreti accidentalis in accidentia intentionalia.

5 Ex quo infertur hanc diuisionem esse vniuoci in vniuocata: membris enim diuidentibus nomen est idem, & ratio substantiæ eadem, ratio enim, & nomen substantiæ cognitæ conuenit tam substantiæ cognitæ clarè, qualis est substantia singularis: quam substantiæ cognitæ obscurè, qualis est substantia vniuersalis; vtraque enim habet, & nomen, & rationem substantiæ cognitæ.

6 Dices primò, in hac diuisione diuisum est idem cum vno ex membris diuidentibus; diuisum enim est substantia cognita vt sic, ideòque substantia vniuersalis. Respondeo, diuisum esse substantiam cognitam vt sic, & vniuersalem solùm exercitè, vnum verò ex membris diuidentibus esse substantiam vniuersalem non solùm exercitè, sed etiam signatè, hoc est cognitam vt vniuersalem,

7 Dices secundò, in hac diuisione vnum ex membris diuidentibus prædicari potest de alio nam dici potest Petrus est homo, sed Petrus est substantia singularis, homo substantia vniuersalis, ergo substantia vniuersalis prædicari potest de singulari. Respondeo substantiam vniuersalem materialiter prædicari posse de singulari, non verò substantiam vniuersalem formaliter. Licet enim dici possit Petrus est homo, non tamen dici potest substantia singularis est substantia vniuersalis, vel è contra, cum ergo membra diuidentia sint substantia singularis, & vniuersalis formaliter constat quod vnum membrum diuidens non possit prædicari de alio.

CAPVT TERTIVM.

De Prædicamento Quantitatis.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Quantitas.

1 QVantitas, si ruditer explicetur, erit id, quo res dicitur quanta, longa scilicet, breuis, lata, &c. Alia est *discreta*, quæ habet partes actu diuisas, & huiusmodi est Numerus, qui non est peculiare accidens distinctum realiter ab vnitatibus constituentibus numerum numerabilem; Alia est quantitas *continua*, quæ scilicet habet partes vnitas, i. ù continuatas. Præterea hæc alia est *successiua* habens partes vnam post aliam, & talis est tempus, & motus, Alia est *permanens* habens videlicet omnes suas partes simul. Atque hæc rursus alia est *intensiua* habens suas partes existentes in eadem parte subiecti; Alia est *extensiua*, cuius scilicet partes ordinantur, & continuantur vna extra aliam, vt vna sit in loco diuerso à loco alterius, nec possint naturaliter duæ ex his partibus esse in eodem loco.

2 Quantitas permanens extensiua definita fuit ab Arist. 5. metaph. cap. 13. in concreto, tum quia nō modo alia materialia habēt à quantitate esse quanta, sed ipsa etiam quantitas de se est quanta. Definitur autem sic: *Quantum dicitur, quod est in ea, quæ insunt, diuisibile, quorum vtrumque, aut singulum vnum quid, & quod quid aptum est esse.*

3 Et primò definitur quantum per diuisibilitatem, non tamen quamcumque, sed physicam ortam ex resistentia, & impenetrabilitate, quam nulla res habet nisi à quantitate permanenti extensiua, vt constabit ex ratione formali huius quantitatis paulò post assignanda. Hinc materia non est quantitas, quia eius partes non sunt diuisibiles diuisibilitate sensibili orta ex resistentia, & impenetrabilitate, cum hanc non habeant nisi à quantitate extensiua. Idem dicendum de quantitate successiua, & de duabus vbicationibus, quarum vna non potest esse in loco alterius, non ex eo, quod ratione impenetrabilitatis vna impediat aliam, sed ex eo, quod essentialiter habeat non posse existere in loco alterius.

4 Dicitur præterea Quantum esse diuisibile *in ea quæ insunt*, hoc est in partes, quæ ante diuisionem erant in ipso toto quanto. In partes, inquam, quarum vtraque sit aliquid demonstrabile, & completum in ratione quanti, sicuti ante diuisionem ipsum totum erat quid demonstrabile, & cōpletum in eadem ratione quanti. Oppositum accidit in composito ex partibus essentialibus, in composito scilicet ex materia & forma. Hoc enim non est diuisibile in partes, quarum quælibet sit *vnum quid*, aut *quod quid*, cum non sit vnum quoddam totum eiusdem rationis, & essentiæ cum illo, cuius erat pars; neque enim eadem prædicata essentialia conueniunt post diuisionem parti quantitatis, quæ conueniebant toti.

5 Dices *vnum quid*, seù *quod quid* non dicitur nisi de substantia completa, ergo malè dicitur, quod quantitas sit diuisibilis in partes, quarum quælibet sit demonstrabilis tanquam vnum quid. Respondeo licet hi termini in rigore non tribuantur nisi substantiæ completæ, in acceptione tamen minus rigorosa tribui possunt cuicunque rei habenti suam quidditatem, & essentiam, ideòque quando res quælibet retinet sua prædicata essentialia dici potest permanere vnum quid, seù quod quid sicuti prius.

SECTIO SECVNDA.

In quo consistat ratio formalis quantitatis continuæ.

1 PRimò consistere non potest in ratione *mensuræ aptitudinalis actiuæ vel passiuæ*. Hoc enim non est prædicatum primarium quantitatis, sed quod ad alia prædicata intelligitur subsequi: posse enim mensurare, vel mensurari subsequitur ad æqualitatem; sed æqualitas non est essentia, sed proprietas quantitatis ex Arist. 7. Physicor. tex. 32. ergo multò minus ratio mensuræ aptitudinalis erit essentia, & primarium prædicatum quantitatis, sed erit tantum proprietas, supponens aliud prædicatum, nimirum hoc, quod est habere partes impenetrabiles, ad quod ratio mensuræ aptitudinalis, & multò magis ratio mensuræ actualis intelligitur subsequi.

2 Non potest pariter formalis ratio quantitatis consistere in hoc, *quod est habere partes*. Hoc enim prædicatum conuenit etiam materiæ, & formæ materiali tam substantiali, quam accidentali, si enim

enim formæ meteriales non haberent de se partes non possent illas à quantitate recipere: sicuti anima rationalis, quia de se caret partibus, illas non acquirit per hoc, quod vniatur quantitati: sed adhuc remanet carens partibus tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, quod formis materialibus non conuenit. Præterea sicuti Deus conseruat in Sanctissima Eucharistia quantitatem sine materia, ita si conseruaret materiam sine quantitate, numquid propterea materia redacta esset ad indiuisibilia; Si ergo ad huc haberet partes has non haberet à quantitate, sed à se.

3 Neque ratio formalis quantitatis consistit in *extreitate partium vel in ordine ad se vel in ordine ad locum*; Non in extreitate partium in ordine ad locum, quia hæc habetur formaliter per vbicationē, & corpus Christi Domini in Eucharistia retinet suam quantitatem, vt docent communiter Theologi, nec tamē habet partes extra partes localiter. Nō in extreitate partiū in ordine ad se, quia hęc conuenit alteri à quantitate; Extreitas enim partium in ordine ad se est exigentia partiū ad taliter intrinsecè vniri, vt ratione intrinsecè vnionis vna pars nō omnibus alijs partibus immediatè vniatur, sed immediatè vni, mediatè verò alteri; Sic caput immediate vnitur collo, nec nisi mediatè pectori; hæc autem extreitas conuenit etiam formis materialibus substantialibus; neq; enim pars formæ plantæ, quæ est in trunco exigit vniri immediatè parti eiusdem formæ, quæ est in ramis, sed solùm mediatè similiter duratio hodierna non exigit vniri, seù continuari cum duratione anni sequentis nisi mediatè. Idem dicendum de exigentia extreitatis partium in ordine ad locum, forma enim materialis exigit habere suas partes cum extreitate locali, ad hoc vt possit operari.

4 Reliquum igitur est vt essentia, & formalis ratio quantitatis permanentis extensiuè dicatur consistere *in impenetrabilitate*, hoc est in exigentia naturali impenetrationis cum alia quantitate, vel cum alia quacumque re, quę affecta sit quantitate. Hoc enim soli quantitati conuenit, & est prædicatum primarium, ex quo cætera intelliguntur profluere. Et primò hoc non conuenit formis accidentalibus, quæ de se tam cum substantia, quam cum alijs accidentibus etiam eiusdem rationis penetrantur, nec nisi a quantitate redduntur formaliter impenetrabiles. Idem dicendum de materia, & de formis substantialibus, quæ exigunt quidem quantitatem, à qua redduntur formaliter impenetrabiles, & hac de causa sunt quid materiale, sed ipsæ de se non sunt formaliter impenetrabiles: cum enim destructa tota substantia materię, & formæ substantialis, remaneat in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento impenetrabilitas, materia, & forma substantialis redduntur formaliter impenetrabiles à quantitate, vt melius constabit capite sequenti. Hinc si materia, & forma substantialis materialis spoliarentur quantitate, earum partes possent penetrari, ac redigi in locum minorem semper, ac minorem in infinitum.

5 Prædicatum *impenetrabilitatis* est etiam primarium quantitatis; ex impenetrabilitate enim oritur, quod quantitas diuidi possit diuisione materiali, & sensibili orta ex resistentia, & facta per scissionem, v.g. vel fractionem. Ex illa, oritur, quod per vires agentis naturalis tolli non possit à partibus earum extreitas in ordine ad locum, ex qua deinde sequatur ratio firma mensuræ aptitudinalis, tam actiuæ, quam passiuæ. Verum quidem est, quod habere partes, & earum extreitas in ordine ad se, non oriuntur ex impenetrabilitate, sed adhuc neutrum ex his potest esse prædicatum primarium, & ratio formalis quantitatis, tum quia hæc conueniunt alijs, vt vidimus: tum quia alia prædicata quantitatis non oriuntur ex his: Quare habere partes erit prædicatum genericum, impenetrabilitas verò prædicatum specificum quantitatis; Ideòque quando Aristoteles definiuit quantitatem per diuisibilitatem, vel explicari debet, quod quantitas sit id, quod est diuisibile in partes impenetrabiles, vel quod Aristoteles tradere noluerit exactam quantitatis definitionem cum modò illam per diuisibilitatem, modò per mensurabilitatem explicuerit.

SECTIO TERTIA.

An quantitas permanens extensiua sit accidens distinctum realiter à rebus quantis.

1 Respondendum est affirmatiuè, & probatur ex Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo destructa tota substantia panis, & vini remanet impenetrabilitas, sed hæc non est vnum ex alijs accidentibus, quæ remanent, ergo erit peculiare accidens realiter distinctum tam à substantia, quàm ab alijs accidentibus. Maior constat experientia, neque enim Hostia penetratur cum manu Sacerdotis. Minor probatur, quia alia accidentia penetrantur cum substantia, & cum alijs accidentibus tam eiusdem, quam diuersæ rationis; vnus enim gradus caloris penetratur cum substantia, & cum alijs gradibus caloris, quos suo loco admittemus homogeneos, & cum albedine, alijsque accidentibus.

2 Præterea impenetrabilitas specierum Eucharisticarum haberi non potest ab vbicatione substantiæ panis; pereunte enim substantia, perire etiam debuit vbicatio illi essentialiter alligata; neque ab vbicatione aliorum accidentium, tum quia si alia accidentia sunt de se penetrabilia, penetrabiles etiam erunt eorum vbicationes; tum etiam quia modis vtpotè entitatibus imperfectissimis non at-

tribuendum aliud prædicatum ; & perfectio nisi merè, hoc quod est tollere talem indifferentiam, & determinate ad illam denominationem, ad quam determinandam sunt instituti à natura, aliter non imminuimus entitates, sed perfectionem, quam ab alijs accidentibus adimimus, damus modis, quibus non debetur.

3 Dices primò, Hostiam consecratam fore de se penetrabilem, nisi Deus ad occultandum mysterium suppleret impenetrabilitatem substantiæ, quæ perijt. Sed contrà quia habemus præcipuè ex Tridentino, quod remaneant species panis, & vini, ergo remanent accidentia, quæ sensibus percipi possunt; de his enim ad minus loquuntur Concilia, dum illa appellant species, quia ingerunt speciẽ sui, & sunt immediatum principium obiectiuum nostrarum sensationum. Cum ergo Tridentinum indefinitè loquatur, & non sit maior ratio de vna specie, quam de alia, dicendum est, quod remaneant omnes, cum omnes æquè faciant, quod Sacramentum sit signum verè sensibile, & quod nullis præstigijs illudamur.

4 Sicut ergo, quia experimur visionem de albedine, dicimus dari in hostia veram albedinem, à qua tanquam à principio obiectiuo oriatur talis visio: Similiter quia experimur talem gustationem de dulcedine per applicationem hostiæ ad organum gustus, dicimus dari in hostia veram dulcedinem, neque possumus dicere, quod talia principia obiectiua nostrarum sensationum suppleantur à Deo miraculosè: ita quia experimur ab hostia impediri manum, ne vlterius tendat, & succedat in locum, in quo est hostia, dicendum est verè dari id, à quo manus impeditur, & quod est principiũ obiectiuum, à quo oritur talis sensatio de impedimento, & impenetrabilitate.

5 Dices secundò, Quando species Eucharisticæ calefactæ reducunt se ad suum connaturale temperamentum, supplet Deus defectum substantiæ efficiendo id, quod fieri deberet à substantia, ergo idem poterimus dicere de impenetrabilitate. Sed contra quia Tridentinum definiuit tantùm, quod remaneant species, hoc est immediatum principium obiectiuum nostrarum sensationum, quia hoc est id, quod pertinet ad sensibilitatem Sacramenti. De eo autem, quod est principium, & causa huius immediati principij obiectiui, non dixit quod remaneat, ideòque benè recurrimus ad Deum miraculosè reproducentem frigus, & quidem verum, ac reale frigus, quod sit principium obiectiuum nostrarum sensationum. Cum ergo impenetrabilitas sit immediatum principium obiectiuum nostrarum sensationum, hoc debuit verè, & realiter adesse, licet Deus suppleat in genere causæ efficientis causalitatem materialem substantiæ, sine qua impenetrabilitas deberet perire.

6 Idem dicendum in casu, in quo quis nutriretur, & viueret solis speciebus Eucharisticis, benè enim possemus in hoc casu dicere, quod Deus miraculosè suppleret defectum substantiæ absque eo, quod quidquam diceremus contra Concilia, nam ea, quæ immediatè experimur per comestionem sunt talia accidentia, & hæc verè dantur. At quod deinde per species illas nutriamur, & viuamus, mediatè, & per discursum inferremus, dum in tali casu ita ratiocinaremur; Nihil aliud comedimus nisi species Eucharisticas, & tamen viximus, & nutriti sumus, ergo per illas viximus, & nutriti sumus. De principio autem huius effectus remoti nihil Conciliũ definire voluisse est apud omnes in confesso, neque pro hoc eius verba quidquam faciunt; ideòque benè possumus, & debemus ad Deum recurrere.

SECTIO QVARTA.

An quantitas, & aliud quodlibet cõtinuum componatur ex solis indiuisibilibus finitis, vel infinitis.

1 Dicendum primò est non componi ex indiuisibilibus infinitis indiuisibiliter locatis, hoc est correspondentibus spatio indiuisibili loci, quia daretur infinitum actu non modo in numero, vt per se patet, sed etiam in extensione. Vel enim punctum additum puncto faceret, vel non faceret extensionem aliquam; si nullam faceret extensionem, ergo neque infinita puncta vllam facerent extensionem; si verò dicas: quod duo puncta facerent aliquam extensionem, dicas etiam necesse est, quod infinita binaria punctorum facerent extensionem constantem partibus infinitis æquali illi certæ, ac determinatæ extensioni, quam faceret binarium punctorum.

2 Sed siue fingantur puncta finita, siue infinita, ex solis punctis indiuisibiliter locatis, componi non posse continuum, probatur ex eo, quod punctum additum puncto non facit extensionem, cum enim vnum punctum non possit tangere aliud punctum secundum partem, quia caret partibus, poterit tantùm illud tangere secundum se totum; sed quod tangit aliud secundum se totum, penetratur cum illo, ego cum illo non facit extensionem. Minor probatur, quia si Deus vellet, quod duo puncta se penetrent, quid aliud fieret, nisi quod duo puncta se tangant secundum se tota? & si vellit, quod duæ manus se penetrent, nihil aliud fiet, nisi quod se tangant secundum se totas: ergo idem est aliqua duo penetrari, ac se tangere secundum se tota. Præterea si vellet Deus duo puncta prius penetrari, deinde verò quod desinerent esse penetrata; non posset velle, quod remaneret eorum contactus; est enim imperceptibile, quod remaneat eorum contactus, & non sint penetrata.

3 Quod si dicas hoc non ita facile percipi; ratio erit, quia difficillimè punctum imaginamur; cæte-

cæterum duo puncta indiuisibiliter locata, & se se immediatè tangentia, licet aliquid plus sint, quam vnum punctum, si spectemus numerum, non tamen aliquid plus sunt, quoad extensionem. Non ità accidit in rebus diuisibilibus se se immediatè tangentibus, in his enim nulla interuenit penetratio, quia nihil est assignabile, quod tangat aliud secundum se totum, quamcunque enim partem assignaueris, semper in illa assignare poteris aliquid, quod imediatè tangit aliquid quod non immediatè tangit. Ad hanc probationem reducitur aliud argumentum Peripateticorum, quod nimirum ex non quantis, qualia sunt puncta, non potest fieri quantum, ex punctis enim non quantis, quæ si immediatè se tangant, non faciunt extensionem, sed penetrantur, non potest fieri aliquid quantum, & extensum.

4 Præterea si continuum constaret solis indiuisibilibus indiuisibiliter locatis; Achilles velocissimè currens non moueretur velocius, quam testudo, si enim continuum permanens constaret indiuisibilibus, etiam tempus, & spatium constaret indiuisibilibus, ergo dum vnum punctum Achillis in vno puncto temporis percurreret vnum punctum spatij etiam vnum punctum testudinis in vno puncto temporis percurreret vnum punctum spatij; ergo non moueretur velocius Achilles, quam testudo; neque enim vnum punctum Achillis in vno puncto temporis potest esse in duplici, vel pluribus punctis spatij, quia esset naturaliter replicatum, neque potest vnum punctum testudinis in vno puncto temporis esse in spatio minori; quam sit vnum punctum, cum non detur spatium minus puncto: Quod autem dictum est de vno puncto Achillis, & testudinis, intelligendum etiam est de alijs punctis, ex quibus Achilles, & testudo in sententia, quam impugnamus componuntur.

5 Quod si dicas punctum testudinis, postquam in vno puncto temporis occupauit vnum punctũ spatij, ibi quiescere per aliquot instantia. Contra est tum experientia, quæ docet motum esse quid continuum absque morulis interceptis: tum quia sequeretur, quod tota circumacta tota discontinuaretur; concipiantur enim puncta, quę à centro rotæ versus circumferentiam faciunt vnam lineã rectam, si quando aliquod punctum ex his valdè distans à centro rotæ mouetur, aliquod aliud propè centrum per aliquam morulam quiesceret, non possent facere vnam lineam rectam, vt per se patet, sed punctum, quod mouetur discontinuaretur à puncto, quod quiesceret, sed idem accideret in alijs punctis rotę, ergo tota rota discontinuaretur.

6 Demùm argumenta mathematica, quæ communiter hac in re afferuntur, euincunt non posse continuum ex solis indiuisibilibus locatis indiuisibiliter componi. Primò enim non omnis linea diuidi posset bifariam, quæ enim constaret punctis imparibus non esset in duas partes æquales diuisibilis. Secundò tot puncta essent in circulo minori, quot in maiori concentrico, lineę enim ductæ à centro ad quodlibet punctum circumferentiæ circuli maioris necessariò designare deberet totidem puncta in circulo minori, nulla enim linea transiens per puncta circuli minoris transire potest per spatium minus puncto, neque duæ rectæ transire possent per idem punctum, absque eo quod haberent idem segmentum commune, quod implicat. Tertiò Diameter quadrati esset æqualis costæ, si enim à quolibet puncto vnius lateris ducantur totidem rectæ ad quodlibet punctum lateris oppositi, occupabunt totam aream quadrati, & per consequens omnia puncta diametri, ideòque non plura puncta continebit diameter, quam costa, seù latus quadrati, quod est absurdum. Hæc autem aliaque similia argumenta non minoris roboris existimanda sunt ex eo, quod mathematica in suis demonstrationibus procedat ex postulatis, quę non probat, sed assumit, nam mathematicæ summa semper ab omnibus tributa est certitudo, & si sua postulata non probat, ideò non probat, quia propter euidentiã maximam, quam habent, vlterius probari non possunt.

7 Dicendum pariter est cotinuum non componi ex punctis inflatis, seù ex indiuisibilibus locatis diuisibiliter, ita vt punctum de se indiuisibile occupans spatium aliquod diuisibile sit totum in toto illo spatiolo, & totum in qualibet parte illius. Hæc enim sententia noua, & contra Aristotelem, tribuit punctis continui materialis prędicatum proprium rei spiritualis; esse enim totum in toto, & totum in qualibet parte, est proprium rei spiritualis, quod rebus materialibus tribui sine miraculo non debet.

8 Superest ergo vt continuum componi dicamus ex partibus diuisibilibus in infinitum, quod tũ auctoritate Peripateticorum, Mathematicorum, & Sanctorum Patrum, tum ex impugatione aliarum sententiarum satis suadetur. Verùm quidem est ex hac sententia sequi, quod possit à Deo vna ala muscæ v g. ità diuidi per crassitiem in plures, & plures superficies tenuiores in infinitum, vt satis sint ad cooperiendum totum Cœlum; sed in hoc nullum est absurdum, & suaderi potest à paritate motus. Dato enim quolibet motu quantumuis veloci, vel tardo, dari potest alius semper velocior, & velocior, vel tardior, ac tardior in infinitum spe ctata natura ipsius motus. Detur enim vectis v. bipalmaris, cuius suprema pars, seù cuspis moueatur velocitate vt quatuor partes verò extremæ g.arditate, vt vnum, tum protendatur vectis, & fiat quadripalmaris, ideòque duplo longior, ita tamen vt noua illius cuspis non moueatur maiori velocitate, quam moueretur prius altera cuspis; hoc posito partes extremæ vectis mouebuntur tarditate, vt dimidium, quod si rursus protendatur vectis magis, & magis in infinitum, itaut semper suprema illius pars quantumuis magis, & magis protensa non moueatur nisi velo citate vt quatuor, partes extremæ talis vectis mouebuntur tarditate maiori semper, ac maiori semper, ac maiori in infinitum. Idem autem dicendum est de velocitate, si partes

si partes extremæ semper eodem modo moueantur, & vectis in infinitum protendatur, cuspis eiusm illius eò semper velocius mouebitur, quò magis protendetur; Si igitur motus esse potest maior semper, ac maior, vel minor, & minor in infinitum, quid ni hoc idem de alia qualibet qnantitate dicamus?

9 Hoc idem dicere debent tam qui componunt continuum ex indiuisibilibus infinitis, in quibus nunquam deuenitur ad vltimum indiuisibile, quam illi, qui componunt continuum ex indiuisibilibus locatis diuisibiliter; debet enim admittere, quod vbicatio cuiuslibet puncti possit esse minor semper, & minor in infinitum, ideòque quod crassities, quam habet vbicatio vnius ala muscæ sit æquiualens non tot quin pluribus vbicationibus tenuissimis, ex quibus simul sumptis tegi posset totum Cœlum.

SECTIO QVINTA.

Per quid continuentur partes continui permanentis.

1 Posito quod continuum constet partibus in infinitum, vt statuamus vtrum omnes, vel solùm aliquæ sint actu distinctæ; examinandum prius est, per quid continuentur; cum enim possint existere, & non existere continuatæ, debet aliquid dari, per quod continuentur. Primò ergo partes continui homogenei substantialis non possunt sufficienter continuari per approximationē, & dispositiones accidentales, sicuti pariter dicemus in physica, non posse materiam, & formam substantialem sufficienter vniri per dispositiones accidentales; est enim in vtrisque par ratio; sicut enim compositum ex partibus essentialibus, prout compositum, est quid substantiale, & per se intentum à natura; ita continuum substantiale, prout continuum, est quid substantiale, & per se intentum à natura. Imò peculiari ratione continuū substantiale, prout continuum, est quid substantiale, quia cum substantia illa, quæ est continua, non sit acceptibilis, neque intelligibilis vt materialis, nisi prout importans aliquas partes continuas; non est intelligibilis in ratione talis substantiæ, nisi prout importans continuationem: ergo si in cōposito essentiali, cuius partes, præscindendo ab vnione essentiali, sunt acceptibiles vt substantiales, vnio est quid substantiale, multò magis in continuo substantiali vnio continuatiua debebit esse quid substantiale. Certè sicuti homo, prout homo, est quid per se intentum à natura, ità continuum substantiale, prout continuum, est quid per se intentum à natura, quæ cum non potuerit per se intendere partes diuisas, neque illas intendere nisi propter totum continuum, dicendum est, quod per se intenderit ipsum continuum, vt continuum; ideòque vnio continuatiua, per quam formaliter constituitur continuum, erit per se intenta à natura.

2 Dices primò. Continuum continuari per approximationem, & dispositiones accidentales, non in recto, sed solùm in obliquo importatas. Sed contrà quia etiam ego dicam in composito essentiali materiam, & formam vniri per dispositiones accidentales importatas in obliquo: Imò dicam, quod neque forma equi, v. g. sit substantialis, eo quod sola materia importetur in recto cum de materia dicatur, quod sit habens formam equi. Sed re vera in neutro casu modus importandi in recto, vel in obliquo quidquam facit, cum sit merè ex nostro modo concipiendi. Similiter licet vnio continuatiua sit id, quo partes continuantur, attamen habet etiam rationem *vt quod*, quia est partiale constitutiuum continui, quod est per se intentum à natura.

3 Non potest pariter continuitas continui substantialis haberi per indiuisibilia copulatiua, tum quia omnia indiuisibilia inferius reijciemus: tum quia quando continuum diuiditur in duas partes, vel perit indiuisibile copulatiuum, vel non: si non perit, non erit de se essentialiter copulatiuum, ideòque non poterit copulari, nisi per aliquid aliud; quod si per diuisionem perit, eò quod non possit existere absque eo quod actu copulet, habebit rationem modi, ideòque iam admittuntur modi substantiales continuatiui, & solùm supererit quæstio vtrum admittendi sint diuisibiles, an indiuisibiles; atqui congruentius ponuntur diuisibiles, sed indiuisibiliter afficientes partes, quas continuāt, quia non est intelligibile quomodo aliquid indiuisibile vnire possit partes diuisibiles si illas omnes nō afficit, certè longè melius intelligimus continuari aliquid diuisibile per vnionem afficientem quamlibet partem, si qualibet ex illis indiget continuatione. Adde quod non esset maior ratio cur indiuisibile copulatiuum recipi deberet in hac potius parte, quam in alia ex illis, quas copulat, ideòque congruentius est dicere, quod afficiat, & recipiatur in qualibet.

4 Continuantur ergo partes continui substantialis per aliquid substantiale, & quidem modale, ac diuisibile, seu extensum, sed indiuisibiliter afficiens subiectum, quod continuat, tale scilicet, vt non possit vlla illius pars existere absque eo quod actu has omnes partes subiecti continuet; aliter si aliqua pars talis vnionis continuatiuæ posset tam existere, quam non existere sine actuali continuatione sui cum alijs compartibus, vel absque eo quod omnes partes sui subiecti actu continuaret, deberet aliquid aliud addi, per quod tolleretur talis differentia. Porrò non est nouum admittere tale genus entis diuisibilis, seù extensi, quod tamen indiuisibiliter afficiat subiectum; non desunt enim, qui admittant formas materiales, & modos relatiuos diuisibiles, sed indiuisibiliter afficientes subiecti.

5 Supe-

5 Superest vt statuamus vtrum quodlibet continuum quantumuis magnum vno, vel pluribus ex his modis continuatiuis continuetur, sed congruentius videtur admittere plures; aliter si tota aqua Oceani, v. g. vnico modo continuatiuo continuaretur, ablata vna gutta totus Oceanus deberet substantialiter mutari, quod non est dicendum contra communem hominum persuasionem, si possumus rem aliter explicare; Possumus autem, si dicamus: taxatam ab auctore naturæ fuisse minimam aliquã continui extensionem, quæ vnico modo continuatiuo naturaliter continuetur, hæc autem minima extentio erit maxima inter illas, quæ non possunt ab agente naturali, seù à causa secunda naturaliter operante diuidi, eò quod cum vires agentium naturalium, seù causarum secundarum sint limitatæ, deuenire tandem debeamus ad minimam aliquam extensionem, quæ diuidi ab agente naturali vlterius non possit. Hæc ergo continui particula vnica vnione continuatiua continuabitur, & vocari poterit vel maximum naturale comparatiuè ad partes minores, & minores in infinitum, quas continet, vel vsitatiori vocabulo minimum naturale comparatiuè ad reliquam totius continui molem. Quare non poterit à causis secundis naturaliter operantibus hoc minimum diuidi, licet diuidi possit, spectata præcisè eius natura; quod si fiat, dabuntur modi continuatiui minores, & minores in infinitum prout in partes minores, & minores in infinitum diuidetur.

6 Dices, si possunt dari modi minores minimo, poterunt etiam dari maiores; cur ergo non dicimus de facto modos continuatiuos esse maiores minima illa extensione, quæ non potest ab agente naturali diuidi? Respondeo, rationem esse quia modi grandiores essent expositi maiori destructioni, quia essent expositi pluribus diuisionibus, ideòque ea minima mensura debuit assumi respectu modorum cuiusque minimi, quæ minus esset exposita destructioni:

7 Vnum ergo minimum naturale vna vnione continuatiua continuatur; Sed ad hoc, vt cum alio minimo continuetur requiritur alius modus continuatiuus extensior, qui habeat afficere, & continuare vtrumque minimum, non quod priores modi pereant per aduentum istius, sed quod illa duo minima, quorum quodlibet de se faciebat vnum totum coalescant in aliud totum per alium tertium modum, & ratio est quia non possunt duo illa minima continuari vel per coexistentiam, vel per aliud quippiam accidentale, vt probatum est, ergo continuari debent per modum substantialem. Quod verò perire non debeant priores modi duorum minimorum per aduentum huius tertij, probatur. Primò quia deberet admitti vnus modus continuatiuus pro toto Oceano. Secundò à paritate vnionis hypostaticæ, quæ superueniens humanitati, non destruit vnionem essentialem animæ cum corpore, sed supplet id, quod ab vnione essentiali præstari non poterat, ergo nouus modus continuatiuus superueniens non debet esse destructiuus priorum modorum, sed addere id, quod illi præstare non possunt. Cum enim destructio non sit ratione sui bonum, non debuit à natura per se intendi, nisi quando haberi non potest aliud bonum à causis naturalibus exigitum. Si ergo haberi potest continuitas duorum minimorum inter se per nouum modum continuatiuum, qui non destruat priores, sed præstet solùm id quod illis deest, cur debebunt priores destrui? Sic in simili quando lac acescit, non dicimus destrui cum dulcedine etiam albedinem, & succedere acedinem, quæ gerat munus acedinis, & albedinis, sed remanente albedine dicimus perire solam dulcedinem.

8 Porrò si binario duorum minimorum taliter continuato continuandum sit tertium minimũ non debet dari alius modus, qui afficiat hæc tria minima: si enim ita diceremus ablato vno minimo mutaretur substantialiter totum continuum, sufficit ergo quod detur alius modus afficiens hoc tertium minimum superueniens, & solùm illud aliud minimum, quod immediatè tangit, sic enim per continuationem cum tertio minimo intermedio minima extrema erunt inter se continuata. Similiter si vnum binarium minimorum continuandum sit cum alio binario vtrumque habere debet suos modos continuatiuos, & per tertium modum continuari minima illa, quæ se se immediatè tãgunt, per quorum continuitatem sufficienter etiam erunt continuata minima extrema: sic si minimum A continuandum sit cum minimo B continuabuntur per modum continuatiuum C, minima verò D, & E, continuabuntur per modum F, vtrumque verò binarium minimorum continuabitur per modum G. Ità tamen vt modus G. sit alligatus solis minimis B. & D. non verò etiam modis continuatiuis C. & F. ne quando per diuisionem minimi A, à minimo B. petit modus C. perire etiam debeat modus G. Idem autem dicendum erit de continuatione aliorum omnium minimorum componentium continuum.

9 Dices partes vnius minimi prout distinctæ ab vnione continuatiui, vel videntur à Deo vt vnũ, & non indigebunt modo continuatiuo, per quem fiant vnum, vel videntur vt plures, & hoc dici non potest, cum non sit assignabile, vtrum videantur vt finitæ, aut vt infinitæ. Respondeo hoc argumentum soluendum esse etiam ab ijs, qui dicunt partes continuari per approximationem, & dispositiones accidentales, vel enim partes prout ab his accidentibus distinctæ videntur, vt vnum & non indigebunt his accidentibus, vel vt plures, & assigna vtrum vt finitæ, an vt infinitæ. Idem argumentum fieri potest de qualibet entitate respectu vbicationis, & durationis, quæ sunt accidentia cuique entitati debita. Peto enim vtrum creatura præscindendo ab vbicatione, & duratione videatur existens, vel non existens in loco, & tempore; si affirmes, ergo illis non indiget: si neges ergo à Deo videtur creatura existens nullibi, & in nullo tempore. Ad hæc igitur omnia dicendum est

partes

partes vnius minimi, prout distinctas ab vnione continuatiua, vbicatione, &c. neque videri vt vnũ, neque vt plures, neque in loco, neque nullibi, sed præcisiuè videri solam entitatem partium, omni modo quo sunt cognoscibiles. Atque hoc si loquamur de Deo apprehenso, ac si cognosceret ad instar nostri intellectus præscindentis; cæterùm realiter loquendo sicuti implicat, quod existant partes sine aliqua vnione continuatiua, sine aliqua vbicatione, &c. itá implicat, quod non videantur á Deo vt vnum, & vt vbicatæ, per aliquam vnionem, & vbicationem.

10 Potest hic quæri vtrum vnio continuatiua materiæ sit idem cum vnione essentiali, per quam vnitur cum forma. Sed respondendum est negatiuè, quia antequam materia vniatur formæ supponi debet in priori natura continuata, aliter non exiget formam, si enim non exigit formam substantialem, nisi vt disposita, quæ dispositio magis necessariò requiritur in materia ad recipiendum formam, quam continuitas? Porrò per vnionem essentialem non debet perire vnio continuatiua materiæ, itaut vnio essentialis gerat munus vtriusque vnionis, nam sicuti per vnionem hypostaticam non tollitur vnio inter animam, & Corpus Christi Domini, & per vnionem vnius minimi cum alio non tollitur vnio, qua partes vnius minimi inter se continuantur, ita vnio essentialis non debet tollere vnionem materiæ, sed illam vnire cum forma supplendo id, quod de se non præstat vnio continuatiua.

11 Vnio tamen continuatiua partium formæ substantialis materialis, non est cur non possit etiam gerere munus vnionis essentialis ipsius formæ cum materia; cum enim neque in priori temporis, neque in priori naturæ debeat naturaliter existere forma materialis nisi vnita materiæ, nulla est ratio cur vnio continutiua non possit etiam gerere munus vnionis essentialis; præsertim quia in vnione essentiali debent dari sua minima ne dicamus, quod, pereunte aliqua minima particula forma materialis, pereat tota vnio essentialis, qua talis forma vnitur materiæ. Vnio verò essentialis formæ spiritualis non habebit nisi prædicata vnionis essentialis, cum in forma spirituali non dentur partes cõtinuandæ. Verum quidem est, quod cum ex dicendis in physica congruentius ponatur vnio animæ rationalis cum corpore esse diuisibilis, hæc vnio constabit suis minimis continuatis eo modo, quo diximus de minimis materiæ.

12 Dices cur non asserimus quod formæ substantiales continuentur ad continuationem materiæ absque eo quod vnioni essentiali tribuamus etiam munus vnionis continuatiuæ? Respondeo hoc dici non posse quia non apparet quomodo possent partes formæ substantialis facere vnum substantiale per vnionem substantialem alterius, hoc enim modo etiam formæ accidentales dici possent continuari substantialiter per hoc, quod continuarentur ad continuationem substantialem materiæ. Formæ ergo substantiales aliquid plus requirunt, quod formis accidentalibus non est necessarium, ideòque solum formæ accidentales sufficienter continuantur ad continuationem subiecti. Partes verò continui successiui continuantur per hoc, quod post vnum minimum durationis immediatè sequatur aliud, vt constabit ex dicendis.

SECTIO SEXTA.

Infertur quænam partes in continuo permanenti sint actu distinctæ, quæ verò solùm potentia?

1 PRæmittendum est quid intelligamus per distinctionem actualem, quid per distinctionem potentialem. Hoc autem ex ipsa notione distinctionis deducendum est. Cum enim illud sit distinctum ab alio, quod non est aliud, seu quod dat fundamentum intellectui ad dicendum, hoc non est aliud; illud erit actu, seu completè distinctum ab alio, quod dat intellectui completum fundamentum dicendi *Hoc*, illud verò erit distinctum solùm potentia, & incompletè, quod de se non dat tale completum fundamentum, sed est potens illud dare, si aliquid illi addatur.

2 Hinc res heterogeneæ quamuis vnitæ sunt actu, & completè distinctæ, quia cum habeant prædicata diuersa ratione illorum dant completum fundamentum dicendi, *Hæc*, & *hæc res*: at res homogeneæ si continuentur & in aliqua illarum parte non sit peculiare aliquod prædicatũ diuersum á prædicato alterius, non dant completum fundamentum dicendi *Hæc pars*? Peto enim cur in palmo aquæ, v. g. dicitur potius hanc medietatem, quam hanc medietatem medietatis hanc medietatem medietatis medietatis? quod fundamentum peculiare habes dicendi *Hæc* & *hæc pars*? Certè nullum habes á re ipsa completum fundamentum, præscindendo á tuo libito, ideòque illa, quæ habent partes huiusmodi appellentur habere partes distinctas solùm potentia. Eo quod si alicui ex illis partibus accederet aliquod prædicatum intrinsecum terminationis, v. g. alicuius alterius intrinseci accidentis de parte potentiali transiret ad esse partem actualem, cum de non habente completum fundamẽtum dicendi *Hæc* fieret habens tale fundamentum.

3 Confirmatur hæc explicatio ex Porphyrio docente indiuiduum esse illud, cuius proprietatum collectio nunquam in alio eadem erit, si ergo in continuo totaliter homogeneo nulla est assignabilis pars, quæ habeat aliquam collectionem proprietatum, quæ non sit in alia, nulla erit completum, & actuale indiuiduum, ideòque nulla actu, & completè distincta ab alia. Neque dicas vnam partem

habere

habere talem vbicationem, quam non habet alia pars, nam cum vbicatio totius continui faciat vnum homogeneum, de hac ipsa vbicatione dico, quod nullum habet peculiare fundamentum, cur dicatur hæc medietas vbicationis potius, quam hæc medietas medietatis, &c.

4 Hoc posito dicendum est continuum substantiale constare minimis physicis, quæ actu, & completè sunt inter se distincta, ita tamen vt partes cuiusque minimi, quandiu vnica vnione continuatiua continuantur, non sint actu, sed solùm potentia distinctæ. Hoc autem probatur ex dictis; Quodlibet enim minimum habet suam peculiarem vnionem continuatiuam, quæ habet peculiare aliquod prædicatum, quod non habet vlla ex partibus in illa designabilibus; totus enim modus continuatiuus vnius minimi nullam habet connexionem essentialem quoad existentiam, cum alio quolibet modo continuatiuo, cum sine alio quolibet possit existere: At quælibet pars vnius modi continuatiui, vt potè indiuisibiliter afficientis subiectum, essentialiter cum alijs omnibus eiusdem modi connectitur, ergo quilibet modus continuatiuus, & quodlibet minimum subiecti ratione sui modi continuatiui dat peculiare, & completum fundamentum intellectui ad dicendum *Hoc minimum*, quod non dant partes in infinitum designabiles in ipso minimo, ideòque minima erunt inter se actu distincta, non verò partes vnius minimi quandiu vnica vnione continuantur, quod si per diuisionem reciperent duos modos continuatiuos, sicuti fierent duo completè *Hæc*, ita acquirerent actualem distinctionem.

5 Porrò vt aliquid sit actu, & completè Hoc, non est satis, quod habeat aliquid peculiare quidem, sed merè extrinsecum, ideòque extrinseca, v.g. designatio per actum intellectus non satis est ad completam distinctionem, per hanc enim sicuti subiectum non acquirit aliquid intrinsecum, per quod det fundamentum dicendi *Hoc*, ità non est intrinsecè *Hoc*, sed merè extrinsecè. Quare solùm ratione vel intrinsecæ diuisionis, vel alicuius accidentis peculiaris intrinsecè recepti in vna parte, non in alia poterit vna pars esse intrinsecè *Hæc*, & actu distincta ab alia.

6 Dices primò per hoc, quod vna pars intrinsecè recipiat aliquod accidens peculiare fit actu hæc ergo ante actualem receptionem, per hoc quod potuerit recipere tale peculiare accidens erat actu hæc, cum haberet prædicatum aliquod potentiale diuersum à prædicato alterius. Sed contra est, quia prædicata diuersa merè potentialia non faciunt nisi distinctionem potentialem, cum non dent de se completum fundamentum dicendi *Hoc*. Cuius rei ratio est, quia vt melius constabit ex dicendis in prædicamento relationis; prædicatum potentiæ in qualibet causa secunda est solùm inadæquatè, ideòque quælibet pars continui est potens recipere tale peculiare accidens non præcisè ratione sui, sed solùm simul cum alia causa saltem increata potente ponere in tali parte diuisionem, vel aliquod aliud accidens, ratione cuius sit completè *Hæc*. Quare sicuti quodlibet prædicatum potentiæ in rebus creatis est solùm inadæquatè, ita tale prædicatum non est in illis cognoscibile ex præcisa cognitione talis entitatis, ac proindè tale prædicatum non dat de se completum fundamentum dicendi *Hoc*.

7 Dices secundò, prædicatum potentiæ est in rebus creatis saltem inadæquatè, ergo tale prædicatum inadæquatum diuersum à prædicato inadæquato alterius dabit fundamentum sufficiens dicendi *Hoc*. Sed contra est, quia prædicatum inadæquatum potentiæ non est cognoscibile absque eo quod terminus talis potentiæ cognoscatur adæquatè, cum ergo ex præcisa cognitione etiam comprehensiua potentiæ inadequatæ non possit cognosci terminus adæquatè, quia plus cognosceretur, quàm in tali potentia contineatur, manifestè infertur, quod prædicatum quodcumque potentiale creatum vtpotè inadæquatum non det intellectui completum fundamentum dicendi *Hoc*, eo quod tale prædicatum non sit vllo modo ex vi præcisa talis entitatis cognoscibile, quia ad illud cognoscendum deberet terminus talis potentiæ adæquatè cognosci, hic autem cum adæquatè in tali potentia non contineatur, non est in illa vllo modo cognoscibilis, neque inadæquatè, quia secundum nullum sui prædicatum in potentia creata adæquatè continetur.

8 Dices tertiò, Separabilitas est signum distinctionis realis, ergo si partes vnius minimi sunt inter se separabiles erunt realiter distinctæ. Respondeo separabilitatem esse signum realis distinctionis, sed vel actualis si ea, quæ sunt separabilia ante separationem habent aliquod peculiare prædicatum diuersum; vel solùm potentialis, si non habeant.

9 Dices quartò si vnum minimum diuidatur, & deindè iterum continuetur, per talem continuationem partes illæ nihil deperdunt de sua entitate, ergo nihil deperdunt de sua indiuiduatione, ergo si quando erant diuisæ erant duo indiuidua actu distincta, etiam post continuationem erunt talia. Respondeo licet per continuationem nihil ab illis partibus deperdatur de entitate, deperdi tamen priores vniones continuatiuas, & loco duarum acquiri tantùm vnam; Hinc quamuis nihil deperdant de indiuiduatione incompleta, quam habent ab entitate, deperdunt tamen complementum duplicis indiuiduationis, quod habebatur à duplici vnione; licet enim in rebus heterogeneis indiuiduatio completa habeatur à sola entitate rei, quia sola entitas rei habet peculiare prædicatum ratione cuius dici possit, *Hæc*; In homogeneis tamen continuatis, cùm vna pars ratione solius entitatis non habeat vllum peculiare prædicatum, ratione solius entitatis non habet completam indiuiduationem, ideòque hanc habere solum potest ab aliquo alio.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

An etiam continuum fucceffiuum componatur ex minimis phyficis?

1 SVcceffiua cuiufque rei duratio fupponatur ex inferius dicendis indiftincta ab actione productiua, vel conferuatiua ipfius rei. Quo pofito dicendum eft etiam continuum fucceffiuum, intrinfecum fcilicet, ac reale cuiufque rei tempus, ac durationem conftare minimis phyficis. Veritas huius affertionis ex dictis capite fuperiori patebit, fi in particulis, feu minimis alicuius continuatæ durationis inuenerimus peculiare aliquod prædicatum diuerfum à prædicato alterius, ita tamen, vt in nulla ex particulis componentibus tale minimum fit reperibile aliquod prædicatum diuerfum.

2 Ad huius ergo rei probationem triplex genus rerum creatarum diftinguendum eft, aliquæ enim pendent tam in fieri, quam in conferuari à folo Deo, aliquæ pendent in conferuari à folo Deo fed in fieri à Deo fimul, & caufa fecunda; aliæ demum tam in fieri, quam in conferuari pendent à Deo fimul, & caufa fecunda. Primò igitur in duratione rei, quæ in conferuari pendet à folo Deo, in fieri verò à Deo fimul, & caufa fecunda facile diftinguimus minima; actio enim illa, quæ eft influxus Dei fimul, & caufæ fecundæ habet peculiare prædicatum diuerfum à prædicatis illius actionis quæ deinde eft influxus folius Dei, ergo vna actio erit actu diftincta ab alia; ideòque prior illa pars durationis, quæ eft actio Dei, & caufæ fecundæ erit primum minimum, in actione verò quæ ad hoc primum minimum fequitur alia deinde diftinguentur minima iuxta ea, quæ mox dicemus. Porro primum illud minimum determinabitur ad habendam extenfionem maiorem, vel minorem à maiori, vel minori virtute caufæ fecundæ in operando, caufa enim fecunda, quæ eft validior in agendo ficuti citius agit, ita agit per influxum, qui fit minimum breuius.

3 Quod fi res vel tam in fieri, quam in conferuari pendeat à folo Deo: vel tam in fieri, quam in conferuari pendeat à Deo fimul, & caufa fecunda, fpectabit ad auctorem naturæ eligere durationem tantæ extentionis, quæ vnico eius decreto ponatur, & tanquam primum beneficium creaturæ conferatur, ficut enim taxatur ab auctore naturæ tanta particula fubiecti materialis, quæ vnica vnione continuatiua continuetur, ita taxabitur à Deo tanta menfura durationis, quæ vnico decreto conferatur, cum enim quo ad hoc non poffimus in ipfa rei natura inuenire fufficiens determinatiuum, cogimur recurrere ad meram auctoris naturæ determinationem.

4 Neque verò dicendum eft vnico decreto fuiffe à Deo volitam totam durationem Angeli; v. g. futuram per totam æternitatem, ideòque non poffe minima durationum diftingui penes diuerfa Dei decreta; nam cum de decretis Dei difcurramus pro ratione rerum volitarum, ficuti exiftimamus durationem hodiernam, & durationem externam effe diuerfas res ita dicendum eft, quod duratio hodierna diuerfo decreto volita fuerit à duratione externa; & ficuti infitum nobis eft à natura, vt gratias agamus Deo pro conferuatione hodierna tamquam pro diuerfo beneficio à conferuatione externa, ita duratio hodierna volita erit decreto diuerfo. Cum ex dictis vbi de ente infinito, implicet, quod hæc diuerfa fint infinita, dicendum erit taxatam ab auctore naturæ fuiffe tantam durationis extenfionem, quæ fit vnum beneficium diuerfum à beneficijs aliarum durationum.

5 Porrò fi poft collationem primi minimi durationis fecundum minimum detur connaturaliter, dabitur intuitu durationis præhabitæ, ex eo fcilicet, quod res præftiterit in tali duratione antecedẽte, & nihil aduenerit exigens deftructionem illius; hoc ergo fecundum minimum pofitum intuitu prioris habet peculiare prædicatum alligationis ad minimum præcedens, vt probabimus in prædicamento actionis, vbi agemus de alligatione actionis ad fines. Similiter tertium minimum pofitum intuitu fecundi habet peculiare prædicatum alligationis ad fecundum, & fic de cæteris, ideòque in quolibet minimo erit reperibile peculiare prædicatum alligationis ad minimũ durationis immediatè præcedens. Quod fi fecundum, vel aliquod aliud minimum durationis non ponitur per decretum connaturale, fed per tale decretum, quo Deus velit conferuare rem etiam fi non præftitiffet, vel etiamfi aliquid daretur exigens illius deftructionem, adhuc tale minimum durationis debebit effe explicatiuum talis decreti Dei, ideoque debebit habere prædicatum peculiare. Idem dicendum de tota duratione, qua res pendens in fieri à Deo fimul, & caufa fecunda, conferuatur deinde à folo Deo, in illa enim diftinguenda funt minima prout per diuerfa Dei decreta intelliguntur pofita.

6 Quodlibet ex his minimis diximus conftare partibus folùm potentia diftinctis, quia in nulla ipfius parte eft reperibile prædicatum aliquod diuerfum, ratione cuius dici poffit, *Hæc*. Si enim dicas vnam partem minimi perire, quando nondum perit alia ideòque in vna parte dari peculiare prædicatum. Contra eft, quia perire eft prædicatum commune æquè conueniens cuilibet parti defignabili in minimo, dum verò dicis *Hæc* pars perit quando non perit hæc alia; peto quod peculiare fundamentum habes dicendi potius de hac parte, quam de illius medietate, quod pereat, quando

non

non perit alia? Certè sicuti merè ex tuo libito designas hanc partem potius quam illam, ità hæc pars de se præcisè nullum habens peculiare prædicatum, ratione cuius dicatur *Hæc*, non est de se complete, & actu *Hæc*, sed solùm incompletè, & in potentia. Idem respondebo si dicas primam medietatem minimi esse priorem secunda; Hoc enim quod est esse priorem, & posteriorem est prædicatum commune cum in qualibet minimi particula in infinitū designabili possimus assignare aliquid prius, & aliquid posterius, at non nisi prius,& posterius incompletè, cum sine vllo peculiari fundamento, sed merè ex nostrò libito designemus hanc potius medietatem priorem, quàm medietatē medietatis, &c. ideòque ex hoc quod est esse prius, & posterius, non possumus inferre contradictoria nisi incompletè, adeòque solùm sufficientia ad distinctionem in potentia, seu incompletam, iuxta acceptionem distinctionis in potentia initio positam.

7 Iuxta hanc sententiam facilè explicatur quomodo Achilles cursor velocissimus assequatur formicam. Supponamus enim ex infra dicendis, motum, hoc est vbicationem fluentem constare etiam minimis; quo posito. Ideò Achilles assequitur formicam, quia dum punctum, seù minimum Achillis ponit vnum minimum vbicationis fluentis tantæ extensionis per durationem breuiorem; punctum, seù minimum formicæ ponit minimum vbicationis fluentis paris extensionis per durationem multò longiorem; & quia minimum vbicationis poni potest per durationem breuiorem; & breuiorem in infinitum, vt probatum est sect.4. num.8. potest Achilles citius, & citius in infinitum assequi formicam. Idem autem dicendum in alijs similibus.

8 Neque verò vnum minimum indiget aliquo, per quod cum alio minimo continuetur, per hoc enim; quod post vnum minimum immediatè sequatur aliud, vnum continuatur cum alio, cum sit impossibile vtrumque existere, & non existere continuata; & quamuis partes etiam minimi inter se continuentur, per hoc quod vna immediatè sequatur ad aliam; minima tamen inter se sunt actu distincta, partes verò minimi nequaquam, quia inter partes minimi continuatas nullum est reperibile peculiare prædicatum, quod conueniat vni, & non conueniat alteri; & cum inter minima continuata sit assignabile aliquod peculiare prædicatum conueniens vni minimo, quod non conuenit alteri, vnum minimum erit actu distinctum ab alio, vtpote dans peculiare fundamentum dicendi *Hoc*.

SECTIO OCTAVA.

An in continuo permanente, vel successiuo præter minima Physica admittenda sint aliqua indiuisibilia Mathematica.

1 QVamuis supra probauerimus non componi continuum ex solis indiuisibilibus, dubitatur tamen vtrum præter partes, & minima admitti debeant aliqua mathematicè indiuisibilia, quæ vel ad copulandas, vel ad terminandas partes inseruiant. Sed omnia indiuisibilia reijcienda sunt, quia neque ad continuandas, neque ad terminandas partes, neque ad aliud quidquam inseruiunt. Non ad continuandas partes, quia partes diuisibiles melius continuantur per aliquid diuisibile, vt supra probauimus. Non ad illas terminandas, quia si intelligatur à linea ablatum punctum, adhuc intelligitur terminata; per hoc enim præcisè, quod non sit vlterius extensa erit terminata, neque terminata solùm negatiuè seu radicaliter, sed etiam positiuè, & formaliter, terminationem enim quam tu dicis esse radicalem, ego dico esse formalem.

2 Præterea vel indiuisibile penetratur cum partibus, vel non. Si non penetratur, ergo punctum additum puncto, vel parti facit extensionem, quod supra sect.4. num.2. impugnauimus, si verò penetratur indiuisibile occupabit spatium quod occupatur à parte, cum qua penetratur. Quod si dicas penetrari cum aliqua parte diuisibili, sed indeterminatè; Contra est, quia iam corruunt omnia argumenta, propter quæ admitti solent puncta, eodem enim modo sine punctis; vt mox videbimus, dicere poterimus: quod sphæra tangat planum in parte determinata, sed indeterminatè, &c.

3 Peto pariter admissis punctis; Vel post punctum sequitur immediatè linea, vel aliud punctū. Si aliud punctum. Vel linea tota constabit ex punctis vel deueniendum est ad aliquod punctum, post quod sequatur immediatè non punctum, sed linea, si ergo post aliquod punctum sequitur linea, dabitur aliquod continuum sine punctis. Quod si aliquod, cur non omne? Si verò dicas non posse assignari, quid post punctum immediatè sequatur; corruunt omnia argumenta, quæ afferuntur pro punctis; eodem enim modo dicam non posse assignari quid sphæræ immediatè tangat planum.

4 Demum naturaliter daretur annihilatio, & creatio punctorum materiæ primæ, quando enim partes materiæ diuiderentur, daretur tum creatio nouorum punctorum terminatiuorum, tum annihilatio priorum copulatiuorum, cum enim neque vna pars, neque vnum punctum materiæ educatur ex alia parte materiæ, si puncta materiæ producuntur de nouo creabuntur. Hoc non militat contra nostras vniones continuatiuas, quæ cum sint entitates modales educuntur de potentia illius subiecti, ad cuius partes continuandas educuntur.

5 Præcipua difficultas hic est in explicando corporum contactu, præcipuè verò sphæræ, vel cylindri cum plano. Cum enim perfectè curuum adæquari nullo modo possit cum perfectè plano sphæra dicitur à mathematicis tangere planum in puncto, cylinder verò tangere planum in linea; ideòque admittenda videntur puncta, & lineæ. Sed vt ergo propositæ difficultati melius satisfiat, præmittendum est quid requiratur ad rigorosum contractum. Ad hunc ergo dicimus satis esse quod duo corpora accepta secundum se tota ità sint sibi approximata, vt seruata vtriusque figura, non possint secundum se tota magis approximari sine penetratione, quidquid sit vtrum secundum aliquam sui partem, siue secundum quamlibet distributiuè acceptam possint magis approximari. Quod autem hoc sit satis constat, tum ex ipsa notione contactus, qui importat maximam approximationem, tum quia gratis aliquid plus requiritur.

6 Porro aliqua se tangunt commensurabilem, & adæquatè, alia incommensurabiliter, & inadæquatè. Illa se tangunt commensurabiliter, quæ ità sunt maximè approximata, vt per talem contactum vnum corpus metiatur aliud, eo quod ex cognita dimensione vnius possimus venire in cognitionem alterius, illa vero se tangunt incommensurabiliter, per quorum maximam approximationem non sequitur, quod ex cognita dimensione vnius possimus venire in cognitionem de dimensione alterius. Rursus aliqua se tangunt incommensurabiliter secundum quamcunque dimensione, alia verò se tangunt commensurabiliter secundum vnam dimensionem, sed incommensurabiliter secundum aliam.

7 Hoc posito duo plana palmaria, v. g. tangunt se commensurabiliter, secundum longitudinem, & latitudinem, quia ex cognita longitudine, & latitudine vnius possumus per talem contactum venire in cognitionem de longitudine, & latitudine alterius, at secundum profunditatem tangunt se incommensurabiliter, quia ex cognita profunditate vnius non possumus per talem contactum venire in cognitionem de profunditate alterius; ad talem enim contactum nulla determinata profunditas est requisita, sed quælibet minor, & minor in infinitum est satis. Duo ergo plana dicuntur se tangere in superficie, non quod per talem contactum designentur duæ superficies, sed quod nulla sit determinata profunditas requisita ad talem contactum. Simili modo dicendum est de cylindro tangente planum; tangit enim illum commensurabiliter secum longitudinem, incommensurabiliter secundum latitudinem, & profunditatem, atque hoc est tangere in linea, ita scilicet tangere, vt ad talem contactum nulla latitudo, nullaque profunditas sit determinatè requisita, sed quælibet minor, & minor sufficiat, ex quo fit vt ex cognita latitudine, & profunditate cylindri nihil propterea sciamus de latitudine, & profunditate plani. Demum sphæra tangit planum in puncto, hoc est incommensurabiliter secundum quamcunque dimensionem, eo quod ex cognita dimensione sphæræ non possimus venire in cognitionem de vlla dimensione plani, & similiter ex cognita dimensione plani non possumus cognoscere vllam dimensionem sphæræ, eo quod nulla pars assignabilis in sphæra, vel plano sit determinatè requisita ad talem contactum, sed quælibet minor, & minor in infinitum sit satis.

8 Dices primò, negatis omnibus indiuisibilibus non potest explicari vtrum sphæra tangit, vel non tangat immediatè planum, (& eadem est ratio de cylindro,) vel enim inter totam sphæram, & planum mediat aer, & non se tangent immediatè, vel non mediat, & cum non possint esse sibi inuicem immediata secundum aliquam partem diuisibilem, quia omnis pars diuisibilis sphæræ recedit à plano, erunt sibi immediata secundum aliquid indiuisibile; sed hæc difficultas æquè soluenda est admissis indiuisibilibus. Quæro enim vel inter omnes partes sphæræ, & plani mediat aer, & non se tangent immediatè, vel non mediat, & ideò non mediabit, quia aer circumfusus interrumpetur; & perforabitur à puncto sphæræ tangente immediatè planum, sed hoc dici non potest primò quia punctum sphæræ tangens planum immediatè debet, vt supra sect. 4. num. 2. probauimus, cum illo penetrari, cum tangat illud secundum se totum, ergo si punctum plani non interrumpit continuationem aeris, neque punctum sphæræ illam interrumpet. Secundò punctum sphæræ non emicat à partibus, ergo si partes non interrumpunt aerem circumfusum, neque hic interrumpetur à puncto. Tertiò si Deus destruat hoc punctum, in quo dicis fieri contactum num propterea sphæra magis approximabitur plano? num fiet aliqua in aere circumfuso variatio? si hæc dicas, erit profecto hoc tuum punctum satis crassum.

9 Directè ergo respondeo aerem medium inter sphæram, & planum per talem contactum ità conformari, vt versus contactum semper magis, & magis attenuetur, adeò vt nullam possis assignare crassitiem tam paruam, qua minor non detur in in aliqua parte talis aeris, sicut enim in sphæra tangente planum nunquam assignare potes partem ità proximè tangentem, vt non sit diuisibilis in duas particulas minores, de quarum vna dicere possis quod proximè tangat, de alia non. Ità in aere illo per talem contactum conformato in scutellam nunquam poteris assignare particulam vllam tam modicæ crassitiei, vt non sit assignabilis alia particula crassitiei minoris. Atque hoc est de re, quæstio iam potius de nomine superest, vtrum inter totam sphæram dicendus sit mediare; vel non mediare, aër: sed dicendum est mediare aërem, at indeterminatæ crassitiei, non quod detur aliquid indeterminatum, sed quod in tali determinata aëris crassitie, si procedamus per plures, & plures designationes crassitiei minoris, & minoris, nunquam sit designabilis vlla determinata crassities

tam

tam modica, qua non detur semper alia, & alia minor, & minor in infinitum; sic pyramis desinit in acumen determinatum; sed indeterminatæ crassitiei, eo quod licet designabile determinatum aliquod, & vltimum minimum, in illo tamen si versus fastigium procedamus per designationes minores, & minores nunquam designare possumus particulam crassitiei tam modicæ, qua non detur alia, & alia minoris semper, & minoris crassitiei in infinitum.

10 Dices 2. si inter totam spheram, & planum mediat aer, sphera, & planum non se tangunt immediatè. Respondeo cum distinctione, non se tangunt immediatè per omnimodam exclusionem aeris concedo. Non se tangunt immediatè per omnimodam approximationem, quæ ad rigorosum contactum satis est, vt initio vidimus, nego. Illa enim inter quæ mediat aer determinatæ crassitiei, non se tangunt immediatè, quia aer determinatę crassitiei impedit maximam approximationem, at illa inter, quæ mediat aer, sed indeterminatæ crassitiei eo modo, quo explicuimus dici possunt se se tangere immediatè, si ad immediatum contactum nihil aliud requiramus nisi maximam approximationem. Hinc si Deus destrueret totum aerem interceptum non propterea sphera posset magis accedere ad planum, cum supponatur ita approximata vt salua figura magis approximari non possit.

11 Dices 3. si duæ piramides aquæ intelliguntur se se tangere in cuspide, aer hinc indè conformabitur etiam ipse in duas piramides se se tangentes in cuspide. Ergo cum nullum adsit impedimentum, duæ illæ piramides aqueæ inter se continuabuntur, & inter se pariter continuabuntur duæ illæ duæ piramides aereę, hoc autem dici non potest, quia, & inter duas piramides aqueas continuatas secundum cuspide mediaret aer, & inter duas piramides aereas eodem modo continuatas mediaret aqua. Sed hoc etiam soluendum est admissis indiuisibilibus, vt ex supradictis constat. Directè tamen respondendum est, quod quamuis duę piramides homogeneæ se se hoc modo tangentes sint maximę approximatæ, quatenus stante tali figura magis approximari non possunt, non tamen continuantur, quia cum maxima approximatione non habent etiam adæquationem, quę ad continuationem requiritur. non enim intelligi possunt continuata, nisi quæ ita inter se cohęrent, vt adequentur.

12 Dices 4. lumen recipitur in superficie, ergo superficies indiuisibilis est admittenda. ℞. lumen non recipi in mera superficie, quæ non datur, sed in aliqua crassitie maiori, vel minori pro diuersitate corporis, quod illuminatur. Hoc autem constat ex eo, quod nullum sit corpus ita densum, quod in subtilissimas laminas attenuatum non sit pellucidum. Non tamen propterea omne corpus dicendum erit diaphanum, diaphanum enim dicitur illud, quod quamuis habeat aliquam notabilem crassitiem adhuc tamen lucem transmittit.

13 Etiamsi mathematici in suis demonstrationibus procedant ex suppositione indiuisibiliũ, quod idem sæpè pręstat Aristoteles, non tamen dicendum est dari indiuisibilia nisi virtualia, & solùm à partibus formaliter, seù ex nostro modo concipiendi distincta, hoc enim ad mathematicorum demonstrationes abundè est. Quare corpus, prout solùm concipietur habens longitudinem est linea, prout verò concipitur ita vt in ordine ad talē contactum perinde se habeat, ac si nullam haberet extensionem, est virtualiter punctum. Adde Aristotelem locutum de indiuisibilibus iuxta famosam sui temporis opinionem, libro enim de motu animalium cap. 2. negat in Cœlo polos, qui sint puncta immobilia, super quę Cœlum moueatur.

14 Nulla in continuo successiuo admittenda sunt instantia realiter indiuisibilia, primò, quia benè explicari possunt per instantia virtualia, vt diximus de cōtinuo permanēti ex cuius paritate, & ex argumētis pro eo adductis impugnari etiã possunt instantia in tempore. Secundo neq; instãtia neq; aliud quidpiã necessarium est ad copulandas partes tēporis, per hoc enim præcisè, quod vnum minimũ durationis immediate succedat alteri sufficienter intelligitur cōtinuatio durationũ. Adde, quod si essent continuandæ partes temporis, per indiuisibilia; deberent dari indiuisibilia infinita, cum enim non sit maior ratio, cur detur indiuisibile copulatiuum inter hanc potius partem, quam inter illam, dari deberet inter omnes, adeòque inter infinitas; Sed neque necessaria sunt indiuisibilia ad partes temporis terminandas, per hoc enim pręcisè, quod post vnam durationem sequatur alia illa intelligitur terminata. Tertiò non est explicabile vtrùm instantia in tempore facerent, vel non facerent extensionem; si enim dicas, quod facerent: Contrà est tum; quia punctum additum puncto, vel parti non facit extensionem, vt sectione 4. num. 2. probauimus, tum quia ex hoc facilè pateret aditus ad componendum totum tempus ex solis instantibus. Si verò dicas, quod non facerent extensionem, contra est quia si vnus Angelus duret in actu charitatis, v.g. per horam, & per instans, alius verò duret solam horam, ille primus videtur plus durasse in actu charitatis, & plus meruisse, quam hic alius. Pariter si primus Angelus conseruetur solùm per horam, & per instans, secundus verò post horã statim annihiletur, poterit ille primus videre aliquid, quod Deus in vltimo illo instanti creasset, quod videri à secundo non posset ergo plus durasset, quã ille qui fuisset conseruatus solùm per horam.

15 Dices primò negatis instantibus assignari non potest, quænam sit prima rei productio distincta à conseruatione. ℞. primum minimum durationis, quo res durat dici posse primam productionem, & quidem actu distinctam à conseruatione, dici, inquam, potest, quia primum minimum non est ita prima pars durationis, vt non sit prior altera posterior, & rursus in illa quæ est prior

adhuc aliæ duæ sunt designabiles; vna prior, altera posterior, & sic in infinitum; quod supposita natura continui diuisibilis in infinitum, non habet difficultatem.

16 Dices secundò, negatis instantibus neganda sunt etiam actiones instantaneæ, quod non est dicendum. ℞. negatis instantibus nullam aliam dari actionem instantaneam nisi illam, per quam terminus producitur totus simul: Sic creatio Angeli, v.g. est actio instantanea, non quod actio creatiua Angeli sit vnicum instans, sed quod totus Angelus simul creetur per actionem, & durationem tantæ determinatæ extensionis, sed indeterminatè requisitam, eo quod nulla sit assignabilis actio, & duratio tam modicæ extensionis, vt minor, & minor in infinitum non suisset satis ad creandum Angelum. Ideòque licet de facto ad creandum Angelum assumi semper debeat actio tantæ extensionis determinatæ, nulla tamen est determinatè requisita, & necessaria. Sic licet Angelus poni possit in loco per vbicationem minorem, & minorem, quoties tamen existit in loco, existere in illo debet per vbicationem alicuius determinatæ extensionis.

17 Hinc actio successiua ad distinctionem instantaneæ iuxta modum explicatum dicitur illa, quæ non modo entitatiuè est successiua, sed per eam producitur terminus per partes, taliter vt nulla sit assignabilis particula ita primò producta, vt in illa non sint semper designabiles duæ particulæ minores, quarum vna sit producta prius, alia posterius, sic quando intensiuè, vel extensiuè producitur nouus calor, producitur tam quo ad extensionem, quam quo ad intensionem per minima, vt suo loco dicemus, sed ita vt nulla sit designabilis pars minimi, quæ producta fuerit tota simul, sed in qualibet particula quantumuis minima, designari possunt duæ particulæ minores, quarum vna fuerit producta prius alia posterius, ex hoc tamen non arguitur actualis distinctio inter partes vnius minimi, quia hoc est prædicatum commune cuilibet parti in infinitum designabili, vt diximus sect. 6. num. 4. ideòque insufficiens ad actualem distinctionem.

18 Dices tertiò, negatis instantibus voluntas non posset elicere actum liberum mathematicè instantaneum ergo necessitaretur ad persistendum in illo per aliquod tempus. Respondeo hoc non officere libertati, ad hanc enim satis est, quod voluntas durare possit in actu libero minus, prout ei libuerit intra minimam illam temporis extensionem, in qua cæteroqui potest operari supposita limitatione talis potentiæ ad posse operari in tanta temporis extensione, non verò in minori. Demum negatis instantibus nunc, & tempus præsens erit totum hoc minimum determinatum, sed indeterminatè requisitum ad rationem temporis præsentis, & nunc; quæcunque enim particula satis fuisset ad constituendum tempus præsens, & nunc.

SECTIO NONA.

De rerum inceptione, & desitione.

1 HInc quæcunque incipiunt, & desinunt habent determinatam inceptionem, & desitionem tam intrinsecam quam extrinsecam, actu tamen, non potentia, in cuiusque enim rei duratione datur primum, & vltimum minimum talis durationis, quæ sunt illius inceptio, & desitio intrinseca, & assignare præterea possumus minimum temporis saltem imaginarij immediatè præcedens primum minimum intrinsecum illius durationis, quod respectu illius erit inceptio extrinseca, & pariter assignare possumus primum minimum temporis extrinseci saltem imaginarij immediatè subsequens ad vltimum minimum intrinsecum illius durationis, quod erit respectu illius desitio extrinseca.

2 Quælibet tamen huiusmodi inceptio, & desitio est determinata actu, non potentia, quia licet de facto primum minimum talis durationis habeat tantam determinatam extensionem, minor tamen, & minor extensio saltem per Diuinam potentiam suisset satis, ideòque nulla determinata inceptio, vel desitio tam extrinseca quam intrinseca est determinatè requisita. Sic diximus à sphæra tangi planum in minimo determinato, sed determinatè requisito, medietas enim inferior designabilis in vltimo minimo sphæræ, quod est vicinius plano suisset satis ad talem contactum, imò medietas medietatis, & medietas medietatis medietatis in infinitum, satis, & abundè suisset. Simili ergo pacto res accipit primum suum esse in hoc determinato minimo, licet medietas, & medietas medietatis, &c. suiset satis. Idem autem dicendum de minimis desitionis, tam intrinsecè, quam extrinsecè.

3 Quamuis autem omnia dici possint incipere, desinere tam intrinsecè, quam extrinsecè: proprius tamen loquendo, res dicitur desinere extrinsecè per primum sui non esse, potius quam intrinsecè per vltimum sui esse: E contra verò res dicitur potius incipere intrinsecè per primum sui esse quam extrinsecè per vltimum sui non esse; & ratio est quia sicut inceptio denotat quid positiuum, & esse rei, ita desitio denotat potius quid negatiuum, & non esse rei. Sed hoc est de nomine. De re est, quod præter determinatam inceptionem, & desitionem intrinsecam, vel extrinsecam iuxta modum explicatum, nulla detur inceptio, vel desitio in tempore indeterminato; Quidquid enim actu existit determinatum est ergo quæcumque inceptio, vel desitio detur non potest esse nisi determinata.

4 Dices

4 Dices primò, Quia solùm aliqua nauis est determinatè requisita ad nauigandum, nulla verò est necessaria determinatè, datur necessitas vaga, & indeterminata alicuius nauis ad nauigandum, ergo verè datur aliquid indeterminatum. Respondeo non aliter esse admittendum, quod detur aliqua necessitas vaga, nisi quatenus resoluitur in aliquid existens determinatum; Quare dari necessitatem vagam alicuius nauis ad nauigandum, nihil erit aliud, quam dari voluntatem liberam habentem suum determinatum esse, quæ ex suppositione, quod velit nauigationem, tenetur, & habet necessitatem eligendi, vel hanc, vel illam nauim, quam maluerit, ideòque habet libertatem, sed permistam cum aliqua necessitate, ex suppositione, tamen quod velit nauigationem.

5 Dices secundò, Creabilitas mundi, eiusdem conseruatio, & destruibilitas non inceperunt nisi in tempore indeterminato? Respondeo, mundum denominari creabilem merè ab omni potentia Dei potente creare mundum, vt vidimus distinct.4. Cum ergo forma talis denominationis semper extiterit semper fuit mundus creabilis non nisi in tẽpore, semper tamen priori, & priori in infinitũ, quare nunquam incepit potentia Diuina potens creare mundum, sed à potentia, quæ ab æterno fuit non potuit mundus creari nisi in tempore, priori tamen, & priori in infinitum. Conseruatio mundi actu distincta à prima productione incepit post primum minimum, potuisset tamen incipere post primum minimum breuius, & breuius in infinitum, si Deus pro prima mundi productione elegisset minimum breuius; in illo autem primo minimo, sicuti nunquam est assignabilis vlla pars, ita prior, vt non sint in ea designabiles duæ particulæ, vna prior, altera posterior, ita semper est designabilis aliqua particula prior, & prior in infinitum, quæ dici possit prima inceptio: Simili modo dicendum est de destruibilitate, hæc enim incepit post primum minimum actu non potentia, eò quod potuerit prius, & prius in infinitum incipere, si pro primo minimo durationis elegisset Deus minimum breuius, & breuius.

6 Dices tertiò, si imponatur alicui præceptum eliciendi contritionem ante finem horæ, & illam non eliciat, quando incepit peccatum? Respondeo cum vires cuiuscunque agentis creati sint limitatæ, adeòque non possint operari in quacunque temporis mensura quantumuis breuiori, & breuiori in infinitum, quando is, cui impositum est præceptum peruenit ad talem minimam temporis mensuram, vt in minori non possit operari, si tunc non eliciat contritionem, tunc incipiet esse peccator, idemque proportionaliter dicendum in alijs similibus casibus.

CAPVT QVARTVM,

De Prædicamento Qualitatis.

1 QValitatis nomen accipitur primò latissimè pro omni eo, quod aduenit alteri per modum formæ, siue sit in substantiale, sic Arist. in prædicamento substantiæ, ait secundas substantias dici in quale de primis, eo quod concipiantur esse qualitates illarum; Similiter differentia quantumuis substantialis dicitur prædicari in quale quid. Strictius nomine qualitatis venit quodlibet accidens. Hoc enim dicitur simpliciter prædicari in quale. Sed cum omne accidens aliud sit modale, aliud reale, hoc subdiuiditur in quantitatem, & qualitatem; Hinc qualitas proprijssimè dicta significat accidens reale, à quantitate distinctum.

2 Qualitas difinitur, seu describitur ab Aristot. in hoc prædicamento esse illa *secundum quam quales quidam esse dicuntur*. Hæc autem explicatio non est tanquam merus circulus reijcienda, vt aliqui dixerunt, abstracta enim aliquatenus explicantur per concreta, quæ sunt nobis notiora quam abstracta. Sic humanitatem non malè diceremus esse illam, secundum quam quidam, homines dicuntur. Clarius tamen dici potest; Qualitatem esse accidens reale non quantum, sicut enim in definitione Bruti apponimus loco differentiæ aliquid negatiuum, & dicimus, Brutum esse animal irrationale; ita definiendo qualitatem, bene possumus loco differentiæ apponere aliquid negatiuum, cum aliud positiuum prædicatum nobis non innotescat.

3 Quatuor ab Aristotele assignantur species qualitatis, habitus scilicet, ac dispositio. Potentia, & impotentia. Passio, & passibilis qualitas. Forma, & figura. Tam habitus, qui est qualitas difficile mobilis quàm dispositio, quæ est qualitas facilè mobilis, & veluti habitus in pueritia, communi nomine vocatur habitus, & constituit primam speciem qualitatis. Sic etiam tam potentia, quæ est qualitas valida ad agendum, vel patiendum, vel resistendum, quam impotentia, cuius nomine non venit negatio potentiæ; sed qualitas, & facultas debilis, communi nomine appellantur potentia, & constituunt secundam speciem qualitatis. Similiter tam passio, quam qualitas passibilis communi vocabulo dici solet qualitas passibilis; seu sensibilis, vtraque autem sic appellatur per ordinem ad sensum, ex eo nimirum quod vtraque causet passionem in sensu. Illa tamen qualitas, quæ firmius inhæret subiecto dicitur magis propriè qualitas passibilis, quæ verò solùm transeunter afficit sensum ex subita aliqua animi affectione, dicitur magis propriè passio; ex qua subiectum non deno-

denominatur simpliciter quale, quia in communi modo loquendi, non dicitur simpliciter rubicundus, qui ex verecundia ad modicum tempus rubescit; & in hoc sensu explicandus est Aristoteles, dum docuit passiones non dici qualitates, nec per eas subiectum denominari quale; verè enim per passiones iuxta communem loquendi modum non denominatur subiectum simpliciter quale. Demum forma, & figura pertinere etiam possunt ad prædicamentum qualitatis in acceptione Aristotelica; quamuis enim figura constituatur per accidens modale, attamen ad interrogationem factam per quale, tam respondemus sphæram esse rotundam, quam esse albam, pulchram, &c. Verum quia nos qualitatem strictius accepimus; ideò illam superius definiuimus accidens reale non quantum, sed hoc est nullius ferè momenti.

4 Præcipua qualitatum proprietas est intensio, & remissio. Intensio definitur motus, per quem aliquid ex tali fit magis tale secundum eandem partem subiecti. Remissio verò motus, per quem aliquid ex tali fit minus tale secundum eandem partem subiecti; sicut enim per extensionem, qualitas tendit, ita per intensionem, quasi tendit intrà, non in diuersam, sed in eandem partem subiecti. Non quod tam intensio, quàm remissio reperiri non possit in subiecto carente partibus, nam etiam in subiecto spirituali, & indiuisibili datur aliquarum qualitatum intensio, sed quod si subiectum habet partes tam intensio, quam remissio habeatur solum secundum eandem partem, non aliter ac linea curua (quod est exemplum Aristotelis) fit magis, vel minus curua, non quod aliqua pars de non curua, sed quod eadem pars de minus curua fiat magis curua, vel è contra.

5 Non tamen omni qualitati conuenit intensio, & remissio, si præsertim formam, & figuram inter species qualitatis cum Aristotele numerus, vt enim ipse ait in hoc prædicamento. *Triangolus, & Quadrangulus non videntur magis, & minus suscipere, neque aliqua aliarum figurarum, quæ enim definitionem trianguli recipiunt, & circuli, omnia similiter trianguli, vel circuli sunt.* Datur etiam in ordine supernaturali gratia, quæ est capax intensionis, cum possit quis de grato fieri magis gratus, nec tamen est capax remissionis, sicuti aliæ qualitates, nunquam enim quis fit de magis grato minus gratus, sed vel nihil gratiæ tollitur, si non adsit peccatum mortale, vel tota per illud deperditur. Dicitur etiam lumen gloriæ, quod potuit quidem initio conferri perfectius, & perfectiùs, sed postquam Beatus habuit hoc lumen gloriæ tantæ perfectionis, non potest illud augere, vt potè, quod non habetur nisi in patria, vbi non est locus merito. Verum de qualitatis intensione, & singulis eius speciebus opportunius alibi.

CAPVT QVINTVM.

De Prædicamento Relationis.

Vt hic de relatione prædicamentali simul ac trascendentali inter se valdè connexis agamus sit

SECTIO PRIMA.

De Relatione transcendentali.

1 RElatio nihil est aliud, quam ordo, tendentia, & habitudo vnius ad aliud, vt propterea Aristoteles caput de relatione inscripserit. *De his quæ ad aliud.* Vbi definiens relationem in concreto duplicem relatiuorum definitionem affert. Prima est. *Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Sed hæc est definitio, vel tradita à Platone, vel certè ab alijs ex veteribus; & cum tradatur per dici complectitur relationes non solùm reales, sed etiam merè secundùm dici. Hinc meritò reijcitur ab Aristotele, dum aliam definitionem tradit per esse, & se habere ad aliud, quæ propterea non comprehendit nisi relationes reales, & est hæc. *Ad aliud sunt quibus hoc ipsum est esse ad aliud quodammodo se habere.*

2 Diuidi primò potest relatio in realem, & rationis, seu merè secundum dici. Sic (quod est exemplum S. Thomæ cap. 1. q. 13. art. 7.) Idem dicitur eidem idem non ex eo quod detur aliqua vera relatio eiusdem ad se ipsum, sed secundum quod intellectus apprehendit bis aliquid vnum, statuens illud vt duo, & sic apprehendit quandam habitudinem ipsius ad se ipsum. Sed relictis relationibus merè secundum dici, asserendum est dari veras, & reales relationes, multa enim dantur, quæ concipi à nobis nullo modo possunt nisi ordinata ad aliud, ergo dicendum est quod de illorum essentia sit esse ordinata ad aliud. Antecedens patet, quis enim concipiat potentiam visiuam, vel intellectiuam, & non concipiat illas vt ordinatas ad visionem, & intellectionem? Consequentia probatur, quia quotiescunque aliquid non est intelligibile nisi sub conceptu talis esse, toties dicimus, & cogimur

gimur dicere, quod illud re vera habeat tale esse. Sic quia non possumus formare conceptum adæquatum hominis absque eo, quod illum concipiamus vt animal rationale, & quia si concipiamus hominem cum negatione rationalitatis, non concipimus hominem, sed aliquod aliud ens, ideò iure dicimus hominem esse animal rationale, ita quia de aliquibus entibus non possumus formare adæquatum conceptum, absque eo quod illa concipiamus, vt ordinata ad aliud, debemus dicere, quod verè in se habeant talem ordinem. Confirmatur quia sumus à natura determinati ad non affirmandum, quod dari possint duo contradictoria, dicimus duo contradictoria dari non posse; ergo quia sumus a natura determinati ad hoc, vt non concipiamus aliqua nisi vt ordinata ad aliud, dicendum erit, quod verè sint ordinata ad aliud; aliter fatendum erit ita nos fuisse à natura institutos, vt in maxima parte nostrarum cognitionum deluderemur.

3 Quare illa, quæ habebunt prædicatum aliquod, quod concipi, ideòque esse non potest nisi ordinatum ad aliud, habebunt prædicatum relatiuum, sed quia huiusmodi prædicatum potest esse vel essentiale, vel accidentale illi, quod denominatur habere tale prædicatum relatiuum; hinc duo genera relationum realium distinguuntur. Illud enim quod habet prædicatum relatiuum sibi essentiale, & sibi adæquatè intrinsecum, habebit rationem trascendentalem; quod verò habet prædicatum relatiuum sibi accidentale, & sibi non adæquatè intrinsecum habebit relationem predicamentalem. Quare relatio transcendentalis definiri potest: prædicatum, quod nec concipi, nec esse potest nisi ordinatum ad aliud, sed essentiale, & adæquatè intrinsecum suo fundamento, seù illi, quod denominatur habere tale prædicatum.

4 Hæc relatio merito dicitur transcendentalis, quia ita transcendit per omnia prædicamenta, vt nullum sit ens creatum existens, quod non habeat aliquam relationem transcendentalem ad aliud quodlibet ens possibile. Quælibet enim entitas creata existens habet hoc, quod est posse esse eandem, vel diuersam in natura cum alia qualibet re possibili; habet esse posse vel maiorem, vel minorem, vel æqualem in perfectione respectu illius: habet posse alteri coexistere, posse esse illi vel propinquam, vel distantem localiter, posse facere talem pulchritudinem, & ornatum vniuersi cum alia possibili si ponantur in esse, &c. Hæc autem prædicata sunt relatiua cum concipi, ideòque esse non possint nisi ordinata ad aliud; sunt pariter essentialia, & adæquatè intrinseca suo fundamento. Quod enim est potens quantum est de se esse alteri simile in natura, habet hoc merè per suam entitatem; nam quamuis hæc prædicata explicari a nobis non possint nisi per terminum in obliquo, non tamen terminus est constitutiuum talis prædicati, sed est merum connotatum extrinsecum; in ipsa enim entitate transcendentaliter relatiua habetur adæquate totus ordo, quia habetur totum id, quod non potest concipi sine alio: oppositum accidit in relationibus prædicamentalibus, in quibus, vt dicemus id, quod dat fundamentum adæquatum accipiendi ordinem, non est vnum tantum, sed plura.

5 Dices primò hoc, quod est Petrus, v.g. posse esse similem Antichristo, est Petro partialiter extrinsecum à possibilitate ipsius Antichristi, ergo non est prædicatum essentiale, & adæquatè intrinsecum Petro. Respondeo possibilitatem intrinsecam Antichristi nihil esse, sed Antichristum denominari possibilem ab omnipotentia extrinseca Dei potente creare Antichristum, vt probatum est vbi de ente possibili. Quamuis autem Petrus non possit adæquatè, & completè esse similis Antichristo, nisi detur omnipotentia Dei, à qua completè habet posse esse similem, tamen hoc quod est Petrum, quantum est de se posse esse similem, est prædicatum relatiuum, & ipsi Petro adæquatè intrinsecum. Sic neque oculus potest videre nisi detur Deus potens cum oculo concurrere ad visionem, & tamen hoc quod est oculum, quantum est de se, posse elicere visionem, est prædicatum relatiuum ad visionem.

6 Dices secundò, Si terminus possibilis in se intrinsecè nihil est relatio trascendentalis ad terminum merè possibilem erit ad nihil, ideòque ralatio trascendentalis non habebit terminum. Respondeo, & primò in sententia tum aliorum, tum Patris Suarez disp.47. met. sect.4 potest aliqua relatio transcedentalis esse ad impossibile, nam si omnis cognitio dicit relationem transcendentalem ad obiectum cognitum, & obiectum per aliquam cognitionem cognitum potest esse aliquid impossibile poterit aliqua relatio transcendentalis esse ad impossibile. Si ergo impossibile nullum in se habens esse, potest esse terminus relationis transcendentalis, cur non etiam poterit possibile, quamuis nullum in se intrinsecè importans esse? Sed quia aliqui negant posse concipi impossibile addo: si formem hanc propositionem, *Existentia actualis alterius mundi prout actualis nihil est*, facio veram propositionem, quę non verificatur de existentia alterius mundi prout possibili, quia hæc saltem extrinsecè est aliquid, ergo verificatur de existentia prout actuali, quæ propterea debebit cognosci, ideòque cognitio de existentia actuali alterius mundi erit relatiua ad aliquid, quod nullum in se habet esse propositum ergo argumentum ab omnibus soluendum est.

7 Quare vt directè respondeamus, dico, terminum relationis transcendentalis non necessario debere esse aliquid, quod sit aliud aliqua ratione in se, sed satis esse, quod sit aliud, eò quod, si concipiatur, debeat concipi vt aliud, & si poneretur in actu, esset aliud ab eo, quod habet relationem transcendentalem ad illud, si cognitio refertur transcendentaliter ad actualitatem alterius mundi eo quod concipiendo actualitatem alterius mundi, concipimus illam vt quid diuersum à cognitione, & si hæc poneretur, esset quid à cognitione distinctū: similiter concipimus chimerā, vt quid distinctū à cognitione de chimæra, si per impossibile chimæra poneretur in esse, esset quid, à cognitione distinctū.

8 Dices

8 Dices tertiò, relatio est nexus duorum, ergo si non dentur duo, quæ nectantur non dabitur relatio. Respondeo, Antecedens non posse, saltem vniuersaliter, ita intelligi, quod dentur duo, & deinde detur tertium quid, quod illa duo inter se nectat, in communi enim sententia relatio saltem transcendentalis non est huiusmodi. Quare ad hoc vt relatio sit nexus duorum, satis est, vt id quod est relatiuum ad aliud, concipi, ideòque esse non possit, nisi cum ordine ad aliud, quod sit aliud eo saltem modo, quo explicuimus.

9 Ex his autem inferri potest quomodo sit intelligendum quod relatio transcendentalis sit essentialiter connexa cum suo termino, ratio difficultatis est, quia si cognoscam omnia futura vt futura, mea cognitio erit transcendentaliter relatiua ad omnia futura vt futura, ergo erit cum illis essentialiter connexa, ergo erit essentialiter trahens omnia futura, hoc autem est absurdum, implicat enim dari aliquid essentialiter, ideòque necessariò trahens omnia futura, etiam libera. Sed respondendum est cognitionem esse essentialiter alligatam, & connexam cum omnibus futuris, vt futuris etiã liberis, non secundum existentiam realem ipsorum futurorum, sed secundum existentiam futurorum vt futurorum intentionalem, & obiectiuam, eo quod implicet existere cognitionem de futuris, vt futuris absque eo quod futura, vt futura existant intentionaliter, & obiectiuè in ipsa cognitione, cum ipsis autem futuris, vt futuris secundum existentiam realem nullam habet hæc cognitio essentialem connexionem. Idem dicendum de essentiali connexione cuiuscunque potentiæ cum actu, qui potest à tali potentia poni, neque enim potentia connectitur essentialiter cum actu possibili, nisi prout hic habet possibilitatem actus autem possibilis non habet possibilitatem nisi quatenus præcontinetur in potentia. Sicut ergo cognitionem connecti essentialiter cum impossibili, quod attingit, est connecti cum impossibili, prout existente obiectiuè in cognitione, ita potentiam connecti essentialiter cum suo actu possibili, est connecti cum illo prout possibiliter existente, & præcontento in ipsa potentia, quod tandem nihil est aliud quam esse talem entitatem, quæ concipi non potest sine alio, ideòque sine ordine ad aliud, quidquid sit vtrum illud aliud habeat, vel non habeat in se aliquod esse.

10 Explicari solet essentialis connexio relationis trascendentalis cum suo termino per hoc, quod ideò A. referatur transcendentaliter ad B. quia implicante B. implicaret etiam A. sed forrasse ex hoc modo philosophandi parum, vel nihil concluditur, tum apud eos, qui negant ens rationis, tum etiã apud eos, qui nullam aliam possibilitatem agnoscunt, nisi extrinsecam ab omnipotentia Dei; sed admisso etiam hoc modo argumentandi, adhuc iuxta principia superius posita, sequitur quodlibet esse transcendentaliter relatiuum ad quodlibet, cum enim possibilitas cuiuscumque rei sit eadem omnipotentia Dei, impossibilitato quolibet impossibilitatur aliud quodlibet.

11 Dices sequeretur dari in re qualibet existente infinita prædicata, & infinitas relationes ad infinitas creaturas possibiles. Sed contra quia hæc prædicata non sunt quid realiter distinctum, sed sunt prædicata solum distinguibilia ex nostro modo concipiendi, ex quo nihil aliud sequitur, nisi quod eadem res concipi posit per conceptus aliquo modo diuersos non tot quin plures: ex hoc autem neque sequitur infinitas in numero, vt per se patet, neque in perfectione, quia licet posse ab igne A. produci ignem B. sit aliqua perfectio; posse produci ignem C. sit alia perfectio, non tamen in huiusmodi perfectionibus fit incrementum per partes æquales, quod ad infinitum requiritur, sed per proportionales minores, & minores, vt vidimus vbi de ente infinito.

12 Dices iterum sequeretur, quod saltem quælibet entitas creata esset incomprehensibilis, quia ad illam comprehendendam necesse esset distinctè cognoscere omnia possibilia, ad quæ quælibet entitas creata existens dicit relationem, ad hoc enim vt aliqua relatio comprehendatur debent distinctè cognosci omnes termini talis ralationis. Sed hoc argumentum soluendum est ab omnibus, qui aliquas saltem relationes transcendentales admittunt; ideòque eodem argumento probari posset Solem esse incomprehensibilem, quia distinctè cognosci non possunt omnes radij lucis, qui possent produci à Sole per totam æternitatem, etsi quodlibet potest à Deo assumi tanquam instrumentum ad producendum aliud quodlibet, non poterit illud ens creatum comprehendi absque eo quod comprehendantur omnia possibilia, quæ à quolibet ente possent hoc modo produci.

13 Pro responsione duplex genus relationum transcendentalium distinguendum est aliquæ enim sunt per modum solius potentiæ, aliæ per modum potentiæ simul & exigentiæ, sic lapis A. v. g. est potens, & exigens descendere, at è contra est potens, sed non exigens esse similis lapidi B. quia non exigit productionem lapidis B. per cuius existentiam fieret illi actu similis. Est autem hoc discrimen inter has duas relationes, quod in nulla entitate creata datur relatio potentiæ adæquatæ, sicuti in illis datur relatio adæquatæ exigentiæ, cum enim nulla entitas creata quidquam posit operari, nisi simul cum illa operetur Deus, nulla entitas creata est adæquatè quidquam potens, è contra entitas creata est de se adæquatè exigens. Sic sola grauitas lapidis est de se adæquatè exigens descensum, sed sola grauitas lapidis de se sola non est adæquatè potens descendere. Hinc ad comprehedendam relationem exigentiæ debet quidem distinctè cognosci terminus talis exigentiæ, sed cum nulla entitas creata exigat infinita determinatè, ad comprehensionem cuiuscunque exigentiæ non est necesse cognoscere infinita determinatè, & distinctè, sed solùm indeterminatè, & in confuso, sic quia grauitas lapidis exigit aliquam vbicationem deorsum, ad comprehendendam exigentiam grauitatis satis est cognoscere aliquam vbicationem deorsum.

14 E con-

14 E contra cum nulla entitas creata habeat relationem potentiæ adæquatæ ad vllum terminũ, neque ad vllum prædicatum termini, nullus terminus secundum nullum sui prædicatum adæquatè præcontinetur in potentia, & causa creata, cum ad quodlibet termini prædicatum ponendum concurrere debeat alia compotentia nimirum diuina, ergo ex præcisa cognitione etiam comprehensiua potentiæ, & causæ creatæ, quæcunque tandem illa sit, nullus terminus, & nullus effectus possibilis cognosci potest, cum enim ad hoc, vt aliquis terminus cognoscatur, debeat aliquod saltem illius prædicatum adæquatè cognosci; si ex vi præcisa potentiæ, non nisi adæquatè continentis quodcunque prædicatum termini, aliquod termini prædicatum adæquatè cognosceretur, plus cognosceretur in causa, seu potentia, quam in illa contineatur. Neque dicas hoc, quod est posse inadæquatè producere infinitos effectus contineri adæquatè in causa; nam hoc quod est posse inadæquatè producere aliquid, non est distinctè cognoscibile absque eo quòd adæquatè cognoscatur illud aliquid, quod causa potest producere; ideóque absque eo quod illud aliquid adæquatè cognoscatur ex vi præcisa causæ, quæ tamen non præcontinet illud nisi inadæquatè, quod esse non potest. Hinc vel ex hoc capite solus Deus est incomprehensibilis, quia ad comprehendendum Deum cognosci distinctè deberent omnia, quæ adæquatè in illo continentur, & quæ à solo Deo sine vllius auxilio fieri possunt. Cum ergo hæc sint omnia possibilia; si distinctè omnia possibilia cognosci non possunt neque Deus poterit comprehendi. Quamuis autem creatura ad Deum incomprehensibilem dicat relationem dependentiæ, non tamen hinc sequitur, quod ipsa etiam creatura sit incomprehensibilis, quia ad comprehendendam dependentiam creaturæ à Deo, non est necesse distinctè cognoscere omnia prædicata Dei, sed satis est Deum cognoscere sub illa ratione formali, sub qua est terminus talis relationis ideoque ad comprehendendam dependentiam lapidis, v. g. à Deo, satis est si cognoscatur Deus, vt creator lapidis, & præcontinens omnem perfectionem lapidis.

15 Dices iterum ex eo, quod res potest subesse conceptui relatiuo, non bene probari, quod verè sit relatiua, imò neque bene probari ex eo, quod non possit adæquatè concipi, nisi vt ordinata ad aliud, nam neque possumus concipere spiritualia, nisi ad modum rerum materialium, nec tamen dicimus spiritualia esse materialia. Sed disparitas est, quia licet ex imperfectione nostra non possimus concipere spiritualia, nisi ad modum rerum meterialium, sumus tamen aliunde determinati ad dicendum quod spiritualia non sint materialia, at dum concipimus entia creata, vt ordinata ad aliud, sumus determinati ad non posse illa adæquatè concipere nisi, vt ordinata ad aliud, & ad non negandum talem ordinem. Adde ex alijs similibus relationibus, quas scimus dari, & quæ habent similem conceptibilitatem habere non validum fundamentum dicendi, quòd verè datur talis ordo.

16 Asserimus prætereà nullam relationem transcendentalem esse ad terminum indeterminatum, nulla enim datur relatio, quæ non sit in suo esse determinata; cum quidquid existit, sit in suo esse determinatum, ideóque determinata relatio, sicut importat determinatum fundamentum; ita importare debet determinatum terminum. Aliter cum omnis relatio specificetur à termino, si aliqua relatio esset ad terminum indeterminatum, aliqua relatio esset in se indeterminata. Cum hoc tamen stat, quod possint in aliqua entitate formaliter distingui duæ relationes transcendentales, quarum vna respiciat suos determinatos terminos determinatè, alia indeterminatè, seu disiunctiuè. Sic actus, quo velim vel cibum, vel potum, habet attingere cibum, & potum, & tendere in vtramque, at non habet nisi exigere vel cibum, vel potum, & appetere alterutrũ, ideóque relatio exigentiæ est ad cibum, vel potum indeterminatè; si enim alterutrum detur, huic actui satisfit, at si hic actus non tenderet in cibum, & potum, sed tantùm attingeret alterutrum ex his non esset hic actus, sed alius. Quare in hoc actu relatio exigentiæ ad cibum, vel potum indeterminatè, relatio verò tendentiæ est ad cibum, & potum determinatè.

17 Hæc quæ diximus de actibus elicitis voluntatis applicanda sunt appetitui innato materiæ, & causarum secundarum, vt enim dicemus in physica, materia prout potens, respicit omnes formas possibiles determinatas determinatè, potest enim recipere formam A. & formam B. & formam C. &c. itaut hæc omnia prædicata dentur in materia, & si vel potentia ad vnicam formam materiæ deesset, non esset hæc, sed alia, cum hæc materia de sua essentia sit potentia omnia. At pro vt exigens, respicit omnes formas possibiles determinatas, sed indeterminatè, & disiunctiuè, hoc est vel hanc, vel illam. Idem dicendum de qualibet causa secunda, negata serie effectuum; ita enim in qualibet causa datur potentia determinatè ad singulos effectus talis speciei, vt illos non exigat hic, & nunc nisi indeterminatè, & disiunctiuè. Sed de his alibi, nam non est hic locus examinandi, cuius naturæ sit quælibet relatio in particulari.

18 Asserimus tamen hic quodlibet ens creatum existens aliqua relatione transcendentali determinatè respicere quodlibet ens possibile etiam secundum illorum rationem indiuidualem; quodlibet enim ens creatum existens est potens esse cum alio quolibet indiuiduo possibili, prout tali simile, vel dissimile in natura, maius, vel minus in perfectione, &c. Imò omnis potentia, & causa naturalis, quæ prout exigens respicit suos terminos indeterminatè, prout potens est debet illos respicere determinatè, etiam quad illorum rationem indiuidualem, cum enim opus naturæ sit opus intelligentiæ rationaliter operantis, nulla causa naturalis exigere potest aliqua indeterminatè, si

I quod-

quodlibet ex illis saltem pro diuersis temporibus habere non potest, aliter eius exigentia esset irrationabilis, sicuti irrationabilis esset appetitus elicitus in voluntate, quo ipsa voluntas appeteret esse materialis. Cum enim implicet voluntatem esse materialem, talis actus esset irrationabilis, cum neque indeterminatè, ac disiunctiuè appeti rationabiliter possit, quod determinatè habere est impossibile.

19 Dices non potest eadem entitas respicere eosdem terminos determinatè, & indeterminatè, ergo falsum est aliqua entia respicere suos terminos determinatè, prout potentia sunt; indeterminatè verò prout exigentia. Respondeo, quod eadem entitas, prout potens respiciat suos terminos determinatè, prout exigens indeterminatè, & disiunctiuè, nihil esse aliud quam quod aliqua entitas possit efficere, vel recipere determinatè aliqua, ita tamen vt à quolibet illorum sit æquè perfectibilis, in quo nullum est inconueniens, quare per analogiam ad actus vitales appetitiuos distinguimus formaliter prædicatum potentiæ, & prædicatum exigentiæ. Sicut enim actus, quo dico volo vel cibum, vel potum, habet attingere determinatè cibum, & determinatè potum, & determinatè habet quod possit illi satisfieri, vel per potum, vel per cibum, sed non habet illos appetere nisi indeterminatè, & disiunctiuè, quia æquè per alterutrum illi satisfit, ita similiter potentia materiæ habet determinatè posse, sed non nisi indeterminatè exigere formas.

20 Dices iterum nulla potentia potest esse ad omnes terminos possibiles determinatè, quia nulla potentia potest determinatè & simul omnes terminos possibiles efficere, vel recipere. Respondeo ad hoc vt potentia sit ad omnes terminos possibiles determinatè non esse necesse quod habeat potentiam simultatis ad omnes illos simul efficiendos, cum satis sit quòd habeat simultatem potentiæ ita vt in tali potentia simul detur posse efficere terminum A. & terminum B. sed posse illos efficere non simul, sed successiuè.

21 Porrò quamuis aliquæ relationes transcendẽtales non possint existere nisi existente termino; huiusmodi est, v.g. in creatura relatio dependentiæ à Deo, nulla tamen relatio transcendentalis constituitur intrinsecè per existentiam termini, terminus enim respectu cuiuscunque relationis trandentalis est connotatum extrinsecum, cum sit talis, vt si intelligatur existens, dummodo intelligatur existens fundamentum, intelligitur tota essentia relationis transcendentalis. Hinc quamuis aliquæ relationes transcendentales sint mutuæ, qualis est relatio actionis ad terminum, & termini ad actionem, de nullius tamen relationis transcendentalis ratione est, quod sit mutua, sicut enim de nullius relationis transcendentalis essentia est existentia termini, ita de nullius relationis transcendentalis essentia est, quod terminus existens aliqua reali relatione mutuò referatur transcendentaliter ad fundamentum.

22 Relatio transcendentalis non potest habere nunc plures nunc pauciores terminos, cum enim sit ad terminos præscindendo ab eorum existentia, sicuti non possunt nunc plures, nunc pauciores termini esse possibiles, ita non potest relatio transcendentalis esse nunc ad plures, nunc ad pauciores terminos. Demum pro multiplicitate terminorum dici potest relatio transcendentalis esse formaliter multiplex, alia enim formaliter loquendo est relatio, qua ignis, v. g. exigit calorem, alia, qua exigit siccitatem, &c.

SECTIO SECVNDA.

An dentur, & per quid formaliter constituantur relationes prædicamentales.

1 SIcuti nomine relationum transcendentalium intelleximus prædicata, quæ nec esse, nec concipi possunt nisi vt ordinata ad aliud, essentialia suo fundamento, ita nomine relationum prædicamentalium, seu relationum constituentium peculiare prædicatum relationis intelligimus prædicata, quæ nec esse, nec concipi possunt nisi vt ordinata ad aliud, sed accidentalia suo fundamento, seu illi, quod denominatur habere tale prædicatum. Sic si Petrus generet Paulum, datur verum, & reale fundamentum, ratione cuius concipiatur in Petro hoc prædicatum, quod est esse genitorem Pauli, quod prædicatum non concipi, ideòque nec esse potest nisi ordinatum ad Paulum, & est accidentale Petro, qui denominatur genitor, ergo hoc prædicatum est relatiuum prædicamentaliter, ergo verè datur in Petro relatio genitoris respectu Pauli, quæ relatio genitoris non datur in Petro respectu Antichristi, v.g. Idem dicendum de prædicato coexistentis, similis & aliorum huiusmodi, quæ cum sint contingentia illi, quod dicitur coexistens, simile, &c. erunt relatiua prædicamentaliter, seu accidentaliter.

2 Hinc quælibet entitas creata existens habet aliquam relationem prædicamentalem ad aliam quamlibet entitatem creatam existentem, si enim existente A. ponatur etiam existens B. A. actu erit, vel simile, vel dissimile B. vel maius, vel æquale in perfectione, erit coexistens, propinquum, vel remotum, &c. hæc autem sunt prædicata relatiua accidentalia illi, quod denominatur actu simile, coexistẽs. Sicut enim cuicunque enti est essentiale posse esse alteri simile coexistens, &c. ita esse actu simile, vel coexistens alteri, est accidentale, & contingens illi, quod denominatur actu simile, coexistens, &c.

3 Porro

3 Porro sicuti relationes transcendētales constituuntur formaliter per illud præcisè, quod dat cōpletum fundamentum intellectui ad concipiendum aliquid ordinatum essentialiter ad aliud. ità relationes prædicamentales constituentur formaliter in suo esse per illud; vel illa præcisè, quæ danr intellectui completum fundamentum concipiendi aliquid ordinatum accidentaliter ad aliud, cum enim relatio nihil aliud sit nisi fundamentum talis conceptus comparatiui, per quod vnum comparari potest cum alio, & concipi vt ordinatum aliquo modo ad aliud, illa præcisè erunt formalia constitutiua relationis prædicamentalis, quæ sunt completum fundamentum exigitiuum talis conceptus, adeòque non est, cur aliud quidquam pro formali constitutiuo relationis requiramus. Iam verò fundamentum completum accidentale conceptus comparatiui nō potest esse sola entitas illius, quod comparari, & concipi potest, vt ordinatum ad aliud, cum nihil sit sibi ipsi accidentale, ergo necessario tale fundamentum compleri debet per aliquid aliud ergo vel per vnum, vel per plura pro diuersitate relationum prædicamentalium. Quare Petrus v. g. erit genitor Pauli, non per suam solam entitatem, sed per aliquid aliud ipsi Petro accidentale, & extrinsecum, quod profectò erit, tum entitas ipsius Pauli, tum generatio, qua Petrus generat Paulum; positis enim his tribus, & præscindendo ab alio quocumque habet intellectus fundamentum concipiendi Petrum vt Patrem Pauli, illumque taliter comparandi cum Paulo. Similiter intellectus cognoscens existentiam actualem alterius mundi, per talem cognitionem habet hoc predicatum relatiuum, & sibi accidentale, nimirum quod sit cognoscens existentiam actualem alterius mundi. Hoc autem prędicatum constituitur formaliter per entitatem ipsius intellectus, & per cognitionem de existentia alterius mundi, nec aliud quidquam requiritur. Hinc quamuis in aliquibus relationibus prędicamentalibus, qualis est relatio paternitatis, dentur fundamentum, terminus, & generatio, quę dicitur ratio fundandi, ità vt hæc omnia sint completum fundamentum prædicati & conceptus relatiui; in alijs tamen non dantur nisi duo, quæ cum de se præcisè præbeant fundamentum talis comparabilitatis, de se præcisè sunt completum, & formale constitutiuum talis relationis prędicamentalis, si enim hæc sola ponatur, & alia quæcunque non intelligantur, habetur prædicatum relatiuum fundamento contingens, ideòque habetur formalis relatio. Quod si dicas haberi prædicatum relatiuum solum fundamentaliter. Contra est quia id quod tu dicis esse relationem solum fundamentaliter, ego dico esse relationem formalem, cum sit impossibile dari duo alba, & non dari similitudinem, sicuti est impossibile dari duo entia, & non dari binarium entium. Quare sicuti binarium habetur per complexum duorum, ita album A esse simile albo B habetur per complexum Albi A, cum albo B. est accidentalis albo A, ideo similitudo albi A, quæ constituitur partialiter per existentiam albi B, est accidentalis ipsi albo A.

4 Dices existit sæpè vera relatio etiam si non existant omnia, quæ sunt completum fundamentum prædicati relatiui, datur enim vera relatio paternitatis, etiam si præterierit generatio, quæ complet fundamentum prædicati relatiui. Ergo paternitas constituitur formaliter per modū relatiuum, qui remanserit præterita generatione. Respondent aliqui nonnullas relationes requirere quod detur de præsenti totum fundamentum comparabilitatis, alias verò relationes nequaquam. Sed contra est quia vel vis generationem esse connotatum merè extrinsecum respectu relationis paternitatis: vel vis esse intrinsecum illius constitutiuum si vis esse constitutiuum illius intrinsecum: Sicuti de præsenti non datur completum constitutiuum, ità de præsenti non dabitur constitutum, constitutum enim dari non potest, nisi dentur omnia constitutiua. Quod si velis generationem præteritam esse connotatum merè extrinsecum, non aliter ac paries v. g. connotatum merè extrinsecum respectu cognitionis de pariete, eo quod siue paries intelligatur existens, siue intelligatur non exigens, dummodo intelligatur existens talis cognitio, intelligitur tota essentia talis cognitionis. Contra est quia eodem modo sequeretur quod siue intelligatur, siue non intelligatur generatio præterita, dummodo intelligatur existens Petrus & Paulus, intelligeretur Petrus pater Pauli, quod est falsum. Preterea cur ad relationem prędicamentalem requiris terminum existentem? cum enim tam generatio, quàm terminus sit fundamentum conceptus comparatiui, & æquè constituant prędicatum relatiuum, vel vtriusque, vel neutrius existentia erit de essentia relationis. Quod si dicas dari aliquas denominationes ab aliquo, quod totum est de presenti, alias verò partim ab aliquo de presenti, partim ab aliquo de prętèrito, cuiusmodi sunt denominationes domus antiquæ, atque benedictę &c. Contra est, quia sicuti non solum concipimus complexum ex rebus totaliter præsentibus, sed etiam complexum, ex aliquo præsenti, & aliquo prętèrito, ita vtrunque nominamus, & vtrique suum nomen, & denominationem imponimus, at hic non quærimus de nomine, sed de realitate relationis ad quam vel debes requirere quod actu existat quidquid intrinsecè constituit prędicatum relatiuum, vel dicam dari posse reale prędicatum relatiuum, etiam si nihil existat de constitutiuis talis, prædicati.

5 Melius ergo vniuersaliter asserendum est numquam dari veram relationem nisi actu dentur omnia intrisecè constitutiua talis prędicati relatiui. Ad obiectionem ergo respondendum est distinguendo duplicem relationem paternitatis, quarum tamen vtraque communi nomine paternitatis appellatur; alia enim est paternitas per quam actu Petrus v. g. generat Paulum, alia est paternitas, per quam Petrus genuit Paulum, sicut enim sunt diuersa prędicata generare, & genuisse, ità relationes,

quæ per hæc diuersa prædicata constituuntur, erunt diuersæ. Paternitas ergo, per quam Petrus, v.g. actu generat Paulum constituitur per entitatem Petri, & Pauli, & per actualem generationem. Paternitas verò per quam Petrus genuit Paulum constituitur per entitatem Petri, & Pauli, & per conseruationem Pauli actu existentem, & positam intuitu, atque ad exigentiam generationis habitæ à Petro. Talis autem conseruatio iuxta ea, quæ dicemus in prædicamento actionis de alligatione actionis ad fines habet peculiare prædicatum alligationis ad generationem præteritam, sed etiam si hoc intrinsecum prædicatum non haberet, adhuc tamen hoc quod est nunc conseruari Paulum ad exigentiam generationis habitæ à Petro esset sufficiens ratio fundandi relationem paternitatis, & filiationis, siue hoc quod est poni ad exigentiam sit quid intrinsecum tali conseruationi, siue habeatur per extrinsecum Dei decretum. Semper enim æquè habetur de facto existens totum, quod intrinsecè constituit tale prædicamentum relatiuum.

6 Quod si Paulus filius moriatur, & deinde miraculosè reuocetur in vitam duplici modo potest miraculum accidere, vel ita vt reuocetur in vitam ex eo quod præextiterit, & antea fuerit modo cõnaturali genitus, & si hoc modo resurgat æquè erit filius Petri, quia eius actio conseruatiua est intuitu generationis habitæ à Petro. Quod si reuocetur in vitam non intuitu quod præextiterit, sed ita, vt Deus æquè illi vellet dare vitam, quantumuis nunquam antea extitisset: in hoc casu sicuti Paulus nulli haberet obligationem suæ vitæ præsentis alteri quam soli Deo, ità prout taliter viuens non haberet veram relationem filiationis respectu vllius hominis, sed diceretur filius Petri non per relationem realem de præsenti, sed per relationem merè secundum dici, & de præterito. Ex his autem patet Christum Dominum etiam post Resurrectionem esse verè Filium Beatissimæ Virginis, cum eius humanitas fuerit viuificata ex meritis passionis, ideòque intuitu quod præextiterit, nec nisi per conseruationem habitam intuitu generationis positæ à Beata Virgine.

7 Si hoc modo philosophemur longè melius possumus sustinere communem sententiam, quæ ad realem relationem prædicamentalem requirit terminum existentem; cum enim per nos omnia illa debeant actu existere, quæ sunt intrinsecè constitutiua prædicati relatiui, & complent fundamentũ conceptus comparatiui, cum terminus sit ex intrinsece constitutiuis relationis prædicamentalis necessario requiretur actualis existentia illius, ad hoc vt actu relatio prædicamentalis existat. Quod verò terminus, sit vnum ex intrinsecè constitutiuis relationis prædicamentalis patet; quia nulla est assignabilis relatio prædicamentalis, in qua terminus non compleat fundamentum conceptus comparatiui, siue enim sit relatio fundata in vnitate, & numero; siue in actione, & passione (quæ duo tantùm genera relationum prædicamentalium inferius assignabimus) semper terminus complet prædicamentum accidentaliter relatiuum.

8 Dices quod Petrus, v. g. sit cognoscens chimæram, quod sit volens studium propter honorem, sunt prædicata relatiua accidentalia ipsi Petro, nec tamen in his relationibus prædicamentalibus datur terminus existens. Chimæra enim & honor non existunt. Respondeo in his alijsque similibus distinguendum esse terminum proximum, & terminum remotum, seu terminum termini, & terminum alicuius relationis. Petrus ergo habens cognitionem de Chimæra est relatiuus prædicamentaliter ad talem cognitionem quam habet; & hæc cognitio existẽs est terminus proximus talis relationis similiter est relatiuus prædicamentaliter ad volitionem studij propter honorem, quæ volitio est terminus existens, Chimæra verò, & honor sunt terminus termini, seu sunt terminus alterius relationis trascendentalis, cognitio enim dicit relationem transcendentalem ad chimæram; volitio ad honorem; hæ autem relationes transcendentales non requirunt terminum existentem. Hinc Paulus genitus habens nunc conseruationem positam intuitu generationis habitæ à Paulo habet de præsenti omnia constitutiua talis prædicati relatiui, quia licet non existat nunc generatio, hæc tamen est ratio fundandi remota, cum ratio fundandi proxima sit talis conseruatio; generatio verò præterita est terminus remotus, ad quam talis conseruatio dicit relationem transcendentalem. Relationes ergo, per quas v. g. dies hodierna dicitur similis diei hesternæ, vel Petrus dicitur Pater Pauli mortui, &c. Sunt denominationes non importantes relationem nisi secundum dici, cum existat actu totum, quod complet prædicatum relatiuum, & est proxima, & completa ratio fundandi conceptum comparatiuum.

9 Ex his infertur ad constituendam relationem prædicamentalem præter completam, & proximam rationem fundandi non requiri modum peculiarem relatiuum superadditum, sed relationem formaliter constitui per totum id, quod alij assignant pro completo & proximo fundamento, quo posito resultet modus; præscindendo enim ab hoc modo superaddito, & existentibus duobus albis cum talibus suis durationibus alligatis eidem tempori imaginario vnum existit quando existit aliud, & existit sicuti existit aliud, est enim impossibile, quod vtrunque album habeat suam durationem correspondentem, seu alligatam eidem tempori imaginario, & quod non coëxistant, sicuti pariter est impossibile, quod vtrumque habeat talem albedinem, quin intellectus habeat fundamentum dicendi quod vnum existit, sicuti existit alterum, ideòque existat simile alteri.

10 Quod si dicas hoc non esse satis, dicam quod nunquam duo modi relatiui ratione sui præcisè coëxistant, sed quod requiratur semper alius tertius modus superadditus, ex quo deinde sequetur processus in infinitum, nisi tandem deuenias ad duo, quæ habeant ratione sui præcisè coëxistere, si

ergo

ergo in tua sententia, quia est impossibile, quod existant aliqui duo modi, & non coexistant; ideò illis non superadditis alium tertium modum, ita quia est impossibile, quod tales duæ durationes existant quin coexistant, non erit alius modus coexistentiæ superaddendus. Præterea sæpè non potest assignari subiectum modi relatiui, nam denarius hominum est æqualis denario equorum, ideòque ad illum relatiuus, in quo ergo homine recipitur modus relatiuus æqualitatis, certè cum non sit maior ratio de vno quam de alio vel in nullo, vel in omnibus recipietur. Si ergo dicas, æqualitatem haberi per decem modos, iam tu explicas etiam relationem per complexum plurium, adeòque in tua etiam sententia æqualitas non erit vnicus simplex modus, sed omnes illi decem modi simul constituent æqualitatem. Si verò dicas denarium hominum esse æqualem denario equorum merè per relationem secundum dici. Contra est quia ego etiam dicam, lignum bipalmare esse æquale alteri ligno bipalmari per relationem merè secundum dici, imò si ita respondeas nullum deinde peculiare argumentum habebis ad probadam aliam relationem realem, si enim in denario equorum datur fundamentum, terminus, & ratio fundandi, nec tamen datur vera relatio, cur dabitur in alijs? Denique admissis his modis relatiuis multa sequentur valdè difficilia quod nimirum dealbato vno pariete, v. g. Romæ, imò facta minima alicuis corporis mutatione consurgat in quolibet alio corpore per totum mundum modus relatiuus similitudinis, vel dissimilitudinis, &c. quænam autem erit horum modorum causa, sanè quæcunque assignetur vel operabitur, seu determinabit in distans, vel aduocanda erit per machinam causa prima.

11 Dices primò, negatis modis relatiuis non posset explicari quid sit simile in communi. Sed contra est quia etiam admissis modis explicandum est quid sit simile in communi fundamentaliter; illud ergo, quod tu dixeris esse simile in communi fundamentaliter, dicam ego esse simile in communi formaliter, cum per illud ego dicam constitui relationem formaliter, per quod tu dicis constitui solum fundamentaliter. Sed directè respondeo simile in communi esse duo qualia talis naturæ, vt quodcunque prædicatum essentiale affirmetur de vno affirmari possit de alio, vel esse duo qualia, quæ in nobis imperfectè cognoscentibus producere possint cognitiones, per quas difficilè discernantur, seù quæ possint à nobis in vnica cognitione confundi.

12 Dices secundò, negatis modis relatiuis sequeretur, quod qui desiderat suos mores dissimiles moribus prauis alterius, desideraret ipsos mores prauos alterius, quod est falsum. Sed contra est primò, quia admissis modis adhuc dici non posset, quod in casu posito desideraretur modus relatiuus dissimilitudinis, illud enim quod desideratur est quid liberum, honestum, & formaliter placens Deo. Modus autem relatiuus necessariò resultans non est huiusmodi. Sed directè respondeo desiderari mores dissimiles moribus prauis alterius non absolutè, sed ex suppositione, quod mores alterius vel existant; vel sint extituri praui. Quomodo enim possem determinari ad volendos meos mores dissimiles moribus Antichristi, nisi scirem eius mores futuros esse prauos? Facta ergo suppositione talium morum, quos non desidero, sed detestor, desidero deinde meos mores bonos, qui positi habeant prædicatum dissimilitudinis partialiter a moribus prauis alterius.

13 Dices tertiò, Possunt duæ durationes correspondentes eidem tempori imaginario comprehensiuè cognosci absque eo quod intellectus certificetur de illarum coexistentia, ergo illarum coexistentia est prædicatum reale distinctum ab entitate vtriusque. Respondeo prædicatum coexistentiæ, quia est partim in vna duratione, partim in alia, non esse cognoscibile per cognitionem etiam comprehensiuam vnius tantùm durationis, quia si per cognitionem vnius tantùm durationis cognosceretur tota coexistentia plus in tali duratione cognosceretur, quam in illa contineatur. Sic si sit pondus mille librarum, quod trahi non possit nisi à duobus; potentia completa tractiua huius ponderis non est quid realiter distinctum à viribus vnius, & à viribus alterius, sed est partim in vno, partim in alio, ideòque potentia completa tractiua ponderis non est cognoscibilis per comprehensionem viriū vnius tantum, sed per vnicam cognitionem indiuisibiliter cognoscentem vires vnius, & alterius. Adde hoc etiam dicendum esse ab aduersarijs, nam si ex duabus durationibus resultat modus coexistentiæ dabitur completum fundamentum, ad quod talis modus resultet. Quod completum fundamentum, cum sit vtraque duratio, non erit cognoscibile per duas cognitiones, quarum vna vnam, altera alteram durationem attingat, sed per vnicam cognitionem attingerem vtramque durationem indiuisibiliter.

14 Dices quartò, Omnis vera perfectio debet esse adæquatè intrinseca rei habenti talem perfectionem, sed cognitionem esse veram, & conformem obiecto est vera perfectio ipsius cognitionis, ergo debet esse illi adæquatè intrinseca, quod habere non potest sine modo relatiuo conformitatis. Sed contra est, quia vel ex hoc capite negandi sunt modi relatiui superadditi, ne dicamus veritatem esse adæquatè intrinsecam cognitioni veræ, vt enim suo loco dicemus, si veritas esset adæquatè intrinseca cognitioni veræ, Angelus comprehendens suas cognitiones, dum formaret iudicium affirmatiuum, vel negatiuum de secretis cordium, videret in tali iudicio, vel in modo superaddito, illi intrinseco veritatem, vel falsitatem talis iudicij; ideòque pertingeret ad cognoscenda secreta cordium, quod Angelo non est tribuendum. Omnes ergo debemus dicere perfectionem veritatis non haberi formaliter per modum relatiuum superadditum, sed per entitatem cognitionis, & existentiam obiecti eo modo, quo per cognitionem enunciatur. Et quidem, si spectemus prædicata entitatiua iudicij veri,

veri, & iudicij falsi, vtrumque est actus vitalis, spiritualis &c. Ideòque secundum prædicata merè entitatiua vtriusque iudicij non plus ab vno, quam ab alio intellectus perficitur: in tantum ergo à iudicio vero magis perficitur intellectus, quam à falso, quia vt dicemus in lib. Perihermen. iudicium verum est effectus potentiæ, quæ antecedenter potuit melius penetrare terminos, vel alia motiua, à quibus determinaretur deinde ad iudicium non falsum, sed verum. Præterea à iudicio vero plus intellectus perficitur, quam à falso, quia, ex suppositione quod existat obiectum, sicuti per iudicium enunciatur, determinari potest intellectus ad operandum longè diuerso modo, ac determinaretur, si haberet iudicium falsum, si enim verè affirmet v. g. foueam esse in via, determinabitur ad illam fugiendam, quomodo non determinaretur, si falsò negasset foueam esse in via, sed hæc maior perfectio competit cognitioni veræ, vt patet, partialiter ab obiecto. Hinc aliquis si sit ipse solus potest non esse noxius, eo quod non sit sufficiens de se solus inferre malum, sed ille idem cum alio potest esse malus, quatenus ab vtroque malum aliquod fieri potest; Hinc pariter bene explicatur quid sit pulchritudo; talia enim colorata habentia tales vbicationes, & tantam extensionem sunt pulchra, eo quod positis talibus conditionibus sint apta causare talem sensationem iucundam. Et quidem hoc idem dici ab omnibus debet de veritate fundamentali, seu de fundamento modi, si hic daretur, quæ veritas fundamentalis procul dubio est perfectio; idem de fundamentalis pulchritudine &c.

15 Dices quintò, si duo alba vt quatuor ambo fiant alba vt sex, crescit similitudo; ergo similitudo non constituitur per solas tales entitates duorum alborum. Respondeo distinguo antecedens non crescit similitudo formaliter concedo antecedens, non crescit similitudo materialiter nego antecedens, & consequentiam. Crescit enim similitudo materialiter, quia crescit materia illa, quæ potest in vnica cognitione confundi, sed non crescit similitudo formaliter, quia æquè potest in vnica cognitione æquè confusa confundi. Quia ergo per crescere similitudinem non intelligimus, quod crescant entia illa, quæ sunt similia, sed quod crescant in ordine ad effectum illum, qui præstari potest ab entibus illis, quæ sunt similia, cum idem effectus præstari possint à duobus albis vt duo, & à duobus albis vt sex, ideo non dicitur crescere similitudo formaliter, & in communi modo loquendi, licet bene dici possit crescere similitudo materialiter. Pariter si supponatur vnum album esse vt sex, aliud verò vt duo, quo plus de albedine tollitur ab albo vt sex, eò plus crescit similitudo formaliter, licet decrescat similitudo materialiter, quia quò plus decrescit aliquid ex ijs, quæ constituunt similitudinem formalem; eò plus crescit similitudo formaliter, quia fiunt magis potentia confundi in vnica cognitione; sicut enim aliqua prædicata potentialia crescunt per additionem, ità aliqua crescunt per detractionem, in casu autem nostro, quò plus tollitur de albedine vt sex, eò magis crescit prædicatum potentiale, per quod vtrumque album potest in vnica cognitione confundi, ideòque per decrementum albedinis crescit similitudo formaliter.

16 Dices secundò relatio vt relatio refertur ad terminum, ergo relatio, vt relatio non potest constitui per terminum, sed constitutiuum relationis debet esse quid adæquatè distinctum à termino, quod proterea esse possit ad terminum. Sed contra, quia idem in alijs dicendum est ab omnibus, nam licet plura vniantur per vnionem distinctam, deuenire tamen debemus, ne detur processus in infinitum ad aliquid saltem modale, quod se ipso vniatur alteri: in hoc ergo fieri potest simile argumentum tali pacto. Vnitum vt vnitum est alteri vnitum, ergo vnitum vt vnitum non potest constitui neque partialiter per terminum cui vnitur. Quare ad vtrumque directè respondendum est, quod etiam si vnitum vt vnitum, & relatiuum, vt relatiuum sit alteri vnitum, & relatiuum, possit tamen terminus esse ratio saltem partialis cur aliud illi vniatur, & similiter terminus possit esse partialis ratio, cur fundamentum referatur ad ipsum terminum.

17 Ex eo quod negemus modum relatiuum superadditum, non tollimus veras relationes reales, sicuti tollebat Zeno, cum enim in obiecto agnoscamus nullo intellectu cogitante fundamentum conceptus relatiui, nullo intellectu cogitante dicimus dari relationes reales. Dum verò explicamus relationem predicamentalem per complexum plurium non confundimus cōnotatiua cum relatiuis, quamuis enim omnia relatiua sint entia connotatiua, non tamen omnia connotatiua sunt realiter relatiua, si enim terminus nòn existat, vel desit aliquid aliud constituens prædicatum relatiuum, non dabuntur relatiua, nisi merè secundum dici. Demum ad hoc, vt relatio prædicamentalis constituat vnum prædicamentum peculiare, non est necesse, quod sit quid verè simplex, sed quod importetur vt quid simplex, itaut id, quod importat in recto sit quid vnum; sic habitus constituit vnum prædicamentum, quia in recto non importat nisi vnum. Et quamuis relatio prædicamentalis conueniat alijs prædicamentis, adhuc tamen constituit peculiare prædicamentum, quia ad diuersitatem prædicamentorum sufficit distinctio formalis, vt patet in actione, & passione, quæ constituunt duo prædicamenta, quamuis non differant nisi formaliter.

18 Et vt hic etiam alias de relatione prædicamentali sententias breuiter reijciamus; ex ipso conceptu relationis predicamentalis constat non posse illam esse adæquatè identificatam cum sola entitate fundamenti, si enim relatio prædicamentalis non ex alio capite distingui potest à transcendentali, quam ex eo, quod sola predicamentalis sit accidentalis fundamento, non potest hæc cum sola entitate fundamenti adæquatè identificari, sicuti relatio transcendentalis, quiā est essentialis entitati fundamenti, cum illa adæquatè identificatur. Confirmatur primò, entitas. Petri v. g. est contingenter

Pater,

Pater, ergo entitati Petri est contingens esse Patrem, sed entitati Petri non est contingens habere talem entitatem, ergo quod entitas Petri habeat talem entitatem, & quod habeat paternitatem, non sunt idem realiter. Confirmatur secundò, pereunte Paulo v.g. filio, perit relatiò paternitatis in Petro patre, etiam si nihil de entitate Petri pereat, ergo paternitas non erat adęquatè identificata cum sola entitate Petri.

SECTIO TERTIA.

Reliquæ quæstiones de relatione prædicamentali.

1 RElatio prædicamentalis ad multiplicationem numericam terminorum, quamuis multiplicetur inadæquatè quia multiplicatur terminus, qui est partiale constitutiuum relationis, simpliciter tamen loquendo non est dicendum, quod multiplicetur, quia in concretis saltem accidentalibus, cuiusmodi sunt esse Patrem, esse similem, & cætera prædicamentaliter relatiua, quoties non multiplicatur rectum, pro quo concreta accidentalia supponunt, non dicitur multiplicari concretum sic qui habet tres vestes non dicitur nisi vnus vestitus, & si in eodem subiecto ponerentur tres albedines, non esset nisi vnum album. Confirmatur ex communi locutione etiam sacrarum literarum; Abraham etiam non dicitur Patres, sed Pater multarum gentium, neque dicitur Matres, sed Mater filiorum Zebedæi.

2 Dices relatio prædicamentalis importat indiuisibiliter fundamentum, & terminum, sicuti binarium importat indiuisibiliter duo, sed Petrus v.g. cum Paulo, & idem Petrus cum Ioanne non est vnum binarium sed sunt duo binaria ergo pariter Petrus cum vno filio, & idem Petrus cum alio filio non vnam, sed duas constituet paternitates. Respondeo disparitatem esse, quia binarium importat quidem indiuisibiliter duo, sed ambo in recto, paternitas verò importat vnum in recto, & aliud in obliquò ex quo fit vt multiplicato obliquo non multiplicetur relatio; neque obstat quod paternitas sit ad hos terminos determinatè, nam etiam vestitus respicit has vestes determinatè nec tamen pro multiplicatione vestium multiplicatur vestitus.

3 Porrò pro diuersitate specifica terminorum relatio diuersificatur, non aliter, ac pro diuersitate specifica formarum accidentalium diuersificantur concreta accidentalia, sic paries dicitur albus & frigidus, & Petrus dicitur Pater Pauli, & Dissimilis ligno. Ratio autem cur pro diuersitate solùm specifica terminorum diuersificetur relatio est, quia de diuersitate merè numerica, & materiali, non designabili nisi negatiuè, vt diximus vbi de differentia specifica, non habetur ratio, ideòque diuersitas terminorum merè numerica neque multiplicat, neque diuersificat relationem.

4 Relatio prædicamentalis terminatur ad absolutum formaliter, formaliter inquam non realiter, realiter enim loquendo terminus cuiusque relationis prædicamentalis est aliqua relatione prædicamentali correllatiuus ad fundamentum, vt supra probauimus, sed cùm hoc benè stat, quod relatio prædicamentalis dicenda sit terminari ad absolutum formaliter, ad illud enim formaliter terminatur, quod est ratio formalis terminandi relationem, seu quod de se præcisè acceptum est ratio cur fundamentum habeat tale prædicatum relatiuum, sed terminus precisè secundum sua prædicata absoluta est ratio cur fundamentum habeat tale prædicatum relatiuum: ergo, &c. Minor probatur, quia per hoc præcisè quod concipiamus à Petro generari Paulum secundum prædicata absoluta ipsius Pauli, etiam si Paulus non esset mutuo relatiuus ad Petrum, adhuc habeamus totum constitutiuum paternitatis. Sic in sententia negante Deum mutuo referri ad creaturas per hoc præcisè, quod intelligatur Deus secundum sua prædicata absoluta intelligitur terminus relationis quā creaturæ habent ad ipsum Deum.

5 Hoc ipsum intelligendum etiam est de relatione transcendentali, quia per hoc præcisè quod concipiatur cognitio v.g. de pariete habetur conceptus relationis transcendentalis, quam habet cognititio ad parietem, etiamsi paries, qui est terminus talis relationis non importetur sub formali conceptu relatiui. Neque contra hoc facit paritas ducta a relationibus in diuinis, quia in diuinis illud solùm est ratio formalis potens formare relationem, quod est in fundamento realiter distinctum, nihil autem realiter distinctum est in diuinis, nisi quod est relatiuum; Cum ergo in creatis etiam prædicata absoluta sint realiter distincta à fundamento, poterit terminus secundum prædicata absoluta esse formalis terminus relationis. Verùm quidem est quod etiam increatis, dicimus Patrem esse filij Patrē, sed hinc non sequitur, quod terminus paternitatis sit quid relatiuum formaliter, tunc enim solùm dicimus Patrem esse filij Patrem, quando volumus assignare terminum sub conceptu formali correlatiui, cæterum vt assignetur id, quod est ratio formalis terminandi paternitatem seù id quod præcisè sufficit ad habendum prædicatum paternitatis satis est, si assignemus terminum secundum prædicata absoluta.

6 Potest vna relatio fundare aliam, vna enim paternitas est similis alteri paternitati, ideòque vna relatio paternitatis est fundamentum alterius relationis similitudinis. Cum enim non minus fundamentum habeamus comparandi vnum album cum alio albo, quam vnam paternitatem cum alia,

alia, & cum æquè possint duæ paternitates confundi in conceptu communi paternitatis, quam duo alba in conceptu communi albi, tam duæ paternitates, quam duo alba erunt similia. Neque verò ex hoc sequitur processus in infinitum, cum enim relatio prædicamentalis habeatur per complexum, & combinationem plurium existentium, sicut non possunt existere nisi finita, neque ex finitis possunt fieri combinationes nisi finitæ, ita ex finitis non possunt haberi infinitæ relationes.

7 Summum genus respectu omnium relationum tam trascendentalium, quam prædicamentalium est ens, seù relatio realis. Hic enim conceptus est perfectè præcisus à diferentijs, à quibus, immediatè diuiditur, cum enim relatio realis alia sit essentialis, alia accidentalis, per has differentias non certificamur formaliter de relatiuo reali, quamuis enim per conceptum accidentalis, & essentialis certificemur de ratione relatiui, quia omne accidentale est formaliter alicui accidentale, non tamen certificamur de ratione relatiui realis. Disputamus enim vtrum id, quod est accidentale alteri dicat realem relationem ad id, cui est accidentale an verò relationem merè secundum dici. Vide ea, quæ diximus distinct. 4. vbi egimus de præcisione entis realis; est enim hic par ratio, sicut enim licet ratio entis latissimè accepti non perfectè præscindat à suis differentijs, ratio tamen entis realis perfectè præscindit à perseitate, & inaleitate; Ita licet ratio relatiui, vt sic non perfectè præscindat ratio tamen relatiui realis perfectè præscindit ab essentiali, & accidentali, eo quod tam de perseitate, & inaleitate disputamus, vtrum sit ens reale; quam disputemus de essentiali, & accidentali, vtrum importent realem relationem.

8 Summum genus respectu solarum relationum prædicamentalium est ens reale ad aliud cōtingenter, seù relatio realis contingens, hoc autem genus diuidetur in suas immediatas differentias, si dicamus relationem realem contingentem aliam esse fundatam in vnitate, & numero; aliam in actione, & passione. Et licet veritas, seù conuenientia de suo conceptu sit quid relatiuum, præscindit tamen à conceptu generis assignati: tum quia de ratione conuenientiæ non est importare formaliter relationem realem, tum quia neque de illius conceptu est importare formaliter relationem cōtingentem, quare conceptus à nobis assignatus erit rigorose genericus; neque obstat quod conceptus relatiui importet formaliter duo, nam importat quidem duo, sed vnum in recto aliud in obliquo, & sicuti animal, hoc est principium sensationis est genus, quia licet importet duo, vnum tamen importat solùm in recto nec possumus ex vi talis conceptus dicere vtrum detur vnum, vel plura animalia, ita conceptus relatiui realis contingenter erit genericus, quia importat vnum tantum in recto, nec possumus ex vi huius conceptus dicere vtrùm detur vnum, vel plura huiusmodi relatiua.

CAPVT SEXTVM.

De Prædicamentis actionis, & passionis.

5 ACTIO definitur ab Aristotele *Actus in hoc, prout ab hoc*: Passio verò, actus ab hoc prout in hoc. Dicitur actio esse actus, hoc est forma actuans, & vltimò determinans id, cuius est actus ad denominationem agentis, sicuti passio est actus, seù forma vltimò determinans ad denominationem passi. Dicitur actio esse *actus in hoc*, nimirum in passum, quia actio habet rationem tendentiæ in effectum. Adduntur particulæ illę *prout ab hoc*, quia actio habet rationem tendentiæ in effectum, quatenus intelligitur exire, seù profluere ab efficiente, cum è contra passio dicatur *actus ab hoc, prout in hoc*, quia est tendētia ab agente prout terminata ad effectum, vel in ipso effectu recepta, si sit creatiua, vel ad effectum terminata sed recepta in subiecto ex quo educitur, si sit eductiua, vt infra dicemus. Ex quo patet id, quod Aristoteles tum alibi tùm 3. Phys. tex. 21. docet, actionem scilicet, & passionem esse idem, & differre solùm ratione non aliter ac solùm ratione differt *via Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas*, Nonnulli tamen omnem distinctionem etiam per rationem actioni, & passioni negant, sed dicendū est cum Aristotele loc. cit. actionem, & passionem differre ratione, & plus quam inter se differant tunica, & indumentum, quæ neque ratione, sed merè secundum nomen differunt. Pro qua re duplex est distinguenda distinctio formalis, & per rationem, alia per quam possumus ex vi vnius conceptus reddere rationem de aliquo, de quo non possumus reddere rationem ex vi alterius conceptus, atque hac distinctione formali distinguitur animal à rationali, quia per conceptum rationalis reddi potest ratio de ordine ad discursum, de quo reddi non potest ratio per conceptum animalis hac ergo distinctione formali actio, & passio non distinguuntur. Sed alia tamen datur distinctio formalis minus rigorosa, per quam licet non possimus ex vi vnius conceptus reddere rationem de aliquo, de quo non possimus ex vi alterius conceptus. Illud tamen quod in vno conceptu importatur principalius in alio importatur minus principaliter; atque hac distinctione formali distinguitur actio à passione, idem enim actus prout intelligitur profluens ab efficiente est actio, prout intelligitur terminatus ad passum est passio. Quia ergo tam in tunica, quam indumento idem, & eodem modo

modo importatur, nulla datur distinctio, neque per rationem, quæ tamen datur inter actionem, & passionem, atque hæc distinctio satis est ad hoc vt actio, & passio constituant duo prædicamenta.

2 Effectus, qui sunt indifferentes vt fiant à Deo solum, vel à Deo simul, & causa secunda fiunt per actionem, quæ est modus superadditus entitati ipsius effectus, tam quando hic fit à solo Deo, quam quando fit à Deo simul, & causa secunda. Cum enim hic effectus possit pendere, & fieri, vel à solo Deo, vel à Deo simul, & causa secunda; hoc quod est pendere hic, & nunc à solo Deo, vel à Deo simul, & causa secunda, non potest esse sola entitas effectus, & causæ, quæ in vtroque casu sunt eædem, sed debet esse aliquid aliud, quod est modus actionis. Confirmatur tum quia quoties datur realis, & diuersa denominatio dari debet realis, & diuersa forma, à qua habeatur talis denominatio tum quia id, quod de se, & per suam solam essentiam non est tale, non potest per se solum fieri tale, sed vt fiat tale, fieri debet per aliquid aliud. Sed lux, v. g. per suam essentiam præcisè non est effectus solis, ergo vt sit effectus solis poni debet aliquid aliud.

3 Dices primò, lucem dependere à Sole per hoc, quod sit Sol cum omnibus conditionibus requisitis, & per hoc, quod lux connotet in obliquo Solem. Sed contra, quia obliquum, & rectum non est, nisi ex nostro modo concipiendi, illud autem, quod hic quærimus est, quid habeat peculiare lux, ratione cuius aliquando exigat concipi cum Sole in obliquo, eo quod ab illo dependeat, aliquando verò non. Præterea cùm positis omnibus conditionibus, & negatione omnium impedimentorum adhuc lux possit pendere tantùm à Deo, vel à Deo simul, & Sole. Quid erit lucem pendere etiam à Sole?

4 Dices secundò ad hoc vt lux pendeat à Sole requiri negationem modi miraculosi, si enim existente Sole cum omnibus conditionibus velit Deus lucem non pendere à Sole, sed à se tantùm, debebit Deus producere lucem per modum miraculosum. Sed contra primò, quia iam tu admittis modos, & actionem miraculosam, in qua soluenda tibi erunt quæcunque contra actionem naturalem poteris obijcere. Secundò non est maior ratio cur productio lucis miraculosa habeatur per actionem superadditam, productio verò naturalis per negationem, tam enim dependentia naturalis, quàm miraculosa est de suo conceptu quid positiuum; & si semel admittamus denominationes positiuas haberi per negationem modi miraculosi, dico quod videre, v. g. parietem, amare Deum, &c. nihil sit aliud, quam potentia, & obiectum cum omnibus conditionibus, & negatione modi miraculosi. Tertiò, sicuti quia esse tenebrosum habetur per aliquid negatiuum, implicat etiam supernaturaliter quod aliquid non fiat tenebrosum per negatiuum, ita si dependere in ordine naturali habetur per te à forma negatiua, neque in ordine supernaturali haberi poterit per formam positiuam.

5 Quod si recurras ad decretum Dei volentis lucem pendere à Sole, quod decretum Deus non habeat, quando vult lucem pendere non à Sole, sed ab ipso Deo tantùm. Contra est, quia in quacunque sententia de decretis diuinis assignari debet obiectum diuersum, ad quod terminetur Dei decretum, & quod Deus velit. Confirmatur non potest per solum Dei decretum fieri formaliter, quod aër sit lucidus, sed præter Dei decretum, quod est determinatiuum extrinsecum efficiens, poni debet in aëre lux, per quam tanquam per determinatiuum intrinsecum, & formale aër fiat lucidus, ergo præter Dei decretum poni debet formalis dependentia, & actio, per quam lux dependeat à Sole.

6 Ex his infertur primò, quod non modo quando effectus aliquis est indifferens, vt fiat ab hac, vel illa causa principali, sed etiam quando effectus potest fieri per hanc, vel per illam causam instrumentalem, hoc quod est fieri per talem causam instrumentalem importet diuersitatem in actione. Cum enim causa instrumentalis, licet ordinata in bonum alterius, vt dicemus in Physica, sit tamen causa per veram virtutem, & verè ab illa effectus dependeat, hoc quod est fieri dependenter à tali causa instrumentali debet esse aliquid peculiare, quod sit formale exercitium talis causæ.

7 Infertur secundò, resolutio alterius quæstionis. Vtrum scilicet ea, quæ petunt essentialiter à solo Deo creari, fiant per actionem superadditam. Respondendum enim est, quod si ita petunt essentialiter à solo Deo creari, vt tamen possit à Deo assumi aliquid creatũ, quo tanquam causa instrumentali ipse Deus vtatur ad illorum creationem, tam quando huiusmodi entia fiunt à solo Deo, quã quando fiunt à Deo simul, & causa instrumentali, fiant per actionem superadditam; licet enim essentialiter exigant dependere à Deo, quia tamen non essentialiter exigunt dependere tali modo, sed vel hoc, vel illo modo, ideò hoc quod est dependere à Deo tali modo, esse debet actio superaddita. Quod si sunt tales effectus, vt à nulla causa secunda, neque instrumentali produci possint, nulla erit necessitas, quantum est ex hoc capite, superaddendi actionem. Dixi quantum est ex hoc capite, quia si tale ens est creabile, vel dependenter ab his, vel dependenter ab alijs determinatiuis, quæ posita talium rerum conbinatione potuerint non fuisse determinatiua, deberet haberi talis diuersitas ratione alicuius actionis, vt colligetur ex dicendis sectione sequenti.

8 Infertur tertiò, in quo consistat essentia modi: qualis est actio; est enim modus entitas per se ipsam vltimò determinans ad aliquam denominationem, & suo subiecto intrinsecè, & essentialiter alligata. Dixi modum esse entitatem, non rem, entitas enim aliquando accipitur latius, quam res; hinc distinctio realis dicitur, quæ intercedit inter rem, & rem, modalis verò, quæ inter rem,

K &mo-

& modum, ſeu inter entitatem modalem, & entitatem realem: Præterea modus eſt vltimò determinans ad aliquam denominationem, non enim intenduntur modi à natura, niſi ad tollendam indifferentiam rerum, quæ per ſuam entitatem præcisè ſunt indifferentes vt pendeant, vel non pendeant ab hac cauſa, vt ſint, vel non ſint in hoc loco, &c. Addidi modos vltimò determinare ad aliquam denominationem, quia poſito modo eſt impoſſibile, quod non reſultet completa denominatio obiectiua. Demum per illas vltimas particulas *ſuo ſubiecto intrinſecè, & eſſentialiter alligata* explicatur peculiare prædicatum modorum, implicat enim, quod modus non ſit in ſubiecto, cuius eſt modus, vel inhæſiuè, vel adhæſiuè; ex quo patet, quoad hoc, imperfectiores eſſe modos, quam quodlibet accidens reale, quia accidens reale poteſt diuinitus exiſtere, etiam ſi non recipiatur in vllo ſubiecto, quod modi habere non poſſunt. Neq; propterea derogatur quidquam Diuinæ Omnipotentiæ, cum enim ſine modis eſſentialiter alligatis haberi non poſſit hoc, quod eſt effectum depẽdere ab hac cauſa, eſſe in hoc loco, &c. poſito quod Deus hæc velit, debet neceſſario velle ea, quæ ſunt ad tales denominationes eſſentialiter requiſita.

9 Actio & paſſio ex Ariſtot. tum alibi tum præcipuè ſecundò de anima tex. 139. & 140. eſt in paſſo, quod verificatur tam de actionibus tranſeuntibus, quam de immanentibus, in quibus agens, & paſſum ſunt realiter idem. Et quidem cum agens ſit ad faciendam perfectionem, paſſum verò ad recipiendam, non in agente, ſed in paſſo recipi debebit actio. Præterea actio eſt mutatio, & dependentia effectus à cauſa, ergo eſſe debebit in cauſa. Denique cum in Deo veriſſimo agente habeatur tota ratio, & eſſentia agentis abſque actione in illo recepta, non eſt cur non idem de alijs agentibus dicamus. Porrò aliquando paſſum eſt terminus, qui per actionem fit, aliquando non. Tunc paſſum eſt terminus, qui per actionem fit, quando terminus non fit dependenter ab vllo ſubiecto; in quo caſu actio vtpote non eductiua, ſed creatiua recipitur, & eſt in tali termino, non inhæſiuè, ſed adhæſiuè, ita ſcilicet vt termino vniatur, non tamen de eius potentia educatur, nec ſit illo poſterior. Quando verò terminus educitur de potentia materiæ, vel alicuius alterius ſubiecti, tunc paſſum eſt ſubiectum illud, ex quo educitur, in quo propterea tanquam in ſubiecto inhæſionis talis actio eductiua recipietur. Quamuis autem modus ille, qui realiter eſt actio, & paſſio recipiatur ſolùm in paſſo, non tamen tribuit paſſo denominationem agentis, quia aliquæ formæ licet in ſe ſimplices, dant tamen diuerſas denominationes diuerſis ſubiectis, ſeu terminis, prout illos diuerſimodè afficiunt.

10 Actio non eſt prior natura, ſed in ſigno concomitanti cum effectu, quia prius natura, vt dicemus in Phyſica, eſt determinatiuum extrinſecum alterius ad exiſtendum, actio verò non eſt determinatiuum, ſed eſt ipſa formalis determinatio, & dependentia effectus. Similiter actio non eſt id, ex cuius præuiſione auctor naturę mouetur ad ponendum effectum, cum ex præuiſione cauſæ habentis omnia requiſita ad cauſandum, moueatur ad ponendum effectum taliter, ſeù cum tali modo actionis, idèoque actio, & terminus ſunt in ſigno concomitanti decreta, & poſita. Sicut ergo non prius eſt poni taliter, ſeu tali modo rem, quam poni ipſam rem, ita non prius eſt poni actionem, quam entitatem effectus, ſed entitaș, & eius modus ponentur ſimul. Et quidem cum in recepta ſententia aliqui effectus, cuiuſmodi ſunt actus vitales, non fiant per actionem ſuperadditam, in his non modo effectio non eſt prior, ſed eſt idem realiter cum entitate effectus, ergo ſi de ratione actionis eſſet importare prioritatem naturæ reſpectu effectus, nunquam poſſent prædicata actionis identificari cum entitate rei per talem actionem productæ, ſicuti quia de ratione cauſæ eſt importare prioritatem naturæ reſpectu effectus, nunquam cauſa identificari poteſt cum effectu. Quando ergo dicitur actio eſſe via, & tendentia ad terminum, per has locutiones non eſt intelligendum, quod actio importet prioritatem reſpectu termini, nam ſicuti non poteſt actio in omnibus conuenire cum via, vt per ſe patet, ita ſatis eſt, quod cum illa conueniat in hoc ſolùm, quod ſicuti via eſt id, quo acquiritur terminus, ita actio ſit id, quo ponitur effectus. Cæterum via eſt prior natura acquiſitione termini, quia habet rationem determinatiui, ex eo quod acquiſitio viæ determinet ad acquiſitionem termini, cum ideò detur hæc vbicatio in termino, quia præceſſit hæc vbicatio fluens; hoc autem non conuenit actioni, quæ non eſt determinatiuum, ſed eſt ipſa formalis determinatio, qua effectus ponitur à ſuis determinatiuis.

11 Porrò ſicuti entitas effectus eſt indifferens vt fiat ab hac, vel ab illa cauſa, ita eſt indifferens, vt ponatur ab agente intellectuali, vel propter hunc, vel propter illum finem, & vel intuitu harum conditionum, vel non. Meritò ergo dubitatur, per quid habeat entitas effectus dependere ab hoc, vel illo fine, ab his, vel illis conditionibus. Pro reſponſione autem diſtinguendum eſt inter agens intellectuale increatum, & agens intellectuale creatum, cum enim agens intellectuale creatum ſit capax actus liberi, per quem intrinſecè mutetur, hoc quod eſt poni, v.g. ambulationem, nunc propter recreationem, nunc propter ſanitatem, habetur ſolùm ratione diuerſi actus liberi. Eadem enim actio, quæ de facto ponitur dependenter à volitione intendente ambulationem propter ſanitatem, poni potuit dependenter à volitione intendente ambulationem propter recreationem. Tota itaq; difficultas eſt reſpectu agentis liberi increati; Licet enim in ſententia ponente decreta Dei adæquatè ipſi Deo intrinſeca, hoc quod eſt poni creaturam propter hunc finem, propter quem potuiſſet non poni, non neceſſariò ſit aliquid extra Deum; in ſententia tamen complente decreta Dei

per

per extrinsecum assignandum videtur aliquid in obiecto diuersum, quod sit complementum diuersi decreti Diuini, per quod intendat hanc entitatem propter hunc finem, cum potuerit illam eandem intendere propter alium finem, Hac de causa nonnulli, qui complent decreta Dei per extrinsecum, dicunt, hoc quod est poni hãc entitatem propter hunc finem, esse peculiare prædicatum in actione productiua, vel conseruatiua talis entitatis; ideoq; aiunt, quod sicuti quia hæc entitas est volita propter hunc finẽ ponitur per hanc actionem, ita si fuisset volita propter alium finem debuisset poni per actionẽ diuersam explicatiuam diuersi finis, & completiuam diuersi decreti Diuini. Similiter, quia dum ignis est applicatus ligno posset Deus habere diuersa decreta, vel scilicet velle, quod ab igne comburatur lignum, quia est approximatus ligno, ita vt si non esset applicatus, non esset voliturus combustionem ligni, vel è contra velle, quod ab igne applicato cõburatur lignum, ita vt etiam si non esset applicatus adhuc esset voliturus combustionem ligni ab igne. Ideò hoc quod est poni combustionem, vel intuitu approximationis, vel non intuitu approximationis, dicunt haberi per talem peculiarem actionem diuersam diuersi decreti Diuini explicatiuam.

12 Verùm si actio essentialiter alligetur omnibus finibus, & conditionibus sequuntur aliqua valdè difficilia in Theologia, ideo vt omnis difficultas euitetur, & pro rei veritate, quid dicendum sit proponamus. Duplex genus finium, ac determinatiuorum distinguimus, alia enim sunt determinatiua talis generis, vt posita hac rerum combinatione non potuerint non esse determinatiua, alia verò sunt talia, vt posita hac rerum combinatione potuerint, vel esse, vel non esse determinatiua. Quare asserimus: ex suppositione, quod decreta Dei compleantur per extrinsecum, actionem congruentius alligari omnibus, & solis ijs determinatiuis, quæ posita earundem rerum combinatione potuerunt non esse determinatiua, quod exemplis explicabitur simul, & probabitur. Si quis oret pro pluuia, & pluuia ponatur: positis pręcibus pro pluuia, & posita existentia ipsius pluuiæ adhuc preces potuerunt esse, vel non esse determinatiuum ad pluuiam, quia stante combinatione precum, & pluuiæ; potuit Deus moueri, vel non moueri à precibus ad dãdam pluuiam, si ergo det pluuiam propter preces, *ly propter* debet esse aliquid in obiecto pręter solam pluuiam, & preces, hoc autem diuersum congruenter dicitur esse peculiaris actio productiua pluuiæ, quæ ratione peculiaris prędicati, quod habeat, sit explicatiua, & completiua talis decreti Diuini, quo voluerit pluuiam propter preces. E cõtra ex suppositione quod v.g. à terra producantur hi fructus necessariò debuit terra fuisse à Deo volita propter hos fructus. Cum enim Deus non possit non intẽdere omne bonũ quod fit; posito quod à terra sequatur bonum horum fructuum per physicum influxũ terræ in hos fructus, debuit à Deo fuisse intenta terra propter hos fructus; quando ergo fuit conseruata terra ad hoc vt ex illa nascerentur hi fructus, non fuit necesse, quod terra conseruaretur per actionem alligatam his fructibus secuturis, quia ex suppositione, quod à terra conseruata profluat actio productiua fructuum non remanet vlla indifferentia, sed necessariò debuit fuisse intenta conseruatio terrę propter hos fructus tanquam propter finem.

13 Hinc si Deus det Petro v.g. cogitationem aliquam, ad hoc vt dependenter à tali cogitatione Petrus liberè eliciat talem volitionem, actio productiua cogitationis non potest esse essentialiter alligata volitioni sequuturæ, hæc enim ex suppositione talis cognitionis non sequeretur liberè, sed ab illa necessariò traheretur. Sed neque dicendum est quod decretum Dei de danda cogitatione propter volitionem compleatur per muscam in Apulia, vt aliqui dixerunt; quia hoc est ridiculum, nec dicendum si possumus alio modo explicare, quod ex vna parte actio sit alligata finibus, quando ad tollendã differentiam hoc est necessarium, & quod ex alia parte nullum sequatur detrimentum libertatis possumus autem hæc concordare ex principijs positis. Ideoque quando Deus dat hanc cogitationem, vt sequatur hæc libera volitio, nulla est necessitas, quod actio productiua talis cognitionis, vel ipsa cognitio, si non sit per actionem distinctam sit alligata volitioni secuturæ quæ deinde ex tali cognitione de facto sequitur, quia ex suppositione quod dependenter ab hac cogitatione sequatur hęc volitio non per moralẽ, sed per physicam dependentiam à tali cognitione, nõ potuit non fuisse à Deo intenta talis cogitatio propter hanc volitionem, ideòq; cum stante combinatione talis cogitationis, & volitionis, quæ sequitur dependenter à tali cognitione, non potuerit volitio non esse finis, & determinatiuum, propter quod daretur hæc cogitatio, nihil est addendum explicatiuum talis finis, sicuti è contra quia stante combinatione pluuię, & pręcum, quæ non sunt nisi causa moralis pluuiæ potuerunt pręces esse, vel non esse determinatiuum ad pluuiam, ideò si de facto determinant, & mouent ad pluuiam, poni debet actio productiua pluuiæ, habens peculiare prædicatum, per quod explicetur hoc, quod est pluuiam fuisse positam popter preces juxta hæc autem principia in alijs philosophandum erit.

CAPVT SEPTIMVM.

De Prædicamento quando.

1 PRædicamentum *quando* est prædicamentum durationis, seù temporis, in quo res est. Duplex autem est tempus aliud intrinsecũ, aliud extrinsecum. Tempus extrinsecum, quod simpliciter

pliciter dicitur tempus, est mensura aliqua extrinseca, à qua metimur quantitatem temporis, & durationis intrinsecæ cuiuscumque alterius rei. Hinc tempus extrinsecum debet esse mensura notissima, communis omnibus inuariabilis, & minima, seu diuisibilis in minimas particulas, vt sit ad mensurandum aptior, hinc motus solaris est tempus extrinsecum, quia per illum, tanquam per mẽsuram habentem omnes allatas conditiones metimur, & distinguimus dies, & annos, & intrinsecã rei cuiusque durationem. Vtrique tempori conuenire potest definitio, seu descriptio temporis allata ab Arist.4 physic.tex,101. nimirum Tempus est *numerus motus secundum prius & posterius*. Dicitur *numerus* non numerans, qualis est actus intellectus colligentis plura in vnum, sed numerus numerabilis; dicitur numerus *motus secundum prius, & posterius hoc est* habentis prius, & posterius, seu habentis aliquas sui partes priores, aliquas posteriores: sed quamuis tempus extrinsecum idem realiter sit ac motus, v. g. solis; motus tamen est tempus, quatenus habet numerum partium priorum, & posteriorum potentium mensurare quantitatem aliarum durationum. Porro dum explicatur tempus per prius, & posterius, ne videatur explicari idem per idem, dicendum erit, quod ratio successionis, seu ratio prioris, & posterioris supponatur per se satis nota, nec vlterius explicabilis.

2 Dixi allatam definitionem, seu descriptionem temporis conuenire etiam tempori intrinseco, intrinsecæ videlicet durationi, per quam res permanet in esse. Nam etiam illi, vt constabit ex dicendis, conuenit habere partes priores, & posteriores, per quas res durans coexistat, & correspondeat nunc his, nunc illis partibus motus solaris: sed sicuti, si nullus esset locus extrinsecus realis, adhuc per extrinsecam suam vbicationem res non esset nullibi, sed esset in loco intrinseco per talem vbicationem correspondentem tali loco imaginario, & extrinseco, ita si cessaret omne tempus extrinsecum reale, adhuc per intrinsecam suam durationem res creata esset in tempore intrinseco, per quod corresponderet tali tempori extrinseco imaginario. Hinc in rebus tempori extrinseco non essentialiter alligatis duratio intrinseca est modus superadditus, quod probatur eodem argumento, quo probauimus actionem modaliter distinctam; eodem enim pacto superaddi debet modus durationis, per quam eadem res indifferens ab existendum, vel non existendum in tali tempore extrinseco; determinetur ad existendum in tali tempore nulla tamen est ratio cur duratio non identificetur realiter cum actione productiua vel conseruatiua rei, adeo vt idem modus habeat prædicata tum actionis, tum durationis. Et quidem cum neque duratio, neque actio sit natura posterior re durante & producta, melius est sine entium multiplicatione hos modos identificare. Adde sic melius explicari posse, quomodo non solùm prima positio, sed etiam perseuerantia, & duratio in actu libero sit formaliter libera, si enim perseuerantia, & duratio in actu amoris ex.g.per horam non esset actuale, & continuum exercitium ipsius amoris, non esset in se meritoria, sed solùm esset meritoria prima positio talis actus, ad quam sine nouo libertatis exercitio subsequeretur tanta duratió, cum ergo dicendum sit perseuerantiam, & durationem in amore Dei esse formaliter liberam, & meritoriam, dicendum etiam est, quod ipsum formale exercitium, & formalis actio sit etiam duratio.

3 Dices quia subiectum est prius natura ad quamlibet sui vbicationem nulla vbicatio identificatur cum actione productiua, vel conseruatiua subiecti, sed etiam respectu suæ durationis subiectum est prius natura, ergo non potest duratio subiecti identificari cum actione productiua illius. Respondeo subiectum esse prius natura respectu suæ vbicationis, quia constat quod respectu alicuius vbicationis sit prius natura, cum enim viuens sit causa sui motus localis vitalis, erit causa, & prior natura respectu suæ vbicationis fluentis; hinc ergo habemus fundamentum dicendi, quod, quælibet vbicatio sit natura posterior, è contra cum nulla sit ratio, cur duratio dicenda sit natura posterior re durante, congruentius identificatur cum actione.

4 Hinc non omnia, quæ sunt in composito durant per vnicam durationem, sed quæcunque per diuersam actionem fiunt, diuersa etiam duratione durant. Quare sicuti materia vtpote prior natura quam forma diuersa actione producitur, ita etiam diuersa actione durat. E contra sicut in compositis merè materialibus forma, & vnio eadem actione producuntur, vt dicemus in Physica, ita eadem duratione durabunt. In composito tamen humano diuersa erit duratio animæ rationalis, & vnionis, sicuti diuersa est eorum actio. Accidentia demum, quæ sunt in composito, cum sint posteriora non solùm materia, sed etiam forma vtpote illius proprietates, fient actionibus, & durationibus diuersis ab actione, & duratione formæ. Quod si aliqua ex accidentibus debitis composito exigunt simul natura produci, posito quod ex aliquo alio capite non repugnet eadem actione produci, neque repugnabit eadem duratione durare.

5 Duratio præscindens à superaddita, & non superaddita, alia est increata, alia creata. Increata est ipsa Dei entitas, quæ essentialiter habet coexistere cuicumque tempori tam imaginario, quam reali, quod ponatur existens. Definitur autem *interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. Dicitur *interminabilis*, tum quia nullum habet terminum extrinsecum, tum quia nihil dari potest maius illa; Dicitur *possessio vita*, quia duratio increata est propria solius Dei semper in actu secundo viuentis; Dicitur *tota simul*, quia in æternitate Dei non dantur partes præteritæ, vel futuræ, sed tota simul est semper præsens, quia quidquid habet semper habet, ideòque perfectè, & totum simul habet.

6 Du-

6 Duratio creata subdiuiditur in æuum, & tempus: vtrumque definitur *permanentia rei in esse aliquando accepto*. Differt æuum à tempore, quod æuum est permanentia interminata rei in esse, quod aliquando accepit; tempus verò est permanentia terminata, ideòque æuum appellatur duratio rerum factarum in tempore, sed incorruptibilium, tempus verò duratio aliarum rerum corruptibilium. Reliqua de tempore expedita sunt in prædicamento quantitatis.

CAPVT OCTAVVM.

De Prædicamentum Vbi.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit locus.

1 DAri locum certius est, quam possit vlla demostratione probari, alius est extrinsecus alius intrinsecus. Extrinsecus est *superficies prima corporis continentis immobilis*; est enim corpus illud, quod continet, seu ambit rem locatam, consideratum tamen secundum primam superficiem, quæ immediatè cohæret rei locatæ, illamque primò, & immediatè ambit. Comparatur vasi, sed ab eo differt per particulam illa *immobilis*, vas enim, vt vas non est formaliter locus extrinsecus, nisi illi accedat immobilitas, seu nisi concipiatur, vt immobile. Porrò immobilitas, quæ ad locum extrinsecum requiritur non est immobilitas formalis, sed æquiualens, ideòque licet stante immota turri, v. g. superficies aeris, flante vento moueatur, quia tamen succedit alia aeris superficies habens eadem distantiam à punctis fixis, seu conceptis vt fixis, ideò Turris, dicitur retinere eandem superficiem quoad æquiualentiam; eumdemque propterea locum extrinsecum; è contra si, dum moueor, simul mecum transferretur hæc aeris superficies, quæ me ambit, diceret mutare locum etiam extrinsecum, mutarem enim aeris superficiem quoad æquiualentiam, quia hæc non retineret eandem distantiam à punctis fixis.

2 Plura existunt, nec tamen sunt in loco extrinseco, nam præter spiritualia, quæ à corporibus non ambiuntur, sed cum illis penetrantur, supremum cælum nulla superficie corporis continentis clauditur, imò si quis conseruaretur in vacuo, non esset in loco extrinseco, quia tamen non esset nullibi, hinc præter locum extrinsecum superaddendus est locus intrinsecus, qui dicitur *vbi*, & est modus rei locatæ superadditus, nam constitutus in vacuo moueri possem saltem à Deo, ergo possem mutare locum, & distantiam à punctis fixis, ergo diuersus locus, qui à me per motum acquireretur, esset quid distinctum à mea entitate, & loco extrinseco, qui in tali casu nullus esset. Sed præscindendo à casu miraculoso potest esse mea entitas, & hic locus extrinsecus, absque eo quod mea entitas sit in hoc loco extrinseco, ergo ad tollendam hanc differentiam debet poni modus.

3 Dices primò, hoc, quod est me esse hic, haberi per talem respectum ad partes vniuersi, vel ad spatium imaginarium. Sed contra est primò, quia si totus orbis circa suum centrum volueretur, seruarem eundem situm, & ordinis respectum ad partes vniuersi, & tamen, quia mouerer, mutarem locum. Secundò, destructis alijs omnibus, si vnum tantùm ens remaneret, hoc esset in loco, nec tamen esset in loco per respectum ad partes vniuersi. Tertiò spatium imaginarium nihil est, ergo non potest terminare respectum prædicamentalem, qualis esse deberet in casu nostro. Sed etiam si spatium imaginarium esset aliquid, adhuc quia respectu illius possem vel hoc, vel illo modo me habere, deberet superaddi modus vbicationis, per quem tali modo me haberem respectu illius. Quartò præsentia ad tale spatium, vel est aliquid præter entitatem, quæ est præsens, & spatium: vel nihil: si aliquid, habetur intentum, si nihil, ergo quoties erit hæc entitas, & hoc spatium, hæc entitas erit præsens huic spatio, quod est falsum.

4 Dices secundò, præsentiam rei ad spatium haberi per indistantiam, vel negationem corporis intercepti. Sed contra est, quia negatio distantiæ cuius rei est negatio? non alicuius negatiui, ergo alicuius positiui, non entitatis, & spatij, ergo vbicationis, quam in loco distanti hæc res haberet; similiter quando dicis haberi per negationem corporis intercepti, hæc negatio non est negatio existentiæ corporis, ergo erit negatio interceptionis, quam corpus posset habere. Quid autem est interceptio nisi vbicatio, quam corpus haberet, si esset inter hanc rem, & spatium? Adde quod inter me, & aerem, v. g. posset nullum corpus esse interceptum, & tamen possem simul cum aere transferri aliò, ideòque mutare locum, quid autem hoc esset?

5 Dices tertiò, me esse hic haberi per hoc præcisè, quod præcesserit motus antecedēs, & non fuerit secutus vlterior motus, ideòque saltem vbi permanens posse negari. Sed contra est primò, quia si admittis vbi fluens, poteris etiam admittere permanens. Secundò vel ex motu præcedente aliquid remanman-

mansit, vel nihil, si aliquid, hoc erit vbi permanens, si nihil ita se res habebit post motum, ac ante motum; sed ante motum non erat hic, ergo neque post motum erit hic, quod est falsum. Tertiò posito motu antecedente, & negatione vlterioris motus potest res vel conseruari hic, vel poni alibi absq; vllo motu locali. Quid ergo erit sine omni motu nunc conseruari hic, nunc cõseruari alibi, vel per replicationem conseruari hic, & alibi? Quod si dicas ad hoc vt res sit hic, requiri præterea negationem miraculi. Cõtra est, quia hæc negatio cuius rei est negatio? profectò nõ nisi vbicationis miraculosæ, quã Deus deberet dare mobili, si posito motu antecedenti nollet, quod esset hic, sed alibi. Si ergo in casu miraculoso, id per quod formaliter res poneretur alibi esset vbicatio, id, per quod præscindendo à miraculo res formaliter ponitur hic, non erit motus antecedens, & negatio vlterioris motus; sed ista erunt determinatiuum conditionale, ipsa verò vbicatio erit determinatiuum formale.

6 Vbicatio non potest identificari cum actione productiua, vel conseruatiua rei vbicatæ; vbicatio enim est natura posterior re vbicata, cuiusmodi non est actio, si enim vbicatio non esset posterior re vbicata, dum ambulo, non essem causa meæ vbicationis fluentis, sicuti non sum causa meæ actionis, vel productiuæ, vel conseruatiuæ: Neque dicas me esse causam solius impetus, ad cuius exigentiam ponatur deinde talis peculiaris actio, alligata tali spatio, nam sine vllo fundamento negas me esse causam meæ ambulationis contra omnem sensum, & auctoritatem; & gratis asseris naturam tanta modorum parsimonia laborare.

7 Dices quæ sunt inseparabilia sunt indistincta, sed rem creatam existere, & existere in aliquo loco sunt inseparabilia, ergo sunt indistincta, ergò per eandem actionem, per quam res creata existit dependenter à suis causis, existet etiam in aliquo loco. Sed contra est primò, quia si hoc argumentum aliquid probaret, tolleret ipsum etiam modum actionis superadditum, nam cum rem creatam existere, & existere dependenter ab aliqua causa, sint inseperabilia, idem erit rem creatam habere suam entitatem, ac habere dependentiam. Sed verè hoc argumentum nihil probat, nam licet rem creatam existere, & existere dependenter ab aliqua causa sint inseparabilia, tamen quia rem creatam existere, & existere dependenter ab hac determinata causa sunt separabilia, ideò hoc, quod est existere dependenter ab hac determinata causa haberi debet per actionem superadditam. Eodem igitur pacto, quia hoc quod est rem creatam existere & existere in hoc determinato loco sunt separabilia, ideò hoc quod est rem creatam existere in hoc determinato loco haberi debet per aliquod superadditum.

8 Vbicatio vt ex dictis infertur, alia est fluens, alia permanens, sicut enim res potest esse in loco vel permanenter, vel fluenter, ita habere potest vbicationem vel permanentem, vel fluentem. Vbicatio tamen permanens est adæquata rei vbicatæ; vbicatio verò fluens est maior, de ratione enim motus vbi cationis fluentis est importare partes priores, & posteriores, partes autem priores, & posteriores vbicationis simul acceptæ sunt maiores re vbicata.

9 Probabile est, quod neque vbi fluens, neq; vbi permanens fiat per actionem superadditam, primò enim cum vbi fluens sit motus, sicuti motus non fit per alium motũ, ità vbi fluens non fit per alium motum, ideòq; non fiet per actionem distinctam, hæc enim habet rationem motus, eo quod per actionem formaliter res mutetur. Præterea idem sonat moueri localiter ab intrinseco, ac agere; ergo quamuis calor fiat per actionem distinctam, quia de conceptu caloris non est agere, sed aliud est calor, aliud producere calorem; cum tamen idẽ sit moueri localiter ab intrinseco, ac agere, motus localis ab intrinseco non fiet per actionẽ superadditam; à paritate autem vbicationis fluentis ab intrinseco, idem suadetur de alia qualibet vbicatione tam fluente, quam permanente.

10 Dices si vbicatio permanens non fieret per actionẽ distinctam, neque duraret per durationem distinctã; hoc autem dici non potest, nam vbicatio esset permanens, prout vbicatio, & esset fluens, prout duratio. Respondeo nullum esse inconueniens, quod eadem vbicatio habeat successiuè nouas, & nouas partes, per quas nouis, & nouis partibus temporis alligetur, & simul hæ omnes partes sunt permanentes, prout partes vbicationis sunt quatenus scilicet omnes correspondent eidẽ spatio; quod non habet vbicatio fluens, quæ cum sit fluens, non modo ratione temporis, sed etiam ratione spatij, habet successiuè applicare rem vbicatam nouis semper, & nouis partibus tùm temporis tùm spatij.

11 Hinc tàm vbicatio permanens, quàm fluens constat minimis, sicut minimis constat eius duratio cum qua identificatur. Quare sicuti diximus agentes de compositione temporis, quod ad exigentiam primi minimi durationis datur secundum, ad exigentiam secundi datur tertium, & sic deinceps: ità ex suppositione, quod res præextiterit permanenter in hoc loco, & habuerit primum minimum vbicationis permanentis, si in tẽpore sequenti careat omni impetu ad exigentiam prioris vbicationis præhabitæ, & negationis omnis impetus subsequentis datur illi secundũ minimum vbicationis permanentis ad exigẽtiam secundi datur tertium, & sic deinceps, donec incipiat acquirere impetum; quando enim incipit acquirere impetum, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco, statim etiam incipit habere tale primum minimum vbicationis fluentis, quod ideò correspondet tali spatio, quia antecedenter habuit talem aliã vbicationem correspondentem tali alteri spatio. Quod si impetus perseueret; post primum minimum vbicationis fluentis acquirit secundum, post secundum acquirit tertium, & sic deinceps quamdiù durat impetus, cum hic ex dicendis in physica, sit causa immediata motus, & vbicationis fluentis.

12 Porrò

12 Porrò sicuti agentes de quantitate successiua diximus taxatam fuisse tantam durationis extensionem, quæ sit vnum minimum, ita in præsenti dicendum est taxatam fuisse tantam vbicationis fluentis extensionem quoad spatium, quæ sit vnum minimum naturale vbicationis fluentis ideòque vnicum minimum mobilis, si habeat impetum, acquiret initio vnum minimum vbicationis fluentis tantæ extensionis quoad spatium, v.g. minimum extensionis tantæ, quanta est extensio vnius acuminis acus, deindè verò ad exigentiam istius primi minimi, impetus perseuerantis acquiret secundum, deindè tertium, &c. verùm quia mobile habere potest maiorem, & maiorem, vel minorem, & minorem impetum in infinitum, quia potest habere velociorem, vel tardiorem motum in infinitum, vt probauimus in prædicamento quantitatis agentes de diuisibilitate in infinitum continui, ideò minima vbicationis fluentis æqualia quoad extensionem, & correspondentiam ad spatium, possunt esse inæqualia quoad durationem, & correspondentiam ad tempus, ac prætereà vnum minimũ vbicationis ratione durationis secum identificatę potest esse breuius, & breuius, longius, & longius in infinitum, non quod idem minimum, quod de facto est breuius, potuerit esse longius, sed quod si mobile habuisset minorem impetum, loco eius minimi breuioris fuisset positum aliud habens durationem longiorem, sed parem extensionem, & correspondentiam ad spatium.

13 De huiusmodi autem minimis eadem dicenda sunt, quæ in prædicamento quantitatis diximus de minimis quantitatis successiuè, quod nimirum vnum minimum sit actu distinctum ab alio, partes verò vnius minimi licet successiuè non sint distinctæ nisi in potentia, nam hoc, quod est secundum minimum vbicationis fluentis poni ad exigentiam primi, debet esse peculiare prædicatum identificatum cũ ipso secundò minimo, quod peculiare prædicatum non est in primo minimo, nam cum potuerit poni primum, & secundum minimum vbicationis fluentis, & tamen secundum minimum non poni ad exigentiam, & intuitu primi, si nimirum Deus voluisset ponere secundum minimum, quantumuis non præextitisset primum, hoc quod est poni de facto secundum minimum ad exigentiã primi, tertium ad exigentiam secundi, &c. debet esse peculiare aliquod prædicatum in quolibet minimo, ratione cuius prædicati, sicuti quodlibet minimum dat fundamentum peculiare dicendi *Hoc* ita est actu distinctum ab alio quolibet minimo, vt constat ex dictis in prædicamento quantitatis. Quodlibet verò minimum non habet partes nisi in potentia, quia ratio successiui, & quodlibet aliud prædicatum in partibus minimi reperibile, est quid commune cuicunque parti minori, & minori in infinitum designabili, ideòque non præbens peculiare fundamentum dicendi *Hoc*, nec faciens nisi distinctionem in potentia, atque idem dicendum de minimis vbicationis permanentis.

SECTIO SECVNDA.

Aliæ de vbi quæstiones.

1 NIHIL potest existere, & existere nullibi. Primò, quia non est perceptibile, quod aliquid producatur, & non in aliqua parte spatij, vel realis, vel imaginarij. Secundò, quidquid existit, vel est à se, vel est ab alio. Si à se erit Deus, & erit vbique; si ab alio, erit vel præsens, vel remotum ab eo, à quo est. Similiter creetur homo nullibi, si potest, nonne anima erit præsens corpori, & os iuxta nasum? Sed hæc sine existentiâ in loco nec haberi, nec intelligi possunt. Tertiò, nihil potest existere nisi in aliquo tempore, ergo nec nisi in aliquo loco. Antecedens probatur tum quia est imperceptibile, quod aliquid existat, & illi non competat, vel fuisse, vel esse, vel fore, tum quia Angelus v.g. in nullo tempore existens posset amare simul, & odisse idem obiectum, eidemque assentiri, & dissentiri, hæc enim non repugnant nisi pro eodem tempore.

2 Dices res est causa saltem materialis suę vbicationis, ergo poterit existere sine illa. Respondeo negando consequentiam, nam licet vbicatio non sit constitutiuum rei vbicatæ, sicuti neque illius constitutiuum est actio, & duratio, tamen sicuti non potest existere sine aliqua actione, & duratione ita neque sine aliqua vbicatione; ratio autem vniuersalis pro his omnibus est, quia si res existit, aliquo modo ex infinitis possibilibus debet existere, ideòque aliquo modo actionis, aliquo modo vbicationis, &c. Porrò etiam voluntas est causa sui actus liberi, & tamen positis omnibus requisitis non potest existere sine aliquo exercitio libero, ergo similiter licet res sit causa suæ vbicationis, tamen, quia per hoc, quod existat, habet omnia requisita ad habendam aliquam vbicationem necessariò aliquam vbicationem habere debet.

3 Hinc ipse etiam locus extrinsecus, cum sit aliquid existere debet in loco intrinseco per aliquam vbicationem. Pariter non modo res materiales, sed etiam res spirituales creatæ alicui loco non essentialiter alligatæ, sunt in loco per vbicationem distinctam, neque possunt esse in loco merè per hoc quod in tali loco operentur. Primò, quia si Angelus operans hic simul cum toto mundo transferretur alio, necessariò mutaret locum, nec tamen necessario mutaret operationem. Quod si dicas debere etiam in hoc casu mutare operationem, eo quod hæc operatio sit alligata huic loco. Contra est quia dum tollis vbicationem, cuicunque operationi tribuis prædicata vbicationis dum cuicunque operationi tribuis essentialem alligationem ad locum. Secundò prius est rem esse in loco, & deindè in tali

in tali loco operari, ergo non potest quidquam constitui in loco per operationem. Tertiò, Angelus impediri posset à Deo, ne quidquam operaretur cum tamen ex suppositione, quod Angelus existat habere necessariò debeat aliquam vbicationem. Quare in tantum dici potest, Angelum esse in loco per operationem, in quantum locus, in quo Angelus est, innotescit nobis per operationes, quas exercet.

4 Diuersa tamen est vbicatio rerum spiritualium ab vbicatione rerum materialium. Vbicatio enim rerum spiritualium est definitiua, per quam scilicet sunt totæ in toto spatio, & totæ in qualibet parte spatij. Materialia verò connaturaliter vbicantur vbicatione circumscriptiua, ita vt totum corpus toti spatio, & pars corporis parti spatij correspondeat. Dixi connaturaliter, quia miraculosè possunt materialia habere vbicationem definitiuam, vt constat in corpore Christi Domini definitiuè existente in Eucharistia.

5 Vbicatio circumscriptiua constat totidem minimis, quot habet minima corpus per talem vbicationem vbicatum imò per minima corporis vbicati designantur in ipsa vbicatione totidem minima, cum enim hæc particula vbicationis habeat essentialiter afficere hanc particulam, seù minimum corporis, alia aliam: hæc particula vbicationis habebit peculiare prædicatum, quod dat peculiare fundamentum dicendi *Hoc*, ideòque minima erunt actu distincta inter se: ipse verò partes in minimo vbicationis, cum nullum habeant peculiare prædicatum, ratione cuius dici possit hæc, & illa pars, nulla pars minimi erit actu, sed solùm in potentia distincta ab alia.

6 Quamuis vbicatio definitiua sit vbicatio spiritualis, cum ratione tamen spiritualitatis æquè benè stare potest, quod sit diuisibilis, ac quod sit indiuisibilis, accidenti enim spirituali non repugnat diuisibilitas; nam habitus spirituales sunt diuisibiles quoad intensionem, & duratio spiritualis est etiã diuisibilis quoad extensionem. Quare quantum est ex ratione spiritualitatis, neque probari potest, quod vbicatio definitiua sit indiuisibilis, neque quod sit diuisibilis, ideòque aliundè hoc indagandũ est. Primò ergo videtur congruentius dicendum, quod anima rationalis sit in corpore per vbicationem definitiuam diuisibilem, cum enim sit forma corporis congruentius videtur, quod eius vbicatio proportionetur vbicationi corporis, præsertim quia aliter dicendum esset, quod si moueatur minimus digitus, diuersa sit vbicatio, qua anima rationalis est in toto corpore, ab vbicatione, quam eadem anima rationalis in toto corpore habuisset, si ille minimus digitus non fuisset motus. Diuisibilis etiam videtur esse vbicatio definitiua, qua corpus Christi Domini existit definitiuè in Eucharistia, sed ita diuisibilis vt per quamlibet partem talis vbicationis totum corpus Christi Domini sit in tota Hostia, & totum in qualibet parte Hostiæ. Angelus denique cum nullam habeat alligationem ad res materiales dici potest, quod ad suum libitum habere, & elligere sibi possit vbicationem diuisibilem, vel indiuisibilem, quod si moueatur ab extrinseco, v. g. à Deo, ad Deum spectabit determinare, & dare illi vbicationem definitiuam, vel diuisibilem, vel indiuisibilem.

7 Non sufficit vnicum vbi ad vbicanda omnia, quæ sunt in composito, primò quia vbicatio est rei cuiuscunque proprietas. Secundò, quia sicuti non est dicendum, quod aliquid moueatur per motum alterius, ita neque quod vbicetur fluenter, vel permanenter per vbi alterius. Tertiò, quia stante vnione inter partes essentiales compositi, adhuc replicari potest, v. g. Petrus, vel ita vt Romæ sit eius corpus, & vnio, Neapoli verò solum corpus, vel ita vt Neapoli sit anima, corpus, & vnio; Romæ verò solum corpus; & præterea alijs pluribus, ac diuersis modis fieri potest replicatio, etiam manente vnione inter partes essentiales compositi. Hæc autem difficilè explicari possunt, si omnia, quæ sunt in composito vnica vbicatione vbicentur. Demum stante vnione continuatiua inter partes continui, adhuc non datur in toto continuo vnica vbicatio vnius tantum partis continui, per quam reliquæ omnes eiusdem continui partes vbicentur; sed quælibet pars continui sua parte vbicationis vbicatur, ergo idem dicendum est de partibus essentialibus compositi; æquè enim stante vnione continuatiua partium continui, vbi est vna pars integralis debet esse alia, ac stante vnione essentiali, vbi est vna pars essentialis debet esse alia.

8 Nullum Vbi vnitur suo subiecto per vnionem superadditam, cùm enim vt vidimus sectione superiori non fiat per actionem distinctam, neque fiet per sustentationem distinctam; quia actio eductiua identificatur cum sustentatione, vt dicemus in Physica. Quo posito nulla est ratio cur vbi per solam sustentationem non sufficienter vniatur subiecto illi, à quo sustentatur: posito enim quod vbicatio à subiecto sustentetur, implicat quod non sit in loco, vbi est subiectum. Verum quidem est, quod ex dicendis in Pysica, accidentia permanentia, & realia, seu non modalia, vniuntur subiecto per vnionem distinctam à sustentatione, sed rationes, quæ probant distinctionem vnionis a sustentatione in alijs accidentibus, hoc non probant de vbicatione. Calor enim, v. g. vnitur subiecto vnione distincta à sustentatione. Primò, quia alioqui cum sustentatio sit identificata cum duratione, sicuti duratio est successiua, ita etiam vnio caloris cum subiecto esset successiua, ex quo sequeretur, quod calidum, & alia composita accidentalia prout talia composita sunt, essent in continuo fluxu, quod non videtur dicendum; Neutra autem ex his rationibus militat pro vbicatione, nam aliunde probauimus vbicationem esse identificatam cum sua duratione, & actione, ideòque esse in continuo fluxu, & essentialite alligatam suis causis.

9 Quodlibet vbi existens est relatiuum transcendentaliter ad aliud quodlibet vbi possibile; est enim

enim potens esse, vel vicinum, vel remotum, simile, vel dissimile alteri vbi, si existat; hæc autem sunt prædicata relatiua, & essentialia illi vbi, quod est potens, vt constat ex dictis in prædicamento relationis, ex quibus etiam colligitur quodlibet vbi existens cum alio vbi existente constituere relationem aliquam prædicamentalem, & esse partialem rationem fundandi relationes omnes locales rerum per ipsum vbi locatarum. An autem, & quo modo vbi sit sensibile opportunius dicetur in materia de anima.

SECTIO TERTIA.

An, & quæ dari possit corporum replicatio.

1 EXperientia, & rerum naturalium limitatio satis probat non posse naturaliter idem corpus esse simul tempore in duplici loco, & sanè nullum corpus potest naturaliter acquirere nouum locum nisi per motum, de ratione autem motus est prioris vbicationis derelictio, ad hoc vt possit acquiri noua. Hinc etiam de malis dæmonibus habemus, quod quando voluerunt aliò se transferre relinquerint ad tempus corpora obsessa, quod vtique non fecissent, si simul tempore potuissent esse in duplici loco.

2 Dices potest corpus rarefactum occupare maius spatium, & ex vno palmo v.g. extendi ad duos, ergo poterit etiam extendi ad duos palmos discontinuatos, relinquendo spatium aliquod in medio, in quo existat. Respondeo negando consequentiam, eadem enim experientia, quæ ostendit veritatem antecedentis, ostendit falsitatem consequentiæ. Nam neque Angelus habet posse hoc modo localiter existere, aliter Angelus qui potest naturaliter existere in sphæra, v. g. vnius milliaris, posset naturaliter simul esse in Cœlo, & in terra, & in omnibus vrbibus, & domibus, diuidendo sphæram suæ vbicationis in partes minores, & minores, sed inter se longè dissitas, hoc autem est contra modum loquendi scripturarum, & Patrum ex quibus habemus Angelos descendisse de Cœlo; quæ locutio indicat ab ipsis fuisse Cœlum relictum, quando descenderunt in terram; imò neque datur Angelo, quod intra suam sphæram naturaliter possit se constituere in extremis partibus, absque eo quod sit in medio; non aliter ac anima rationalis non potest naturaliter esse in capite, v.g. & pedibus absq; eo quod sit in medijs partibus corporis. Hinc falsum est, quod à duobus ignibus distantibus possit in diuersis subiectis produci eadem forma ignis; ex suppositione enim quod producatur vna forma in vno loco positum est naturale impedimentum, ne eadem forma producatur in alio loco, non aliter ac ex suppositione, quod vna forma fuerit semel producta, ponitur naturale impedimentum, ne eadem forma iterum reproducatur propter rationes afferendas, quando de hac re agemus in Physica.

3 Potest tamen supernaturaliter idem corpus esse simul tempore in pluribus locis, & tam in vno circumscriptiuè, in alio definitiuè, quam in vtroque, vel etiam pluribus locis circumscriptiuè; Primò, quia in hoc nulla est assignabilis implicantia, vt constabit ex solutione argumentorum. Secundò, quia si potest corpus Christi Domini esse in Cœlo circumscriptiuè, in Eucharistia definitiuè, poterit etiam idem corpus esse in pluribus locis circumscriptiuè, maius enim est miraculum illud, quam hoc, quia corpus habens vnam vbicationem circumscriptiuam, aliam definitiuam, non modo existit in pluribus locis, quod rei creatæ est indebitum, sed præterea habet vbicationem definitiuã, non corpori, sed spiritui debitam; quando verò existit in vtroque loco circumscriptiuè, non interuenit aliud miraculum, nisi quod eidem corpori dentur plures vbicationes, cæterum in quolibet ex illis locis corpus existit eo modo, quo competit corpori existere in loco. Tertiò, si potest, vt aduersarij concedunt, adimi corpori omnis vbicatio circumscriptiua debita corpori, & relinqui cum sola vbicatione definitiua, cur non poterit corpori dari duplex vbicatio circumscriptiua, hoc enim videtur esse minus miraculum, sicuti minus miraculum videtur esse dare igni duplicem calorem, vt octo, quã ab igne omnem calorem illi debitum auferre. Quartò si possunt duo corpora per penetrationem esse in eodem loco poterit idem corpus esse in duplici loco per replicationem. Adde demum multas historias fide dignissimas de corporum replicatione, etiam circumscriptiua.

4 Neque verò esse in loco circumscriptiuè est ità corpus circumscribi hoc loco, vt non sit alibi, si enim hoc volueris intelligere per esse in loco circumscriptiuè, certum est, non posse idem corpus esse in duplici loco circumscriptiuè. Verùm sicuti per esse in loco definitiuè non intelligis, quod ità corpus definiatur ab hoc loco, vt non sit alibi, ità per esse in loco circumscriptiuè, non est cur intelligas, esse taliter in loco, vt non sit alibi. Sed per esse in loco circumscriptiuè intelligimus, quod corpus ità sit in loco, vt totum corpus toti spatio, & pars corporis parti spatij correspondeat, sicut è contra esse in loco definitiuè est esse ità, vt corpus sit totum in toto, & totum in qualibet parte spatij.

5 Dices, si corpus posset circumscriptiuè poni in duplici loco posset esse à se ipso distans, posset sibi ipsi occurrere, &c. posset esse in pluribus locis in infinitum, quæ videntur absurda; Sed contra primò, quia hæc æquè soluenda sunt in duplici vbicatione definitiua. Contra secundò directè; corpus repli-

catum, ſiuè circumſcriptiuè ſiuè definitiuè non poſſet propriè dici occurrere, vel diſtare à ſe ipſo, diſtare enim propriè loquendo dicitur de duobus, ideòque dici ſolùm poſſet, quod corpus replicatum haberet duplicem vbicationem vnam diſtantē ab alia, non aliter ac idem homo habens ſimul albedinem, & nigredinem non dicitur diſſimilis ſibi ipſi, ſed habens albedinem diſſimilem nigredini; ſimiliter non occurreret ſibi ipſi propriè loquendo, quia occurrere dicitur de duobus; ſolùm ergo haberet ſucceſiuè plures vbicationes viciniores ſemper, ac viciniores alteri vbicationi. Demum nullum eſt abſurdum, quod poſſint alicui corpori dari plures, & plures vbicationes in infinitum, ſemper enim haberet vbicationes ſolùm finitas, nec vnquam adæquantes Dei immenſitatem, de cuius ratione eſt eſſentialiter eſſe vbique.

6 Dubitatur hic an ſicuti res in duplici tempore plus naturaliter poteſt, quam in vno, ita etiam plus naturaliter poſſit in duplici loco quam in vno. Sed reſpondendum eſt; rem replicatam non plus naturaliter agere, vel pati poſſe in duplici loco, quam poſſit in vno, licet enim in ordine ad prædicata relatiua localia, poſſit per replicationem plures relationes locales fundare in duplici loco, quam in vno: in ordine tamen ad reliqua non plus poteſt in pluribus locis, quam in vno, nam ex eo quod res ſit in pluribus locis, benè intelligimus, quomodo poſſit habere plures relationes propinquitatis, diſtantiæ, &c. multiplicantur enim vbicationes, ratione quarum habentur huiuſmodi relationes; at cum ratione præciſę replicationis non multiplicetur, neque augeatur virtus, ſed ſemper ſit vna, & eadem cum eadem ſuæ virtutis limitatione, non apparet quomodo quoad prædicata abſoluta plus naturaliter poſſit in duplici loco, quam in vno, Certè hoc virtutis augumentum ex mera replicatione probandum ſupereſt aſſerenti.

7 Ad paritatem de duplici tempore dicimus dari aliquas cauſas, quę non modo pro ea circumſtantia temporis, pro qua aliquid efficiunt, impediuntur ne efficiant aliud, ſed præterea ab effectu producto adeò debilitantur, vt alios pro tempore ſequenti producere non poſſint. Sed quia aliæ cauſæ ſunt, quæ licet pro eodem tempore plura ſimul non poſſint, pro tempore tamen ſequenti remanent expeditæ ad plures, & plures effectus ſimiles ſucceſiuè producendos, ac ſi nihil antea produxiſſent, ideò redenda eſt diſparitas, cur pro diuerſo tempore cauſa naturalis plura poſſit, quam pro eodem, in pluribus tamen locis, ſed in eadem temporis circumſtantia non plura poſſit, quam poſſet in vno tantùm loco. Diſparitas ergo erit, quia de duratione cuiuſcunque effectus eſt impedire, vel totaliter, vel partialiter ſuam cauſam limitatam ab effectione, vel receptione alterius rei pro ea circumſtantia temporis, pro qua occupatur in alia re. Hinc pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, & illimitatio Diuinæ potentiæ in eo præcipuè elucet, quod ſimul poſſit plura, & plura in infinitum efficere, abſque eo quod ab vllo effectu impediatur. Sicut autem benè intelligimus, quod effectus impediat cauſam pro ea circumſtantia temporis, pro qua profluit à tali cauſa, ita ſi effectus, quando à ſua cauſa profluit illam nullatenus debilitauit, benè etiam intelligimus, quod talis cauſa remaneat expedita, ac ſi prius nihil produxiſſet, ideòque ſicuti productio præterita non poteſt de præſenti impedire, & obeſſe ſuæ cauſæ, ſi quando fuit de præſenti, nihil illi obfuit; ita effectus præſens pro eo tempore, pro quo profluit à ſua cauſa limitata non poteſt non illam aliquatenus impedire à productione aliorum effectuum: Cum ergo præciſè ratione duplicis vbicationis, cauſa non acquirat plus virium, non poterit naturaliter plus in duplici loco, quam in vno, hinc qui in vno loco non poteſt ferre niſi centum libras replicatus non poſſet naturaliter ferre niſi centum, licet poſſet in vno ferre, v.g. ſolum quinquaginta, in alio alias quinquaginta. Quod ſi præter replicationem augeatur etiam miraculosè virtus actiua, vel paſſiua rei replicatæ poterit pro ratione incrementi virium agere, vel pati plura, & plura, quæ tamen non importent, vel formalem, vel virtualem contradictionem.

8 Replicato corpore debent connaturaliter replicari omnia, quæ ſunt illi vnita, & abſoluta à loco, hinc ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3. habemus poni ſub ſpeciebus panis ſanguinem, & ſub ſpeciebus vini corpus, & animam ſub vtriſque, propter naturalem connexionem, & concomitantiam, qua corporis Chriſti partes non amplius morituri inter ſe copulantur. Et quidem iuxta rei naturam eſt, vt ea, quæ cum aliquo vniuntur vnione vel eſſentiali, vel continuatiua, ratione vnionis illud quocunque ierit comitentur.

9 Dices ſequeretur, quod ſi hic Romæ Petrus ab hoc igne calefieret, ab hoc eodem igne calefieret Neapoli, ideòque hic ignis ageret in diſtans. Reſpondeo, quod ab igne exiſtente Romæ non produceretur calor niſi Romæ, ſed eo producto ſpectaret ad Deum ſuppoſito primo miraculo replicationis Petri, replicare etiam hunc calorem Neapoli ſi vellet connaturaliter operari. Sicut enim poſitis diſpoſitionibus in corpore organizato ſpectat ad Deum, ſi connaturaliter operari velit, creare animam rationalem, ita ad illum ſpectabit replicare calorem Neapoli, poſito quod Romæ fuerit vnitus Petro replicato Neapoli. Quod ſi Petro Romæ applicaretur ignis, Neapoli verò nix illud connaturaliter debet in Petro produci, quod ab agente validiori ad præſentiam talis contrarij produci naturaliter poteſt. Sed caſus hac in re multipliciter variabiles reſoluendi erunt iuxta principia poſita.

10 Solùm poſſet peculiaris eſſe difficultas circa motum. Vtrum ſcilicet corpus replicatum poſſet in vtroque loco naturaliter moueri, ad quod dicimus poſſe caſum dupliciter modo fingi. Primò itaut Deus

Deus velit, quod corpus producat sibi vnam vbicationem circa quam exerat totas suas vires naturales, ideòque respectu alterius vbicationis Deus totaliter se gerat miraculosè, & in hoc casu poterit naturaliter se mouere in eo loco, in quo habet vbicationem à se naturaliter productam, & conseruatam, quia sicuti talem vbicationem sibi naturaliter producit, ita poterit sibi per motum connaturaliter acquirere aliam. At in alio loco, in quo habet vbicationem miraculosè productam sicuti corpus illam sibi connaturaliter non producit, ita non potest illa deperdita acquirere sibi aliam priori miraculosè similem: Si verò supponatur casus, quod virtus corporis in ordine ad producendam sibi vbicationem, diuidatur, nec tota exeratur circa vnam vbicationem, sed partim circa vnam partim circa aliam supplente Deo per concursum miraculosum id, quod corpori deest circa vtranque vbicationem; in hoc casu nullibi poterit naturaliter moueri, quia cùm vtraque vbicatio sit miraculosa, non posset corpus sine nouo miraculo deperdere priorem vbicationem miraculosam, & aliam miraculosam sibi acquirere. Hinc corpus Christi, vbi est circumscriptiuè potest sine miraculo moueri, quia vbicatio circumscriptiua ab illo connaturaliter, & totaliter pendet, cùm circa vbicationes Sacramentales non nisi miraculosè concurrat.

11 Dices si corpus replicatum posset naturaliter moueri, posset etiam secum penetrari. Respondeo corpus replicatum dum in vno saltem loco moueretur, posset acquirere vbicationes viciniores semper, ac viciniores alteri vbicationi permanenti, quam idem corpus in alio loco haberet, ac tandem per motum eo posset deuenire, vt vna vbicatio correspondere eidem spatio imaginario, cui correspoderet altera, in quo casu potest Deus vel relinquere corpori vtranque vbicationem, vel relinquere illi solum vnam. Neque verò impenetrabilitas impedire posset, ne corpus replicatum pertingeret tandem per motum ad adquirendam vbicationem correspondentem eidem spatio imaginario, cui correspponderet alia, nam de ratione corporis impenetrabilis est solum excludere aliud corpus impenetrabile à loco, in quo ipsum est, non verò excludere seipsum, vel excludere aliam vbicationem; vbicatio enim non est de se impenetrabilis, sed impenetrabilitas habetur solùm à quantitate.

12 Sed quæres, an dum corpus in vno loco moueretur, in alio verò quiesceret, impetus, quem sibi in vno loco imprimeret, deberet connaturaliter in alio loco replicari. Respondetur affirmatiuè, ratione enim vnionis, qua impetus est in vno loco vnitus corpori, debet connaturaliter comitari corpus, vbicunque hoc erit. Neque obstat quod impetus in eo loco, in quo corpus quiesceret, esset frustrà, ideòque deberet connaturaliter destrui, nam talis impetus non esset simpliciter frustrà, imò ex tali impetu sequeretur in vno loco totus motus, qui ex illo sequi posset, ideòque ageret quantum posset. Solùm ergo dubitari posset quod esset frustra noua vbicatio talis impetus, sed hæc supposito miraculo replicationis esset connaturalis, sicuti est connaturalis replicatio aliorum omnium, quæ sunt corpori vnita, & sicuti ratione vnionis ponitur in Eucharistia potentia loco motiua, & quantitas Christi Domini etiam si in Eucharistia hæc non sint habitura effectum motus, & impenetrationis ita ratione vnionis poni debebit impetus etiam si hic non sit habiturus effectum.

13 Atque hæc connaturaliter, in ordine enim ad Diuinam potentiam nulla est necessitas, quod replicato corpore necessariò replicentur omnia, quæ sunt tali corpori vnita. Quamuis enim ratione vnionis detur connaturalis exigentia, vt replicentur omnia, nulla tamen est ratio, cur Deus non possit facere contra hanc exigentiam. Prætetea vbi quantumuis corpori vnitum, nec replicatur nec potest replicari, vt mox videbimus, ergo ratio vnionis habet non essentialiter, sed solùm connaturaliter exigere vt in quocunque loco, in quo est vnum, sit etiam aliud illi vnitum. Ad rationem enim vnionis satis est, quod anima v.g. sit vbi est corpus tanquam in loco adæquato, non verò quod sit etiam in loco plusquam adæquato.

14 Dices si Petrus Romæ haberet animam, & corpus, Neapoli verò solum corpus; Petrus Romæ esset viuus, Neapoli mortuus, quod implicat. Respondeo esse mortuum non est carere anima in vno tantùm loco, sed in nullo loco habere animam, si ergo corpus Petri existens Neapoli non careret simpliciter anima, sed solùm careret anima Neapoli, hoc est careret vbicatione animæ Neapolitana, non esset corpus mortuum, sed viuum, quare licet repugnet, quòd idem sit simpliciter loquẽdo viuum, & mortuum habens, & non habens animam, nulla tamen est contradictio neque formalis, neque virtualis, quod idem corpus habeat animam cum vna vbicatione, non verò habeat eandem animam cum alia vbicatione, ideòque in hoc, & in alijs casibus recurrendum est ad regulam vniuersalem superius assignatam, quod illa possunt fieri, vel connaturaliter, vel saltem supernaturaliter posita replicatione, quæ non important formalem, vel virtualem contradictionem; examinare autem hoc in singulis esset nunquam inuenire finem.

15 Vbicatio, quæ de facto datur, neque diuinitus replicari potest, nam sicuti alligatio essentialis ad vnum tantum locum est imperfectio, ita transferibilitas, & negatio alligationis essentialis ad vnũ locum est perfectio, ergo vbicationi, quæ de facto datur sine positiuo argumento non est tribuenda perfectio transferibilitatis. Modis enim vtpotè entibus omnium, quæ de facto dantur inperfectissimis, non est tribuenda sine positiuo argumento vlla perfectio, nisi quæ est necessaria ad finem, propter quem à natura sunt instituti; transferibilitas autem non est necessaria vbicationi propter finẽ ad quem instituta est à natura, siue enim habeat posse transferri siuè non æquè determinat formaliter

rem ad essendum in hoc loco, qui est vnicus finis vbicationis; ergo non est dicendum sine positiuo argumento, quod vbicationi, quæ de facto datur, fuerit data perfectio transferibilitatis.

16 Idem dicendum de duratione, & actione; quod nimirum duratio hodierna non possit per aliam durationem existere cras, neq; actio fieri per aliam actionem, cum enim hi modi sint vltimò determinatiui non est vlla ratio cur accipere debuerint talem perfectionem, vt possent vlterius determinari. De vnione constat nobis positiuè oppositum, quia humanitas Christi Domini, ideòque illius vnio tam essentialis, quàm continuatiua vnita fuit per vnionem hypostaticam personæ Verbi Diuini. Ex quo inferimus taliter debuisse institui vnionem vt per aliam vnionem vniri posset ad hoc vt ex composito humano vnito cum persona diuina resultare possent operationes Theandricæ; similiter vnio continuatiua vnius minimi debuit ita institui, vt per aliam vnionem continuatiuam continuari posset cum alio minimo, quia ex tali continuatione plura bona sequi poterant in natura, quæ non fuissent sequuta si taliter vnio continuatiua non fuisset instituta. At ex transferibilitate vbicationis quę nam bona in natura sequerentur? non ergo talis perfectio vbicationi tribuenda est, quæ neque à posteriori, neque à priori nobis innotescit.

17 Non possunt naturaliter duo corpora per penetrationem esse in eodem loco, quod constat tũ experientia, tum ex fine naturæ fugientis rerum naturalium destructionem, illarumque infirmitati consulentis per quantitatem, seù impenetrabilitatem, qua res cæteroqui corruptibiles obuallauit, ne ex penetratione cum contrarijs facillime corrumperentur; sic si ignis penetrari posset cum ligno, v.g. in ictu oculi lignum quantumuis magnæ molis absumeretur ab igne quod non fuit bonum in natura. Quare sicuti data est naturis substantialibus substantia, qua se tuerentur ab vnione cum alia natura; propter detrimentum, quod vna natura posset alteri afferre, impediendo operationes peculiares illius, ita rebus corruptibilibus data est impenetrabilitas, ratione cuius se se à contrarijs tueātur. Posse tamen dari miraculosè corporum penetrationem constat ex fide, nec quidquam est in contrarium.

SECTIO QVARTA.

An dari possit vacuum, & qua virtute moueantur corpora ad illud impediendum.

1 LOco addendum est vacuum, cum vacuum adiectiuè sumptum definiatur locus priuatus corpore contento, & alio quolibet æquiualente; quas vltimas particulas addimus propter accidentia Eucharistica, quæ licet non sint corpus, non tamen locus, in quo ipsa sunt, est vacuus, quia accidentia miraculosè taliter existentia æquiualent corpori in ordine ad occupandum locum.

2 Nulla est repugnantia quod supernaturaliter detur. Neque enim vacuum substantiuè acceptũ; hoc est ipsa vacuitas haberet trinam dimensionem, cum enim vacuum sic acceptum nihil sit, id quod nihil est non potest esse trinè dimensum, solum ergo vacuum adiectiuè acceptum, hoc est corpus, seù superficies carens alio corpore contento haberet suas dimemsiones, & capacitatem ad aliud corpus excipiendum, in quo nullum est inconueniens.

3 Naturaliter ne minimum quidem vacuum dari potest, vt constat tum multis experimentis satis notis, tum ex fine à natura intento per fugam vacui, Ita enim natura vnum mundum sensibilem intendit, vt vnitas in eo maxima haberetur, quæ ex his entibus haberi poterat, cum verò non potuerit ex his entibus haberi ea vnitas, per quam omnia entia sensibilia facerent vnum vel per simplicitatem, vel per compositionem ratione vnionis vel essentialis, vel continuatiuè, intendit vt omnia entia facerent vnum saltem per contiguitatem. Quare licet in conformatione vnius orbis ita fuerint eius partes institutæ vt aliquæ exigerent esse sursum, aliquæ deorsum, aliquæ cum tanta densitate, aliæ cum tanta raritate, hę tamen aliæque leges cedunt vnitati totius, ne enim hæc tollatur prius natura dispensat in vnitate ordinis, efficiendo scilicet, vt grauia ascendant descendant leuia, vt corpora contra suam peculiarem naturam rarescant, vel densentur, &c. quam quod per aliquod vacuum tollatur vnitas localis partium vniuersi, idque meritò tùm quia incongruum esset, quod natura aliquid deperderet de spatio, ac veluti de regno, quod semel occupauit, tùm quia per corporum contiguitatem ita habetur aliqua eorum conseruatio, vt dum aliqua corpora agunt in alia, Pulchritudo vniuersi, quæ per varietatem habetur non tollatur. Demum posita contiguitate, & Cœlestes influxus melius propagantur, & alia multa bona naturæ obueniunt, propter quæ in ordine naturali constantissimè retinetur vnitas seu contiguitas inter omnes partes vniuersi. Dixi Cœlestes influxus melius propagari negato quolibet vacuo, quia licet dato vacuo propagari possent per latera, tamen & lux non propagatur nisi directè, & saltem per lineam obliquam vtpotè longiorem, influxus Cœlestes debilius propagarentur.

4 Neque dicas posse saltem quantum est ex his capitibus dari aliquod minimum vacuum, vel ad breue aliquod tempus, nam Primò, cum vacuum, quo est minus eo facilius à natura vitari possit

possit per aliorum corporum condensationem, vel rarefactionem, non est cur dicamus à natura fieri posse difficilius, non verò facilius. Secundò modicum vacuum non est modicum naturæ malum, cum tollat perfectam mundi vnitatem, & completam perfectionem, quam habet, ex eo quod semper retineat totum spatium, ac veluti regnum, quod semel occupauit. Tertiò, si nec minimam corporum penetrationem natura patitur, nec minimum patietur vacuum, vtrumque enim, vt docet experientia, æquè natura fugit; sicut enim nullam minimam corporum penetrationem, ita neque vllum vacuum minimum, vel ad minimum tempus in natura inuenies.

5 Dices primò, Animal non patitur magna vulnera, nec tamen respuit exiguos poros, ergo natura fugiens à magno vacuo, pati poterit modicum. Respondeo paruos poros non modum nihil mali, sed multum boni animalibus afferre; è contra quod vacuum etiam modicum non modicum sit malum in natura, constat saltem à posteriori, ex eò scilicet quod in alijs potius natura dispenset, quam in vacuo, quantumuis minimo.

6 Dices secundò, sine aliqua interceptione vacui non posse explicari. Primò quomodo fiat motus localis. Secundò quomodo scindatur totum simul ingens aliquod, & durum marmor. Tertiò quomodo lata aliqua corporis grauis superficies secundum omnes sui partes toti alteri superficiei simul approximetur per exclusionem totius aëris intermedij. Quartò, quomodo vas plenum cinere, tantum aquæ excipiat, quantum si cinere careret, &c. Respondeo ad primum in motu locali nullum interuenire vacuum; mobile enim ita remouet corpus, quod ipsi occurrit, vt ab illo vicissim, aliud pellatur, donec facto circuitu loca mutentur non sine aliqua compressione aeris, quem mobile habet à fronte, & aliqua dilatatione aeris, quem habet à tergo. Ad secundum dico scissionem marmoris non posse fieri nisi successiuè, cum fiat per motum localem, & non sine rarefactione aeris contenti in poris, & attenuatione aliquarum particularum marmoris. Debent etiam partes, quæ diuelluntur aliquantulum inflecti, ne duæ rectæ habeant idem segmentum commune neque obstat durities marmoris, si enim impetus mallei potest scindere marmor, poterit etiam eius partes aliquantulum inflectere, & si hoc non potest, nec poterit illud. Ad tertium dico, quod si superficies vnius corporis grauis cadat supra aliam superficiem perpendiculariter non poterit excludi totus aer sed semper remanebit aliquid aeris intermedij licet compressi, & à nobis imperceptibilis; neque verò ex hoc quidquam sequetur absurdi. si enim pila oleo, v. g. imbuta, ideòque non tangens immediatè murum, illum tamen diruit; & si corpus graue sustinetur ab vtre, qui sit plenus aere compressо, quidni sustineatur vnum graue ab alio, etiam si mediet modicum aeris compressi? neque enim solus aer est, qui sustinet, sed id, quod sustinet est etiam illud aliud corpus, quod est aeri compresso suppositum; potest quidem totus aer excludi si approximatio vnius corporis ad aliud benè complanatum fieret successiuè, & paulatim promouendo vnum corpus supra aliud. Vltimum, quod affertur nimis probat, si enim omninò tantùm excipit aquæ vas plenum cinere, quantum excipit, quando nihil cineris in eo est, vas plenum cinere erit omnino vacuum, quod non admittis; non ergo hæc experientia videtur totaliter vera; ratio ergo cur discrimen non tam facilè discernatur, erit, quia dum aqua infunditur multæ particulæ ratione igneorum spirituum exhalantur, & prætetea cinis valdè porosus totus aqua imbuitur.

7 Affertur etiam ad probandum vacuum experientia de fistula vitrea oblonga plena mercurio, & ex vna tantum parte rectè occlusa, si enim supposito digito alteri extremitati prius apertæ, immergatur hæc extremitas fistulæ perpendiculariter erectæ alteri argento viuo, quod in subiecto vase contineatur, deinde verò amoueatur digitus ab orificio tubi, argentum viuum in tubo contentum descendit vsque ad certam mensuram, post descensum verò aliquantulum assurgit, tum descendit minus, & minus assurgit, donec post aliquot vibrationes semper minores, & minores tandem quiescat in parte tubi inferiori, ergo, inquiunt, pars superior tubi remanet omni corpore vacua, cum careat tum mercurio, tum aere, alioque quolibet, quod nullo modo subingredi potuit; sed huic experientiæ à pluribus fusè, & abundè satisfactum est. Breuissimè dico hac experientia plenum potius suaderi; si enim natura non fugeret vacuum, totum argentum viuum illicò descenderet, cum sit in statu violento, neque toties plures, & plures illæ vibrationes reciprocarentur. Dicendum ergo est partem illam tubi, quæ videtur vacua verè, esse plenam humore tenuissimo extracto, à mercurio; hoc autem constat ex eo quod si in medio tubo sit clauicula medians inter partem fistulæ plenam mercurio, & aliam partem fistulæ quam dicis esse vacuam, sique hæc clauicula, postquam mercurius descendit, & quieuit occludatur, deinde verò in superiori apice fistulæ fiat foramen, statim videbitur humor quidam intra fistulam concrescere, qui non concresceret, si fistula non fuisset tali modo antea mercurio plena, hic ergò humor, qui quando aer per apertum foramen subintrat, statim concrescit, antequam foramen esset apertum, erat dilatatus, & replens fistulam impediebat vacuum; quod confirmatur ex eo quia si, postquam mercurius quieuit, applicetur fistulæ corpus aliquod calidum, mercurius, qui iam quiescebat, incipit magis descendere, si verò applicetur corpus frigidum, ascendit non nisi, quia humor ille attenuatus, replens partem fistulæ, quæ videtur vacua, nunc calore magis rarescit, ideòque permittit, vt mercurius magis descendat, nunc frigore condensatur, ideòque ad impediendum vacuum, mercurius cogitur assurgere.

8 Atque ex hoc redditur ratio, cur antequam mercurius quiescat, fiant illæ vibrationes, per quas

quas Mercurius nunc descendit, nunc ascendit; Ratio enim huius rei est, quia fit pugna inter argentum viuum inclinans suo pondere deorsum, & humorem illum extractum ex mercurio volente redire ad suam naturalem densitatem, ideòque donec alterutrum vincat, durat conflictus, & motus sursum, & deorsum. Malè ergo ex hoc experimento infertur, quod lumen transiens per partem illam fistulæ, quæ dicitur ab aduersarijs vacua, existat sine subiecto; Imò quia aliunde satis, superque constat lumen vtpotè accidens non posse existere sine subiecto, vel ex hoc deduci poterat nihil vacui dari in fistula, etiamsi nobis innotesceret, quo tandem corpore plena esset. E contra benè ex hac experientia possumus inferre lumen non esse corpus, seù corpuscula diffusa per medium à corpore luminoso, si enim lumen esset corpus aptum ad replendum vacuum, statim ac fistula collustraret deberet Mercurius totus descendere, & humor ille dilatatus deberet concrescere, eo modo quo concrescit; quando in fistulam facto foramine subingredi potest aer:

9 Cum ad impediendum vacuum corpora contra suam peculiarem naturam moueantur, leuia deorsum, sursum grauia: quæritur qua vi sequantur hi motus, ad quod respondendum; Primò, est non moueri à sola causa prima, si enim Deus potuit ipsis corporibus dare virtutem, per quam taliter mouerentur, quis neget talem virtutem de facto fuisse illis datam, sicuti reliquis rebus creatis indidit natura virtutem, qua vel sui, vel in vniuersitatis bonum possent operari. Secundò neque est dicendum quod moueantur ab Angelis, licet enim quando aliunde repugnat tribuere corporibus propriam virtutem ad aliquos effectus, benè ad Deum, vel ad intelligentias reccurramus. Auctor tamen naturæ non solet operari per Angelos motus illos, qui haberi possunt per propriam talium corporum virtutem; aliter dicam grauia, & leuia nunquam moueri nisi à solo Deo, vel ab intelligentia. Tertiò, neque mouentur per virtutem aliquam magneticam, quia magnes ferrum, quod semel ad se traxit, tenaciter retinet etiam quando adest aliud corpus v.g. aer, quod posset inter ferrum, & magnetem sub ingredi, & quando v. g. Manubrio clysteris aquarij aqua per fistulam clysteris attollitur ita aqua manubrio adhæret, vt hæc à manubrio statim dimitteretur, si inter aquam, & manubrium posset subintrare aër, ergo non attrahitur à manubrio per virtutem magneticam.

10 Falsum pariter est, vt aliqui dicunt, corpora ad impediendum vacuum, moueri à corpore auferente illud aliud in cuius locum ipsa succedunt, ita vt dum attolo v g. manubriū clysteris aquarij, aër à manubrio motus pellat è loco aërem, qui deinde impellat aquam vt ingrediatur in locum relictum ab aere hoc enim est falsum. Primò, quia si hoc esset, quando per manubrium clysteris aquarij attrahimus aquam, non sentiremus resistentiam in tractione aquæ, sed resistentiam potius sentiremus in extrusione aeris sursum hoc autem est contra experientiam. Secundò, quando aer est frigidus aqua in thermoscopijs ascendit nullo autem modo ascendere potest per extrusionem vllam aeris ambientis, quia aer ambiens vtpotè frigidior potius condensatur, ideòque non petit locum maiorem, adeò vt ad hunc habendum extrudat sursum aquam per fistulam vitream. Tertiò, si portio superior clysteris aquarij subeat foramen factum in porta cubiculi totaliter clausi, itaut manubrium congruat foramini, illudque bene claudat, reliqua verò pars fistulæ immersa catino aquę extet foris, quando postmodum manubrium educitur, & aqua attrahitur, non potest aer ex cubiculo, quod supponitur vndique clausum extrahi, & exire ad impellendam aquam foris extantem, ad hoc vt per fistulam clysteris assurgat, ergo aqua non assurgit per extrusionem aeris ambientis. Adde, quod magnus deberet esse impetus aeris ambientis ad impellendam aquam, eamque sursum attollendam tantum autem impetum in aere ambiente non dari, satis constat experientia.

11 His ergo reiectis, antequam statuamus, qua vi corpora ad impediendum vacuum moueantur quærendum occurrit, an huiusmodi motibus corpora, vel ex toto, vel ex parte moueantur propria inclinatione. Sed respondendum est negatiuè; nam quando corpora ad impediendum vacuum mouentur contra suam peculiarem naturam, resistunt, quantum possunt; quod probatur hac experientia: ponderetur calix vitreus plenus aqua vsque ad totam mensuram, & eius pondus exactè adnotetur. Tunc hic idem calix educatur ex aqua inuerso situ plenus aqua vsque ad eandem mensuram (aqua enim ad impediendum vacuum simul cum calice, & intra calicem assurget) similiter ergo ponderetur calix dum est taliter è catino eductus: videbis tantùm ponderare calicem, quandò inuerso situ attollit aquam assurgentem ad impediendum vacuum, quantùm ponderabat, quando continebat tantundem aquæ erecto situ, ergo aqua tantum resistit, quando ad impediendum vacuū assurgit, quantum resistebat, quando nullum erat impedimendum vacuum; sed quando nullum erat impedimendum vacuum, resistebat quantum poterat, & tota sua virtute tendebat deorsum, ergo etiam quando est impediendum vacuum resistit quantum potest, & tota sua virtute contranititur, & tendit deorsum. Porrò ex dicendis in Physica suppono hic. Illam tantum aquam, quæ existit intra calicem euerso situ grauitare posse vt potè, quæ sola non iacet horizontaliter cum reliqua aqua. Si ergo hæc grauitat tantum, quantum grauitat tantundem aquæ in calice erecto, aqua ad impediēdum vacuum assurgens resistit quantum potest.

12 Hinc ergo infertur corpora ad impediendum vacuum moueri virtute trahentis corpus illud, in cuius locum illa succedunt, ideòque quando per manubrium fistulæ aquariæ sursum trahitur aqua hæc trahetur ab illo, qui trahit manubrium, si enim trahens, vt probatum est numero superiori, sentit totum pondus aquæ, quæ trahitur à sola huius virtute trahetur aqua sursum. Verùm quidem est,

quod

quod non posset aqua trahi si non haberet naturalem adhærescentiam ad manubrium, non aliter, ac si trahens funem, trahat etiam corpus graue illi alligatum, totum corpus alligatum trahitur à trahente funem, cum trahens funem sentiat totum pondus, & resistentiam corporis alligati, sed corpus graue trahi sursum non posset, nisi esset funi alligatum; similiter quando oblonga columna per apicem attollitur, non solum pars columnæ superior, sed etiam pars inferior tota trahitur à trahente columnæ fastigium, sed ex suppositione quod per vnionem continuatiuam pars superior sit continuata cum inferiori, ita ergo quando manubrio clysteris aquatij trahitur aqua, tota hæc trahitur ab extrinseco, nimirum à trahente manubrium, quia totum aquę pondus sentitur: sed trahitur supposita naturali alligatione, & adhærescentia ipsius aquæ ad manubrium. Hanc enim naturalem adhærescentiam habent omnia corpora, eaque consistit in exigentia naturali, quam habet natura cuiuscunque corporis, vt post vbi, quod ipsum corpus habet, immediatè sequatur vbi alterius corporis propter fines intentos à natura in fuga vacui. Quare cum manubrium attractum exigat habere immediatè sibi contiguum aliud corpus, posito quod nullum aliud corpus possit inter manubrium, & aquam subintrare, aqua naturaliter adheret manubrio, non aliter ac posita vnione continuatiua pars inferior columnæ adheret superiori; ideòque sicuti trahitur pars inferior columnæ à trahente partem superiorem, ita trahitur aqua à trahente manubrium. Differt tamen vnio continuatiua ab hac naturali corporum adhærescentia, quam vocare etiam possumus vnionem contiguatiuam, quod vnio continuatiua non tollitur merè per hoc, quod præsto sit aliquod aliud corpus petens esse in loco alterius ad quamcumque contranitentiam illius, at vnio contiguatiua tollitur merè per hoc, quod præsto sit aliquod aliud corpus, quod subintrare possit in locum alterius vtcumque contranitentis. Cæterum sicuti vnio continuatiua exigit, quod post vbi vnius partis immediatè sequatur vbi alterius partis cum illa alia continuatæ; ita quodlibet corpus ratione vnionis contiguatiuæ à natura cuiusque corporis indistinctę exigit vt post vbi, quod habet immediatè sequatur vbi alterius corporis habentis similem vnionem contiguatiuam, seù habentis similem exigentiam naturalem adherendi alicui alteri corpori.

13 Porrò quamuis talis corporum adhærescentia sit connaturalis, tamen quando corpora contra suam peculiarem naturam mouentur, mouentur violenter, nam etiam parti inferiori columnæ est connaturalis continuatio cum parte superiori, quod verò cogatur retinere talem continuationem cum parte superiori ascendendo sursum, est illi simpliciter violentum, similiter ergo quamuis adhærescentia aquæ ad manubrium sit aquæ connaturalis, quod tamen aqua cogatur retinere talem adhærescentiam ascendendo, est illi simpliciter violentum, quia talis ascensus fit à principio extrinseco, cū totali contranitentia aquæ, quæ resistens quantum potest nullo modo ad ascensum inclinat, vt probatum est num. 10. non ita accidit, quando mercator ad seruandam vitam proijcit merces in mare, talis enim proiectio non fit ab extrinseco, sed ab ipso mercatore, & cum positiua inclinatione mercatoris non contranitentis proiectioni, sed volentis illam licet non nisi ex suppositione, quod non possit simul saluare vitam, & merces, at quando aqua assurgit ad impediendum vacuum, non inclinat nisi ad retinendam adhærescentiam cum alio corpore, cæterum trahitur totaliter ab extrinseco, & cum omnimoda contranitentia.

SECTIO QVINTA.

An, & qui motus fieri possent in vacuo, si daretur.

1 SI daretur vacuum posset in illo naturaliter fieri motus grauium, & leuium, & alius quicunq; motus ex quo non sequeretur noua corporum discontinuatio, in vacuo enim daretur completum determinatiuum ad huiusmodi motus, grauitas scilicet, vel leuitas mobilis, & spatium percurrendum, ergo cum nihil esset in contrarium, cur sequi non posset motus, vt patebit ex solutione argumentorum, dicendum est, quod verè motus in vacuo sequeretur. Confirmatur, si in vacuo imprimeretur impulsus lapidi, v g. lapis per aduersarios in vacuo moueretur ea velocitate, quam exigeret talis impulsus, sed grauitas, & leuitas æquiualent impulsui impresso, ergo pro ratione maioris, vel minoris grauitatis, vel leuitatis, determinaretur in vacuo tanta motus velocitas, vel tarditas, sicut enim impulsus determinatus ab imprimente ad talem lineam, etiam in vacuo causaret motum versus talem lineam, ita grauitas determinata à natura ad lineam versus centrum, causaret motum etiam in vacuo versus circumferentiam.

2 Dices Primò, corpus constitutum in vacuo non perciperet sursum, neque deorsum ergo ex illo nullus sequeretur motus. Sed contra, quia quæro quomodo lapis in pleno percipit sursum, vel deorsum, si enim circa lapidem v.g. sit aër omninò homogenus, ex vi aëris homogenei ambientis non potest lapis percipere, quod hæc pars aëris sit superior, hæc alia inferior. Quare dicendum est, quod sicuti experimur nostram manum, v.g. sursum elatam sua grauitate determinari ad motum deorsum absque eo quod vel ab aere ambiente detrudatur, vel ab vllo influxu Cœlorum determinetur ad motum deorsum, ita reliqua omnia grauia à propria grauitate determinantur ad motum deor-

deorsum, à leuitate ad motum sursum, eò quod grauitas habeat de se tendere ad centrum, leuitas ad circumferentiam, quoties à medio habente maiorem vim resistitiuam non impediuntur, non aliter ac impulsus determinatus à proijciente ad talem lineam, habet ferre proiectum ad talem lineam, siuè sit in pleno, siuè in vacuo, quoties à medio habente maiorem vim resistitiuam non impeditur.

3 Sed quæri hic potest, vtrum propensio, quam habent grauia ad centrum (& idem in sequentibus dicendum est de leuibus) sit ad tale centrum reale, an verò sit ad tale centrum imaginarium; ad quod respondendum est non esse ad tale centrum reale, sed ad imaginarium; licet enim talis locus imaginarius, præscindendo ab alijs corporibus non sit vni corpori peculiariter bonus, tamen ad hoc, vt corpora obtinerent talem dispositionem localem inter se, debuit illis dari propensio ad talem locum imaginarium, absque eo quod à loco, & centro reali valdè distanti vllo modo determinarentur ad motum. Nam Primò quis dicat, quod lapis positus in medio aëre non descenderet, si in eo loco, vbi de facto datur centrum reale, daretur modicum vacuum; certè si hoc dices, tuum erit hoc probare. Secundò si grauia determinarentur ad motum deorsum à tali centro reali, determinari deberent per aliquam virtutem transmissam per totam terræ crassitiem, & attractiuam corporis grauis, has autem virtutes attractiuas à corpore adeò remoto, & minimo, quale est centrum per tantam terræ crassitiem transmissas, quis credat? Tertiò nullam in nostris corporibus experimur imprimi vim, & impulsum ab extrinseco ad motum deorsum, sed ad illum determinamur totaliter ab intrinseco. Quartò corpora existentia in centro sunt eiusdem rationis cum his nostris, vel certè posset ab Angelo fieri permutatio, itaut hæc nostra terra superior poneretur in centro, terra verò centri poneretur in superficie propè nos, in hoc igitur casu adhuc grauia descenderent, ergo non per determinationem à centro reali, sed per grauitatem, quæ de se habet propensionem ad talem locum imaginarium quodcunque tandem corpus reale ibi adsit.

4 Quare dicendum existimamus, quod si omnia alia corpora annihilarentur, & remaneret vnicus lapis, adhuc hic propria virtute moueretur versus centrum illud, ad quod de facto mouetur, licet enim in hoc casu non moueretur versus centrum propter aliquod peculiare bonum, quod haberet in centro, tamen longè congruentius est dicere, quod virtus motiua data corporibus directè propter motum in casibus naturalibus, fuerit etiam illis data indirectè propter motum in casibus miraculosis, quam fingere, quod à centro, vel circumferentia reali per influxus, & determinatiua superflua, imò, & inexplicabilia determinentur grauia, & leuia ad motum. Pariter si totus mundus aliò transferretur, & corpora retinerent grauitatem, & leuitatem eiusdem rationis cum ea, quam de facto habent, tenderent naturaliter ad eundem locum imaginarium, versus quem nunc tendunt, & nullo modo tenderent ad locum illum, qui posita tali translatione erat centrum vniuersi. Verùm quidem est, quod posita tali translatione deberet connaturaliter corporibus dari grauitas, & leuitas diuersæ rationis, quæ scilicet esset determinatiuum ad motum, per quem tenderent ad illum locum, qui facta translatione esset circumferentia, vel centrum vniuersi, talis enim propensio esset corporibus bona ad hoc, vt in tali situ respectu aliorum corporum se collocarent.

5 Dices, si imprimam lapidi impulsum versus fornicem domus, & interim domus simul cum lapide transferatur alio, adhuc lapis perget in suo motu versus eundem fornicem realem, ergo si totus mundus alio transferretur, adhuc lapis tenderet sua grauitate versus idem centrum reale vniuersi, non verò ad locum illum, qui de facto est centrum vniuersi. Respondeo disparitatem esse, quia impulsus impressus, vt probabimus in Physica, est indifferens ad motum versus quamcumque lineam producit autem motum versus hanc potius lineam, quam aliam, quia hic & nunc ad hanc potius lineam determinatur, quam ad aliam, sicut ergo si lapis à proijciente determinetur ad lineam versus hunc fornicem realem tendet versus illum, ita si per translationem determinaretur ad aliam lineam, imaginariam, sed quæ, ex suppositione, quod transferatur domus, terminetur ad eundem fornicem realem, æquè idem impulsus ad eundem fornicem realem tendet; at grauitas, & leuitas sunt determinatæ ad tendendum versus hos determinatos terminos, ideòque posita mundi realis translatione adhuc deberent tendere ad locum, ad quem habent propensionem.

6 Dices iterum si leuitas esset determinatiuum motus ad talem circumferentiam imaginariam non esset maior ratio, cur hic & nunc tenderet ad hoc potius punctum circumferentiæ, quam ad illud. Respondeo hoc argumentum, si vim haberet, æquè militaret contra illos, qui dicunt leuitatem esse determinatiuum motus ad talem circumferentiam realem, sicuti enim in imaginaria, ita etiam in reali circumferentia plura dantur puncta, & assignari debet determinatiuum, cur leue versus hoc potius punctum circumferentiæ tendat, quam versus aliud. dico igitur determinatiuum esse, quia hoc punctum est vicinius, cum enim nullum leue moueatur à centro mathematico, nunquam datur nisi vnum punctum in circumferentia, ad quod ex loco, vnde mouetur tendere possit mobile ad circumferentiam per lineam omnium breuissimam. In casu autem metaphysico, in quo mobile moueretur à centro mathematico, determinari deberet ab auctore naturæ, vt ad hoc potius punctum circumferentiæ moueretur.

7 Qui negant motum in vacuo ex eo præcipuè ducuntur, quod grauitas, & leuitas non videatur data corporibus nisi dependenter à medio pleno, & essentialiter ordinata ad illud superandum, non aliter ac vis attollendi pondera essentialiter ordinata ad pondus, & fortitudo essentialiter ordinata ad su-

ad superanda pericula exerceri non possunt sine pondere, & periculis. Sed contra est, quia fortitudo habet pro vnico obiecto pericula superanda, & similiter vis tractiua ponderis habet pro vnico obiecto corpus, cui imprimat impetum, ideòque cessante obiecto illo, quod vnicum est, non remanet circa quod exerceri possit actus at grauitas non habet pro vnico obiecto medium retardans, quod per impulsum remoueat, sed præterea habet pro obiecto corpus mobile cui inest, & cui imprimat impetum versus centrum, quare cessante vno obiecto, non est cur non possit operari circa aliud, ideòque poterit mobili imprimere impetum corpori, cui inhæreat, etiam dum non adest medium impediens, cui pariter imprimit impetum, grauitas enim ideò imprimit impetum medio, quia hoc impedit motum corporis grauis, ergo si nullum sit medium impediens, non est cur grauitas non occupetur tota in imprimendo impetu soli mobili. Cæterum gratis fingitur tota connexio inter motum corporum, & resistentiam medij, cur enim debuerunt ità institui corpora, vt non possent tendere ad acquirendum locum sibi debitum, nisi quando esset, à quo retardarentur, imò tunc magis ad illum debent tendere, quando nihil est quod obstet. Neque dicas naturam non præuidisse miraculum vacui: nam corpora habent duplicem virtutem, virtutem scilicet producendi impetum ad intra, & in se, & virtutem producendi impetum ad extra in medio retardante: cur ergo inter hanc vtramque virtutem tanta connexio fingitur, vt non possit exerceri vna sine alia? Certè licet aqua habeat virtutem producendi frigus in se, & in extraneo subiecto, non tamen propterea dices, quod in vacuo aqua non posset producere frigus in se, ex eo quia nullum esset subiectum extrinsecum, in quo produceret frigus. Demum natura non præuidit actus supernaturales, & tamen vis naturalis memoratiua est talis, vt posito, quod elicuerimus actus supernaturales, habeamus vim recordandi illorum, eò quòd indirectè vis memoratiua est data etiam pro casibus miraculosis, similiter ergo vis motiua erit talis, vt ex suppositione vacui se se possit extendere etiam ad motum in vacuo, ad quem data est corporibus saltem indirectè, cum præsertim minor virtus requiratur ad motum, quando nulla est resistentia superanda, quam quando hæc adest.

8 Aristoteles, vt multi cum S. Thoma docent non nisi ad hominem contra veteres probauit, quod motus in vacuo fieret in instanti; cum enim illi dicerent in quolibet motu locali interuenire vacuum Aristoteles assumendo eorum principium, ex illo intulit, quod si in motu locali interueniret vacuum motus localis fieret in instanti. Cæterum motus etiam in vacuo fieret in tempore, neque enim tanta motus velocitas determinatur solum à tanta medij resistentia, seu etiam ex maiori, vel minori grauitate mobilis, & ex maiori, vel minori distantia termini ad quem à termino à quo, & sicuti in vacuo animal iuxta aduersarios posset localiter moueri à principio vitali, nec tamen eius motus esset in instanti, quia tanta motus celeritas determinatetur a tanto impetu, quem in se animal produceret ita tanta motus celeritas in grauibus determinaretur in vacuo à tanta grauitate mobilis.

9 Dixi posse naturaliter fieri in vacuo quemcunque motum, ex quo non sequeretur noua corporum discontinuatio, cum enim ideò no possit naturaliter dari vacuum, quia corpora habent naturalem exigentiam, vt vnum adhæreat alteri, ità posito vacuo, adhuc corpora quæ inter se adhærent, retinerent hanc exigentiam, ideòque non posset contra hanc naturalem exigentiam fieri naturaliter noua corporum discontinuatio. Cæterum non solùm motus locales grauium, & leuium, sed etiam motus alterationis fieri possent in vacuo, cur enim aqua calefacta non posset reducere se ad suum connaturale frigus? De lumine dicendum omninò est, quod per vacuum transmitti non posset, cum enim sit qualitas requirit subiectum, in quo producatur.

CAPVT NONVM.

De Prædicamentis situs, & habitus.

1 Situs ex Arist. 5. Metaph. cap. 19. *est ordo partes habentis*; ideò enim caput, v. g. collum, & pectus habent talem situm, quia habent talem ordinem localem. Illud igitur, quod erit formaliter constitutiuum talis ordinis localis, erit formaliter constitutiuum situs; talis ergo ordo localis capitis, colli, & pectoris constituitur formaliter per tales eorum vbicationes, nec aliud quidquam requiritur; implicat enim, quod simul existant hæ vbicationes capitis, colli, & pectoris, quæ ex supra dictis habent secum identificatam suam durationem, quin hæ partes habeant inter se talem ordinem localem, ideòque talem situm.

2 Porrò quando hæ partes localiter mouentur, adhuc non mutant situm, quia licet mutentur priores vbicationes, succedunt tamen aliæ vbicationes, quæ habent eundem ordinem inter se, hoc est succedunt aliæ tres vbicationes, quæ æquè habent, vt post vbicationem capitis immediatè sequatur vbicatio colli; deindè verò vbicatio pectoris; quare licet entitatiuè, & metaphysicè per motum localem mutetur situs, & non tamen mutatur situs physicè, & absolutè loquendo, quia loco priorum vbicationum succedunt aliæ in ratione ordinis prioribus omnino æquiualentes: Sic,

ex suppositione, quod vbicatio identificetur cum sui duratione, quando quis stat immotus, mutat locum metaphysicè loquendo, physicè tamen, & absolutè loquendo, non mutat locum, quia succedit semper noua, & noua vbicatio, quæ in ordine ad applicandum subiectum in tali loco tam reali, quam imaginario, est omninò priori æquiualens. Porrò quamuis situs non differat realiter à prædicamento vbi, sola tamen distinctio formalis satis est ad constituendum peculiare prædicamentum; differre autem formaliter situm ab vbicatione, patet, quia situs non est vbicatio quomodocumque considerata, sed est talis ordo, quem aliquæ plures vbicationes habent inter se.

3 Habitus, seu habere ex Aristotele hic *secundum plures modos dicitur, aut enim vt habitum, & dispositionem aut aliam aliquam qualitatem, dicimur enim disciplinam aliquam, atque virtutem habere*. Sed in hac acceptione non constituit prædicamentum diuersum à prædicamento qualitatis, & de habitu in hac significatione opportunius dicemus vbi de anima. Constituit ergo habitus peculiare prædicamentum, pro vt significat extrinsecam denominationem ex adiacentia vestis, armorum, &c illi, qui denominatur vestitus, ornatus, armatus, &c. ideòque forma huius prædicamenti est extrinseca vestis habens talem vbicationem circa corpus illius, cui attribuuntur tales denominationes. Cæterum nulla est necessitas superaddendi quidquam intrinsecum, quod in habente resultet, & per quod tale prædicamentum constituatur.

DISTINCTIO SEXTA.

In Libros Perihermenias.

CAPVT PRIMVM.

De Vocibus.

1 DEfiniuntur ex Arist hic c.1. voces *Nota*, hoc est signa *earum, quæ sunt in anima passionum*. Pro cuius intelligentia explicandum est, quid sit signum. Signum ergo definitur communiter ex Sancto Augustino: *id quod se ipsum sensu, & præter se aliquid animo repræsentat*. Sed hæc definitio non complectitur nisi signa sensibilia, quæ sola fuerunt à Sancto Augustino definita, tradente definitionem signi in ordine solùm ad scientias humanas, quæ originem habent à sensibus; Cum ergo dari etiam possint signa spiritualia, qualia sunt voces Angelicæ, ideò signum vniuersalius definiri poterit, *Id quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid à se saltem formaliter distinctum repræsentat, siue ipsum cognoscatur vt quod, siuè solum, vt quò*. Hæc definitio complectitur tam signa sensibilia, quàm spiritualia, tam instrumentalia, v. g. fumus, quæ cognita, vt quod ducunt nos in cognitionem alterius; quàm formalia, qualia sunt cognitiones quæ solum cognitæ, vt quò ducunt nos in cognitionem rei per tales cognitiones repræsentatæ, quæ res per cognitionem repræsentata aliquando non est nisi formaliter distincta ab ipsa cognitione, si nimirum res illa nullum aliud habeat esse, nisi esse obiectiuè in cognitione.

2 Hinc signum aliud est formale, quod solùm cognoscitur *vt quò*, aliud instrumentale, quod cognoscitur *vt quod*, aliud materiale, aliud spirituale, vt paulò ante dicebamus, aliud naturale, quod naturalem habet connexionem cum re significata, qualem v.g. habet fumus cum igne, aliud ad placitū, quale est, v.g. hedera, quæ ex hominum placito est instituta ad significandum vinum vendibile; Rursus signum ad placitum aliud est ex mera consuetudine, vt est habitus virilis ad significandum sexū virilem, aliud est ex pacto, cuiusmodi sunt omnes voces humanæ articulatæ saltem de præsenti. Dixi *saltē de præsenti*, quia quamuis tum ex auctoritate Sancti Augustini, tum ex illis verbis Genesis, *Descendamus, & confundamus linguam illorum* non sit improbabile primum sermonem, saltem quoad nomina radicalia inditum hominibus fuisse ab auctore naturæ, adhuc tamen de præsenti omnes voces articulatæ significant ad placitum, quia quod de præsenti illæ etiam voces radicales retineant primam illam significationem, non est nisi ex placito hominum, cum enim, si voluissent, facilè potuissent illarum significationem immutare, quod illum non immutauerint, fuit ex hominum placito.

3 Præterea, quod omnes voces humanæ articulatæ saltem de præsenti significent ad placitum, probatur, quia nulla est assignabilis vox articulata, neque radicalis, quæ apud omnes nationes idem significet, nulla ergo naturaliter significat; quod enim naturaliter significat, apud omnes idem significat. Quando ergo dicitur Genesis 2. *appellauit Adam nominibus suis cuncta animantia*, non est sensus, quod animalia haberent propria nomina naturaliter significantia, antequam illis nomen ab Adam

Adam imponeretur, sed quod Adam componendo, & formando nomina ex vocibus radicalibus inditis illi à Deo, vnicuique imposuerit nomen exprimens illius naturam.

4 Quod si quæras, quid habuerit pro obiecto voluntas; primorum institutorum alicuius idiomatis, dum voluerunt, quod voces hoc, vel illud significarent. Respondeo primos idiomaris institutores conuenisse in habendo voluntatem de non adhibenda tali determinata voce, nisi quando scirent existere talem determinatam rem posito tamen, quod loquens aliundè non ostenderet, se nolle dari alteri veros conceptus; postquam autem habuerunt talem voluntatem, illam sibi mutuò manifestarunt, & mutuò promissionem acceptarunt, ex quo proinde resultauit in primis auctoribus linguæ obligatio seruandi promissionem, ita vt quoties illam non obseruarent, essent infideles, & mendaces, licet autem non fuerit necesse, quod tale pactum explicite intercederet, pactum tamen huiusmodi saltem implicitum fuit omninò necessarium, ad hoc vt haberetur finis, per locutionem articulatam ad alium, vnicè intentus, qui est de dando alteri veros conceptus, ideòque sicuti, qui vult efficaciter finem, benè præsumitur velle media vnicè necessaria ad assecutionem talis finis, ità dum primæ linguæ institutores alloquendo alios, ostendebant se efficaciter velle finem locutionis, vel explicitè, vel implicitè ostendebant se velle etiam medium vnicè necessarium ad obtinendum finem locutionis; sed finis locutionis articulatæ ad alium est manifestare, & dare alteri veros conceptus, medium autem vnicè necessarium ad hoc obtinendum est conuenire in non adhibenda tali voce, nisi quando habetur scientia de existentia talis rei, ergo, qui, dum loquitur, ostendit se velle finem locutionis, ostendit etiam se velle non adhibere talem vocem, nisi quando habet scientiam de existentia talis rei. Similiter qui audit audiendo ostendit se velle finem locutionis, quam audit, ideòque saltem tacitè ostendit se acceptare promissionem, quam loquens exhibet de vocibus non nisi taliter adhibendis; ergo dummodo loquens aliundè non ostendat, se nolle per talem locutionem finem locutionis, si per locutionem adhibet voces diuersimodè, ac sunt adhibendæ ad dandos alteri veros conceptus, eodem actu promissionem violat, quò promissionem facit.

5 Non modo de primis linguæ institutoribus, sed etiam de posteris quibuscunque loquentibus idem dicendum est, dum enim vtuntur aliquo idiomate, in ipso actu locutionis implicitè, & sponrè consentiunt in pactum initum à veteribus, cum enim ostendant alteri se velle dare illi veros conceptus per tale idioma, implicitè etiam ostendunt se efficaciter velle medium vnicè necessarium ad obtinendum hunc finem per tale idioma, cum verò medium vnicè necessarium ad hoc obtinendū, sit conuenire in pactum initum à veteribus, implicitè ostendunt alteri se in tale pactum consentire, ideòque, si leges talis pacti non seruant, sunt mendaces.

6 Ex hoc patet adhiberi posse sine violatione fidelitatis suspiria, & alia signa, tum naturalia, tum ex mera consuetudine etiam non existente re significata, quia in his nullum intercedit pactum, neque explicitum, neque implicitum, nam quando vir, v. g. induitur veste muliebri, non propterea init implicitè pactum cum aspicientibus de dando illis verum conceptum de existentia mulieris sub tali habitu, nam finis vestis non est dare alteri notitiam de existentia talis sexus, sicuti finis propter quem vnice à natura instituta est locutio articulata ad alterum, est vt detur alteri verus conceptus, ideòque licet per consuetudinem ex veste muliebri inferatur sexus muliebris, potest tamen sine infidelitate, & mendacio vti quis veste muliebri ad alios fines, propter quos vestis est instituta. Similiter licet suspiria habeant connexionem naturalem cum tali affectione animi, & illam naturaliter indicent, quia tamen non sunt saltem vnicè instituta à natura ad hoc, vt ex pacto per suspiria indicetur alijs talis affectio animi, ideò sine mendacio adhiberi possunt suspiria propter alios fines, etiam si talis affectio hic, & nunc non existat; Neque dicas hæc non habere locum nisi in vocibus enunciatiuè prolatis, nam quia vocibus simplicibus indita est ex hominum placito talis significatio in ordine præcipuè ad enunciationem, ideò præscindendo etiam ab enunciatione adhuc retinent illam significationem, qui in ordine ad enunciationem acceperunt; quamquam voces sine vllo mendacio adhiberi possunt ad libitum extra enunciationem, quia extra enunciationem nullum possunt dare alteri verum conceptum; cum veritas, ex dicendis caq. sequenti, non sit nisi in enunciatione.

7 Aliquæ voces significant solum modum tendendi intellectus, huiusmodi sunt, v. g. hæ voces *vel*, *si*, *est*, quando stat vitaliter; & exercitè, importans solum modum tendendi compositiuum, & *non est*, quando significat modum tendendi diuisiuum; Aliæ tamen sunt voces, quæ significant tam conceptus, quam res, audita enim hac voce; *homo*, venio in cognitionem tum ipsius hominis, tum animalis rationalis, tum quod loquens conceperit hominem, ideòque hæc vox ducit in cognitionem, tam hominis habentis esse in se, quàm hominis hbentis esse in cogitione, seu representati per cognitionem. Res tamen à vocibus significantur ad placitum, vt constat ex dictis, conceptus verò significantur naturaliter tanquam causa ex effectu, locutio enim, tanquam effectus oritur ex conceptu. Sed dum dicuntur conceptus significari à vocibus naturaliter, intelligendum hoc est de conceptu formali, seu de entitate cognitionis secundum prædicata communia cognitionis. Quia id, quod ex vi talis vocis significatur existere obiectiuè in cognitione loquentis, seu obiectum ipsum prout expressum, & repraesentatum in tali cognitione loquentis non significatur nisi ad

M 2 placi-

placitum, audita enim hac voce, *homo*, venio quidem naturaliter in cognitionem non modo quod loquens conceperit hanc vocem materialem, sed quod præterea habuerit cognitionem de eo, quod per hanc vocem significatur, at quod loquens conceperit animal rationale, & habuerit talem cognitionem exprimentem animal rationale, non potest mihi innotescere, nisi ex institutione hominum. Præterea voces, non modo ad placitum significant rem, sed determinant etiam ex placito, & institutione hominum audientem ad hoc, vt rem illam tali modo cognoscat, hæc enim vox, *homo*, determinat audientem ad concipiendum animal rationale in recto, vox verò *Hominis* determinat ad illum concipiendum in obliquo, concipere autem in recto, vel in obliquo est tali, vel tali modo concipere.

8 Quæri hic solet, quid prius, & immediatè significetur à vocibus res ne, an conceptus: pro qua quæstione certum est non posse à voce significari cognitionem prout talem, nisi simul significetur obiectum talis cognitionis, cognitio enim constituitur in ratione talis per tale obiectum, quod exprimit, videtur ergo, quod audita aliqua voce veniri possumus in cognitionem rei nihil cogitantes de cognitione, quam habet loquens de tali re, at nullo modo possimus cognoscere, quod proferens talem vocem habeat talem cognitionem, nisi etiam cognoscamus rem expressam per talem cognitionem. Benè tamen possumus audita aliqua voce venire in cognitionem, quod loquens habeat conceptum de tali re absque eo quod cogitemus de esse, quod talis res habet in se, & extra cognitionem; Quare neque ad cognoscendam rem, prout existentem in se, est medium necessarium cognoscere cognitionem, quam loquens habet de tali re, neque ad cognoscendam cognitionem, quam loquens hebet de tali re, est medium necessarium cognoscere rem secundum esse, quod in se habet extra cognitionem.

9 Dicendum igitur est, quod voces quantum est de se, non habent determinare audientem ad hoc, vt prius, & immediatè concipiat potius res secundum esse, quod habent in se, quam conceptus, seù cogitationes, quas loquens habet de talibus rebus, sed audiens aliundè determinari debet ad hoc, vt prius, & immediatè concipiat, nunc prius res, quam cognitiones de rebus, nunc verò è contra prius cognitiones de rebus, quam res secundum esse, quod habent in se, si enim audiens sit cupidus sciendi rem secundum esse, quod habet in se, audita locutione statim cogitatione accurrit ad cogitationem rei secundum esse, quod habet in se, nihil cogitans de cogitatione, quam loquens habet de tali re, si verò è contrà audiens sit cupidus cognoscendi conceptum, & explorandi ingenium, & cogitationes loquentis statim cogitatione accurrit ad cognoscendam cognitionem, quam loquens habet de tali re.

10 Atq; hoc verùm est etiam de vocibus enunciatiuè prolatis à loquente, in ordine ad eliciendũ assensum audientis, saltem quando audiens habet pro motiuo assensus aliud, quam scientiam, & bonitatem loquentis. Quamuis enim, quando assentimur alicui propositioni enunciatæ à loquente propter auctoritatem illius, debeamus præcognoscere conceptum loquentis, vt ab illius scientia, & bonitate moueamur ad assensum, tamen si quis enunciatiuè proferat, v.g. *Omne totum est maius sua parte*, vt eliciat à me audiente assensum huic suæ propositioni, adhuc possum hanc propositionem intelligere, illique præbere assensum ex sola penetratione terminorum nihil cogitans de conceptu loquentis.

11 Dices ex Aristot. hic cap. 1. voces sunt signa conceptuum primò, ergo semper prius, & immediatè significant conceptus. Respondeo cum Aristoteles non expressetit, qua primitate voces sint signa conceptuum, bene posse explicari de primitate intentionis, quatenus cum loquentem magis interfit significare suos conceptus, quam res, primaria intentio institutorum linguæ credenda est fuisse de manifestatione conceptuum. Porrò licet voces substituantur loco conceptuum, quia tamen substituuntur etiam loco rerum, ideò non est necesse, quod ad hoc vt ducant nos in cognitionem rerum, prius nos ducant in cognitionem conceptuum, sic si loco imaginis Cæsaris pictæ substituatur statua Cæsaris lignea, quia hæc substituitur non modo loco imaginis, sed etiam ipsius Cæsaris, ideò poterit aspicientem ducere immediatè in cognitionem ipsius Cæsaris absque eo quod sit necesse, vt prius ducat in cognitionem imaginis, cuius loco substituta est.

12 Voces in propositionibus non supponunt pro conceptibus formalibus, sed pro rebus per conceptus representantis, aliter propositiones essent falsæ; ideò ergo est verum, v.g. quod rationale est risibile, quia res illa, quæ est rationalis est risibilis, non verò quia cognitio, seù conceptus formalis de rationali est conceptus de risibili, hoc enim est falsum.

13 Scriptura propriè dicta, hoc est non quæ constat hyerogliphicis, sed quæ componitur ex elementis alphabeticis correspondentibus diuersis nostris articulationibus significat immediatè voces, supponit tamen pro rebus, in quarum cognitionem non ducit nisi excitando prius in legente species vocum. Qui enim sciunt aliquod idioma, sed nesciunt legere, quia nesciunt ex talibus signis, & characteribus venire in cognitionem vocum per scripturam significatarum non possunt duci in cognitionem rerum: si verò scirent, quæ nam voces ex his characteribus formantur statim venirent in cognitionem rerum, ergo prius scriptura ducere debet legentem in cognitionem vocum, & deinde mediantibus vocibus ducere illum in cognitionem rerum. Hoc non accidit in vocibus respectu conceptuum possemus enim per voces venire in cognitionem rerum nihil cogitantes de conceptibus

cognitio

cognitio enim conceptuum non est medium necessarium in ordine ad cognoscendas res, sicuti è contra cognitio vocum est medium necessarium ad hoc, vt à scriptura ducamur in cognitionem rerum, si enim nescimus, quæ nam voces ab his caracteribus formentur, non possumus per caracteres venire in cognitionem rei. Hoc non accidit in scriptura impropriè dicta, quæ habet potius rationem imaginis, cuiusmodi est scriptura per Hierogliphyca, nam etiam si quis nesciat, & idioma, & vocem materialem, qua talis res vocatur ab Aegyptijs, v. g. adhuc per hoc hierogliphycum duci potest in cognitionem rei, quæ per hierogliphycum ab Aegiptijs significatur.

CAPVT SECVNDVM.

De Enunciatione.

1 VEritas formalis est conformitas cognitionis cum obiecto. Conformitas, inquam, non in essendo, quia sæpè obiectum per veram cognitionem cognitum, est substantia, cum cognitio, vt potè semper accidens, sit tali obiecto difformis in essendo; sed neque satis est ad veritatem formalem, quod cognitio sit conformis obiecto in repræsentando, seu in ratione imaginis, cum dari possit cognitio falsa, quæ sit conformis obiecto in ratione imaginis, nam cum non sit necesse, quod in qualibet propositione repræsentetur identitas obiectiua inter prædicatum, & subiectum, sed sufficiat solus modus tendendi, vt probauimus vbi de ente rationis metaphysico num. 6. Hæc propositio, *Homo est equus* erit falsa, etiam si cognitio sit cōformis obiecto in repræsentando, seu in ratione imaginis, cognitio enim de homine est conformis equo. Conformitas ergo, quæ ad veritatem requiritur, & est veritatis constitutiua, est conformitas in modo tendēdi, ità vt illa cognicio sit vera, quæ tendit modo cōpositiuo per verbum *est* in ea, quæ à parte rei sunt idētificata, vel quę tēdit modo diuisiuo per verbū *non est* in ea, quę nō sunt idētificata.

2 Hinc in sensationibus non potest dari veritas, vel falsitas propriè dicta, cum per sensationes nulla fiat compositio, vel diuisio, quod verò conformitas in representando ad veritatem propriè dictam non sufficiat, præter iam dicta, constat etiam ex Arist. 3. de anima tex. 22. vbi ait. *Falsum in compositione semper est*, ergo etiam verum non erit nisi in compositione; ex eodem enim Aristotele loc. cit. tex 21. *in quibus falsum, iam, & verum est*. Potest quidem in sensibus dari fallacia, vel etiam falsitas dispositiuè, quatenus ex fallaci sensatione disponitur intellectus ad falsitatem formalem, at veritas, & falsitas propriè dicta in sensationibus non datur, imò propter eandem rationem, neque dari potest in prima operatione, cum in illa neque compositio, neque diuisio detur. Adde primam operationem non posse esse falsam, quia implicat, quod prima operatio non representet, id quod representat, & quod non conformetur in ratione imaginis illi, quod representat. Sicut ergo in vocibus simplicibus, & incomplexis non datur veritas, vel falsitas, quia implicat quod vox incomplexa non significet id, quod significat, ita quia implicat quod prima operatio non representet id, quod representat; in prima operatione nunquā dabitur falsitas; ideòque nec in illa dabitur veritas propriè dicta. De cognitionibus Angelicis, ac Diuinis est dispar ratio, quia licet in illis non detur formalis compositio, & diuisio, datur tamen æquiualenter tota perfectio, quæ est in nostra compositione, & diuisione; ideòque datur in illis veritas modo perfectiori, at cum simplex apprehensio neque formaliter, neque æquiualenter habeat perfectionem compositionis, & diuisionis, nullo modo habere poterit veritatem.

3 Dices si quis volens cōcipere, v. g. aurum concipiat auricalcum, talis apprehensio erit falsa: Respondeo talem apprehensionem non futuram falsam: licet enim ille, qui hoc modo apprehendit non fuerit assecutus finem suum, tamen apprehensio auricalchi est conformis in ratione imaginis auricalco, ideòque non est apprehensio falsa, cum conformetur suo obiecto in ratione imaginis, sed non propterea est vera, quia si ad veritatem propriè dictam satis esset conformitas in repręsentando, propositiones falsæ essent veræ, vt enim dicebamus: Hæc propositio. *Homo est equus* est falsa, & tamen est conformis obiecto in ratione imaginis, si in illa non repræsentetur identitas obiectiua inter prædicatum & subiectum, imò etiam si hæc repræsentetur, adhuc apprehensio de identitate obiectiua, & impossibili inter hominem, & equum est conformis in ratione imaginis suo obiecto, cum sit conformis identitati impossibili; si ergo nihilominus est propositio falsa, ideò erit falsa, quia ad veritatem formalem conformitas in representando nihil facit, neque dicas conceptum auricalchi esse verum conceptum auricalchi, sed falsum conceptum auri, eo quod ità sit conformis auricalco, vt sit difformis auro, nam si hoc ad falsitatem satis esset, omnes conceptus, qui est conformis vni obiecto est difformis alteri. Neque demum dicas posse à nobis per primam operationem apprehendi integram propositionem, nam si illi per secundam, aut tertiam operationem non præbeamus assensum, vel dissensum, nullam intellectus per talem propositionem eliciet veritatem, vel falsitatem.

4 Dantur aliqui actus ità veri, vt ijdem non potuerint esse falsi, huiusmodi autem actus sunt duplicis

plicis generis, alijs ex principio, alij ex obiecto; ex principio sunt actus fidei diuinæ, qui oriuntur tanquam ex principio ab habitu fidei diuinæ, cui repugnat inclinare ad falsum, ideòque ratione dependentiæ essentialis, quam habent à tali habitu repugnat, quod illis subsit falsitas, qui verò sunt necessariò veri ex obiecto subdiuidi possunt in duas species, vel enim sunt eiusmodi, eo quod obiecti ità de facto sit tale, vt non potuerit aliter se habere, & huiusmodi sunt omnes actus veri de obiecto necessario, quod aliter se habere non potuit; vel veritatem necessariò habent ex obiecto, eo quod essentialiter suo obiecto, sint affixi ratione essentialis alligationis, & dependentiæ ab obiecto, quod intuentur.

5 Actus etiam eliciti ab habitu scientifico sunt ità veri, vt non potuerint esse falsi. De his tamē dubitari potest, vtrum habeat hoc ex principio, an ex obiecto. Sed videtur potius dicendum, quod hoc illis competat ex obiecto, si enim per impossibile obiectum aliter se haberet tales actus essent falsi, in tantum ergo ratione principij sunt necessariò veri, in quantum habitus scientificus habet inclinare ad actus similes illis, à quibus est genitus, ideòque cum ipsi actus sint necessariò veri, quia obiectum necessariò est tale, quale ab actibus enunciatur; ipse etiam habitus scientificus sequens naturam actuum habebit inclinare ad actus necessariò veros ex obiecto.

6 Sed præter huiusmodi actus necessariò veros dantur alij solùm contingenter veri, qui nimirum ijdem numero potuerunt esse falsi, sic si sedente Petro, v. g. dicam Petrus sedet, ità hic actus est verus, vt hic idem numero potuerit esse falsus, si Petrus non sedisset, non aliter ac existente albo A. v.g. & albo B, ita de facto album A. est simile albo B, vt idem album A. de se inuariatum potuerit non esse illi simile, si videlicet album B. non extitisset. Et sanè ex dictis de relatione prædicamentali, sicuti antecedenter ad omnem modum relatiuum per solam positionem albi B. album A. est illi formaliter simile, quia antecedenter ad omnem modum album A. existit, sicut existi album B, ita per solam positionem sessionis Petri propositio affirmans talem sessionem est formaliter vera, quia enunciat obiectum eo modo, quo existit, sed hæc propositio, vt diximus, ita est de facto vera, vt eadem non fuisset vera, si sessio non extitisset.

7 In actibus ergo contingenter veris veritas est denominatio cognitioni partialiter extrinseca ab obiecto existente eo modo, quo ab ipsa cognitione enunciatur, quod probatur primò, quia veritas est conformitas cognitionis cum obiecto, ideòque sicuti similitudo est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca illi, quod denominatur simile, ità veritas erit denominatio partim intrinseca, partim extrinseca cognitioni veræ: Quamuis enim cognitio affirmans v.g. studium Petri habeat essentialiter illud repræsentare, seù affirmare cum veritate, sed ad alterutrum determinatur ab obiecto, sicuti album A ab alio obiecto determinatur ad hoc vt illi sit simile, vel dissimile. Secundò, supponatur quod hæc propositio v.g Magnus Turca in fine huius anni morietur sit vera, quo posito, si veritas huic actui esset essentialis, & adæquatè intrinseca non posset assignari à quo nam intellectus fuisset determinatus ad eliciendum hunc actum entitatiuè verùm potiusquam loco istius alium actum entitatiuè falsum, nam intellectus de se indifferens ad eliciendum actum cum prædicato intrinseco veritatis, vel cum prædicato falsitatis; ipsa mors futura Magni Turcæ non potest nunc influere in intellectum, & illum determinare ad talem cognitionem essentialiter veram. Dicere verò quod determinetur à Deo est gratis diuinare; neque Deus in ordine naturali mouetur ab aliquo futuro ad ponendum, vel conseruandum aliquid de præsenti. Sed etiam si moueretur, adhuc posset procul dubio non moueri cum adhuc Deus liberè moueatur, ideòque posset nolle concurrere ad cognitionem entitatiuè veram, sed ad aliam entitatiuè falsā. Si ergo concurreret ad cognitionem entitatiuè falsam, peto cognitioni enuncianti mortem Magni Turcæ verè futuram, quid deesset quominus esset vera? præscindendo ergo ab omni prædicato veritatis intrinseco cognitioni, per hoc præcisè, quod cognitio enunciauit obiectum eo modo, quo existit, erit vera, quia nomine veritatis hoc intelligimus nec ad illam aliud quidquam requirimus. Demum si cognitioni veritas esset intrinseca, & essentialis Angelus comprehendens suos actus per hoc, quod formet propositionem aliquam de secretis cordium tali sua propositione cognosceret veritatem, vel falsitatem, ideòq; cognosceret secreta cordiū, quod Angelo non conceditur, neq; dicas impediri à Deo nolente concurrere cum Angelo ad apprehensionem suorum actuū, nam quid nos cogit asserere, quod Angelus continuam violentiam in suis cogitationibus patiatur.

8 Dices veritas est perfectio cognitionis, ergo erit illi adæquatè intrinseca. Sed huic argumento satisfaciemus vbi de relatione prædicamentali. Solùm hic addimus posse perfectionem veritatis haberi partialiter ab aliquo extrinseco, non aliter ac consonantia vocis, quæ est illius perfectio, habetur partialiter à taleitate alterius vocis, & non aliter, ac in imagine perfectio similitudinis cū suo prototypo habetur partialiter à taleitate prototypi. Sed hæ perfectiones partialiter extrinsecæ fundantur in perfectione adæquatè intrinseca; perfectio enim vocis consonantis fundatur, & refunditur in perfectionem musici scientis elicere talem vocem, quæ de se sit talis, vt cum alia, quæ præsuponitur esse talis, parere possit talem sensationem iucundam: pariter perfectio similitudinis partialiter extrinseca fundatur in perfectione adæquatè intrinseca pictoris, qui ex suppositione talis prototypi scit taliter hanc imaginem conformare, & demum perfectio cognitionis verè fundatur, & resoluitur in perfectionem intellectus scientis elicere hanc cognitionem, quę ex suppositione quod obiectum taliter existat sit illi conformis.

9 Non

9 Non requiritur ad veritatem omnium propositionum, quod illarum obiectum existat de præsenti, imò vt propositiones de obiecto præterito, vel futuro, sint nunc veræ, non debet nunc existere earum obiectum, & quamuis existentia futura Antichristi nunc nihil sit, adhuc tamen propositio affirmans existentiam futuram Antichristi est nunc vera, quia sicuti per hanc denominationem *Domus antiqua*, qua intelligitur, quod detur nunc domus, & anni non sint de præsenti, sed præterierint; ita per veritatem huius propositionis *Antichristus erit* intelligimus, quod detur talis cognitio, & quod non detur Antichristus nunc, sed sit exiturus.

10 Ex his infertur non per omnem veritatem importari veram relationem prædicamentalem, ad hanc enim ex dictis de relatione prædicamentali, requiritur existentia termini, qui tamen ad aliquã veritatem non debet existere. Veritas ergo est conformitas cognitionis cum obiecto præscindens à conformitate per veram, vel non veram relationem prædicamentalem, cum enim nomine cognitionis intelligamus cognitionem, quæ enunciat obiectum iuxta illius merita, siuè actu existat, siuè non hinc ad rigorosam veritatem non requiritur, quod obiectum coëxistat cognitioni, è contra cum ad hoc vt existat vera relatio existere debeat, quidquid constituit completam rationem fundandi prædicatum relatiuum, quando terminus non existit, neque existit vera relatio, quia terminus complet constitutiua prædicati prædicamentaliter relatiui.

11 Sed superest, vt decernamus, an etiam actibus necessariò veris, de quibus diximus num. 4. veritas sit denominatio, partim intrinseca, partim extrinseca. Dicendum ergo est affirmatiuè, & primò de actibus necessariò veris ex obiecto videtur clarum, nam ideò hic actus, *non potest idem simul esse, & non esse*, est necessariò verus, quia obiectum non potest aliter se habere, & si per impossibile obiectum potuisset aliter se habere, etiam hic actus potuisset esse falsus. In actibus necessariò veris ex principio distinguendum est inter exigentiam essentialem, quam habent hi actus, vt existat eorum verificatiuum, & ipsammet denominationem veritatis. Exigentia enim essentialis, quam habent actus fidei diuinę, v. g. vt existat eorum verificatiuum est illis essentialis, & adæquatè intrinseca, cum sit illis essentialis dependentia ab habitu fidei, cui repugnat inclinare ad falsum, at ipsamet denominatio veritatis non est cur non dicatur istis, etiam actibus, esse partim intrinseca, partim extrinseca; veritas enim definitur conformitas cognitionis cum obiecto, non verò exigentia, vt existat obiectum, cui cognitio conformetur, & sicuti nulla similitudo est essentialis vni tantùm, licet vni tantùm possit esse essentialis exigentia, vt existat aliud, cui assimiletur, ità nulli cognitionis dicenda est esse essentialis conformitas, & veritas, licet aliquibus cognitionibus sit essentialis exigentia, vt exitat obiectum cui conformentur.

12 Dices dependentia creaturæ à Deo est essentialis, & adæquatè intrinseca ipsi creaturæ, ergo etiam actibus necessariò veris ex principio erit essentialis, & adæquatè intrinseca veritas. Respondeo disparitatem desumi ex diuersa horum terminorum acceptione, sicut enim nomine dependentiæ intelligimus solùm illam entitatem, quæ indiget alia, ita è contra nomine veritatis intelligimus conformitatem cognitionis cum obiecto; ideòque quod cognitio sit talis, & obiectum sit tale, quod sit nomen veritatis transferretur ad significandam exigentiam, quam essentialiter habent aliqui actus, vt existat eorum verificatiuum nomen veritatis staret æquiuocè, quod non est dicendum. Quare quamuis aliquæ cognitiones per suam essentiam exigant suum verificatiuum, illisque talis exigentia sit essentialis, nulli tamen cognitioni veritas dicenda est essentialis, sed partim intrinseca, partim extrinseca, saltem negatiuè, saltem, inquam negatiuè propter propositiones veras negatiuas, ad quam veritatem non requiritur, quod existat ex parte obiecti extrinseca negatio, quæ habeat in se aliquam entitatem, seù veritatem obiectiuam, sed quod totum, quod datur de obiecto negato, sit cognitio, & eius veritas, si est contingens, potuerit deesse per positionem alicuius extrinseci.

CAPVT TERTIVM.

Reliquæ quæstiones de veritate, & qualitate propositionum.

1 NON potest eadem propositio mutari de vera in falsam, neque de falsa in veram; quia omnis propositio consignificat tempus cum enim omnis propositio importet aliquod verbum omne autem verbum sit significatiuum cum tempore, omnis propositio est enunciatiua obiecti non quomodocunque, sed pro tali tempore, vel præsenti, vel præterito, vel futuro, vel determinato, vel indeterminato, ergo si semel obiectum supponatur fuisse tale quale enunciatur pro eo tempore, quod à tali propositione importatur, etiamsi deinde pro alia circumstantia temporis obiectum mutetur, adhuc propositio affirmans obiectum pro eo tempore, pro quo exiitit sicuti enunciatur semper, est vera. Neque in contrarium est Arist. cap. de substantia ibi enim signanter dixit *eadem oratio vera, & falsa videtur esse*, cum enim ibi non esset locus hoc exactè examinandi, eo dato, sed non concesso aduesarijs attulit, deinde discrimen inter substantiam, & orationem

nem propter quod substantia, & non oratio sit susceptiua contrariorum; nimirum quod sola substantia sit susceptiua contrariorum per sui mutationem extrinsecam; quod Orationi nullo modo cõuenit: etiam dato, quod eadem de vera mutetur in falsam.

2 Non potest dari propositio formalis, quæ neque sit vera, neque falsa, nam vel obiectum existit eo modo, quo enunciatur, vel non, si existit, propositio erit vera, si non existit, erit falsa. Pariter non potest dari propositio formalis, quæ sit simul vera, & falsa, quia non potest prædicatum simul inesse, & non inesse subiecto: Dixi de propositione formali, nam propositiones, quæ dicuntur se ipsas falsificantes, non possunt esse propositiones formales, sed proferri solum possunt materialiter, & ratio est, quia ex communi Summulistarum, quælibet propsitio de se ipsa implicitè dicit *vera sum*, seu *verum dico*, ideòque idem implicitè est dicere *Deus est vnus*, ac dicere *verum est Deum esse vnum*, cum ergo intellectus non possit formaliter de eodem obiecto simul dicere verum est, & falsum est nõ possunt propositiones se ipsas falsificãtes esse formales, sed solũ materiales, eidẽ enim obiecto intellectus assentiretur simul, & dissentiretur quod implicat; nã si dicã. *Ego per hanc propositionẽ mẽtior*, idem est, ac si dicerem: certum est, seù verum dico, quod ego per hanc propositionem, per quam dico verum, mentior, seù falsum dico; ergo intellectus affirmaret à se simul verum, & falsum dici de eodem obiecto, quod implicat, similiter si dicam: *ego iuro per hanc propositionem me non iurare;* hæc propositio non erit nisi materialiter prolata, cum implicet intellectum dicere, verum est, quod per hanc propositionem non iuro. Huiusmodi ergo propositiones neque sunt veræ, neque sunt falsæ, neque sunt simul veræ, & falsæ, quia neque sunt propositiones formales, sed solum vocales, & materialiter prolatæ absque vllo interno assensu, vel dissensu.

3 Dices, non implicat, quod quis per errorem affirmet dari plures Deos, sed affirmare, quod dentur plures Dij est affirmare duo contradictoria, ergo licet in dictis propositionibus affirmẽtur duo contradictoria poterunt tamen esse formales. Respondeo posse ab intellectu affirmari aliquid impossibile non cognitum, vt tale, à quo deindè cogatur affirmare duo contradictoria, si velit in priori affirmatione persistere, at nullo modo potest affirmare duo contradictoria formaliter, vt talia, quo modo deberet efficere, si posset has propositiones formaliter enunciare. Quamuis enim qualibet propositio, non nisi implicitè, & virtualiter, quoad verba externa de se dicat *vera sum*, & tamen adhæsio correspondens istis verbis ex parte intellectus est formalis, ideòque cum non possit idem intellectus eidem obiecto adhærere, & ab eodem simul refugere non potest has propositiones formaliter elicere.

4 Veritas consistit in indiuisibili, falsitas tamen suscipit magis, & minus; veritas enim est conformitas cognitionis cum obiecto, & quidem ex communi acceptione est omnimoda conformitas, & excludens omnem difformitatem, ideòque consistens in indiuisibili, cum è contra falsitas, quæ est difformitas possit esse maior, & minor, sicut enim ad veritatem, per quam intelligimus, quid perfectũ, & bonum requiritur integra causa, & omnimoda conformitas, ita ad falsitatem, quæ est quid malum sufficit, quilibet defectus; & prout defectus erunt plures, eò falsitas erit maior. Sic ad hoc vt duo ligna dicantur simpliciter æqualia, requiritur omnimoda conformitas inter illa, vt verò sint inæqualia sufficit quæcunque difformitas, & prout hæc est maior, eò maior erit inæqualitas. Similiter ergo cum per veritatem intelligamus conformitatem simpliciter dictã, hinc ad illam omnimoda conformitas requiretur. Hinc formaliter loquendo tam est vera cognitio creata conformis obiecto, quam increata dici possit verior radicaliter, quatenus est à principio, cui repugnat falsitas. Similiter cognitio vera affirmans decem homines currere non est formaliter verior, quam cognitio vera affimans vnum tantum hominem currere, licet illa dici possit verior extensiuè. Simili etiam modo intelligendus est Aristoteles, dum docuit quod hæc propositio *bonum est bonum* sit verior, quam hæc *bonum non est malum*, si enim loquamur de veritate formali cum vtraque sit æquè conformis suo obiecto, vtraque est æquè vera, cæterum si loquamur de maiori veritate quoad proprietatem, prima est verior, quam secunda, quia per secundam explicatur bonum per negationem contrarij, ideòque non tam per id, quod est, quam per id, quod non est.

5 Dices potest vnus actus esse certior, & euidentior alio, ergo, & verior. Item potest vnus actus voluntatis esse melior alio, ergo etiam vnus actus intellectus verior alio. Respondeo disparitatem esse, quia nomine certitudinis, & euidentiæ non venit certitudo, & euidentia omnimoda; similiter nomine actus boni, non venit actus omnimodè bonus, quinam enim ex nostris actibus essent certi, & euidentes, qui nam essent boni, si hoc veniat nomine certitudinis, & euidentiæ, & bonitatis? At nomine veritatis simpliciter dictæ iuxta communem acceptionem venit conformitas omnimoda, neque enim dicitur dixisse verum qui ait, Petrus, & equus discurrunt, sed simpliciter dicitur enunciasse falsum non nisi, quia actus ille non est totaliter conformis obiecto, è contra in communi locutione magis errare dicitur, quia affirmat, v.g Equum, & lapidem discurrere, quam qui dicit hominem, & equum discurrere.

7. Ex duabus propositionibus singularibus de futuro contingenti vna est determinatè vera, altera determinatè falsa determinatione tamen consequenti, licet enim quando aliquam ex huiusmodi propositionibus enunciamus, non cognoscatur à nobis independenter à reuelatione determinata illius veritas, vel falsitas, in se tamen vna est determinatè falsa, cum enim vt tales à Deo cognoscantur, &

tur, & reueleutur, non potest non esse determinatè verum, vel determinatè falsum id, quod vt tale cognoscitur, & reuelatur] à Deo; Hinc quia implicat eandem enunciationem de eodem indiuisibili obiecto in vno intellectu esse determinatè veram, & non in alio; si hæc propositio, v. g. *Antichristus* peccabit in intellectu Diuino est determinatè vera, enunciata ab intellectu creato erit etiam determinatè vera cum hoc discrimine, quod in intellectu diuino est determinatè vera, & cognoscitur vt determinatè vera, quomodocunque tandem eius veritas cognoscatur; in intellectu autem creato est, sed non cognoscitur, præscindendo à reuelatione, vt determinatè vera. Præterea si nunc ego dicam. *Antichristus peccabit*, quando suo tempore ponetur peccatum, dici poterit me nunc determinatè dixisse (verum) sed non poterit tunc dici me dixisse verum determinatè, si nunc determinatè non dicam verum, ergo nunc determinatè dico verum, ergo propositio affirmans peccatum futurum Antichristi est determinatè vera.

8 Nullum ex hoc sequitur detrimentum libertatis, propositio enim affirmans, peccatum futurum Antichristi est determinatè vera non determinatione antecedenti, & in causa, sed determinatione consequenti, & in effectu, ideoque sicuti nullum est absurdum, quòd ex suppositione, quòd sedeam necessariò, & determinatè sedeam, ita ex suppositione, quod peccatum Antichristi sit futurum, nullum est inconueniens, quod determinatè, & necessariò sit futurum, adeòque nullum pariter erit absurdum, quod propositio affirmans peccatum Antichristi sit nunc determinatè vera, quia non est determinatè vera ratione alicuius antecedentis adimentis Antichristo libertatem, sed est solùm determinatè vera ex suppositione ipsius peccati futuri, ad quod ipse Antichristus liberè se determinabit. Idem dicendum de reuelatione talis peccati, licet enim ex suppositione reuelationis de tali peccato, non possit illud non poni, ponetur tamen cum perfecta libertate; reuelatio enim non antecedens peccatum nisi tempore, supponit ipsum peccatum futurum, neque enim quia Deus scit, & reuelat peccatum, ideò peccatum est futurum, sed quia peccatum est futurum, ideò Deus illud scit, & reuelat, quare sicuti non est contra libertatem Antichristi, quod ex suppositione, quod Antichristus peccat, necessariò peccet, ità neque erit contra illius libertatem, quod ex suppositione reuelationis de peccato, necessariò peccet, quia cùm reuelatio supponat peccatum, non necessariò peccat, nisi ex suppositione ipsius peccati.

DISTINCTIO SEPTIMA.

In Libros Priorum, & Posteriorum.

1 IN libris priorum agit Aristoteles de syllogismo in communi, in libris verò posteriorum de syllogismo scientiali, seu de demonstratione. Definitur syllogismus: Oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necesse est contingere eò quod hæc sint. Alius est virtualis, in quo scilicet non datur nisi vna propositio entitatiuè vnica, sed virtualiter multiplex: Alius est syllogismus formalis, in quo per distinctos actus assentimur præmissis, & conclusioni, de hoc ea solùm examinabimus, quæ peculiari disputatione indigent.

CAPVT PIMVM.

Vtrum ad eliciendam conclusionem prærequiratur non modò Iudicium de maiori, & minori propositione, sed etiam iudicium de bonitate consequentiæ.

1 BOnitas consequentiæ alia est formalis, alia obiectiua; formalis est connexio consequentiæ cum præmissis iuxta regulas logicæ; Obiectiua verò est connexio obiecti consequentiæ cum obiecto præmissarum. Ad omnem ergo actum conclusionis eliciendum neque præcognitio de bonitate consequentiæ formalis, neque de bonitate consequentiæ obiectiuæ est determinatè necessaria, sed alterutra per se loquendo sufficit, imò alterutra est omninò necessaria. Et primò non esse determinatè necessariam præcognitionem de bonitate consequentiæ formalis probatur, quia primi inuentores logicæ condiderunt eius præcepta mediante aliquo discursu, & syllogismo, cuius conclusioni præbuerunt assensum absque reflexione ad regulas logicæ, quæ non-

dum conditæ erant, ideòque absque præcognitione de bonitate consequentiæ formalis: Similiter rustici assentiuntur conclusioni alicuius syllogismi facilioris, nihil scientes de præceptis logicis, & ratio vtriusque est, quia potest intellectus determinari ad assensum conclusionis ex præcognitione connexionis obiectiuæ, per hoc scilicet, quod cognoscat obiectum consequentiæ esse connexum cum obiecto præmissarum, ergo non ad omnem conclusionem eliciendam necessaria determinatè est præcognitio de conformitate syllogismi cum præceptis logicæ.

2 Propter similem rationem neque est determinatè necessaria præcognitio de bonitate consequentiæ obiectiuæ, quia per se loquendo, potest intellectus determinari ad assensum consequentiæ ex eo, quòd præcognoscat syllogismum esse in forma iuxta regulas logicæ, ideòque in illo dari bonitatem consequentiæ formalis per conformitatem ad præcepta logicæ, de quibus aliundè scit non posse dirigere ad falsum. Dixi *per se loquendo*, quia si intellectus, dum certificatur de bonitate consequentiæ obiectiuæ, adhuc præcognitio de bonitate consequentiæ obiectiuæ non est per se loquendo determinatè necessaria, quia si posset haberi cognitio de bonitate consequentiæ formalis absque eo quod intellectus indirectè certificaretur etiam de bonitate consequentiæ obiectiuæ, sola certificatio de bonitate consequentiæ formalis esset satis. Dixi pariter neutram ex his præcognitionibus esse determinatè necessariam ad omnem actum conclusionis, quia si datur aliqua conclusio adeò implicata, & difficilis, vt ad illam eliciendam necesse habeat intellectus lumine præceptorum logicæ, ad hanc præcognitio de bonitate consequentiæ formalis erit determinatè necessaria vel moraliter, vel solùm ad bene esse iuxta varias sententias de necessitate logicæ, de qua re diximus distinctione 2. cap. 1.

3 Sed quamuis neutra ex his præcognitionibus sit determinatè necessaria, ad omnem actum conclusionis, alterutra tamen ad quemlibet actum conclusionis est omninò necessaria, cum enim actus conclusionis sit assensus præstitus ex vi præmissarum, necessariò debet intellectui apparere connexio aliqua inter id, cui assentitur, & id propter quod assentitur, sicut enim quando intellectus assentitur alicui propositioni immediatè ex vi terminorum, debet cognoscere connexionem aliquam inter terminos, ita quando assentitur conclusioni propter præmissas debet cognoscere connexionem aliquam inter conclusionem, & præmissas, ergo vel connexionem obiectiuam, vel connexionem formalem. Hinc redditur ratio cur eædem præmissæ determinent vnum intellectum ad assensum alium verò nequaquam hoc enim accidit, quia vnus cognoscit connexionem cum conclusione inferenda, alius verò nequaquam. Similiter ex ijsdem præmissis hic elicit hanc conclusionem, alius verò oppositam pro ratione diuersæ connexionis, quam in præmissis cognoscũt, & quia aliquando de connexione tam formali, quam obiectiua dubitamus, ideò post quam præstitimus assensum præmissis, hæremus circa assensum conclusionis.

4 Neutra ex his connexionibus necesse est, vt ante conclusionem per distinctum iudicium affirmetur, sed satis est, quod in præmissis apprehensa, & penetrata fuerit; non aliter, ac quando assentimur propositionibus immediatis identitas, seu connexio inter prædicatum, & subiectum, quæ apparet in vtroque, vel in alterutro terminorum non debet affirmari per distinctum iudicium, sed satis est quod apprehendatur, & bene penetretur, alioqui si in quolibet iudicio deberet per aliud distinctum iudicium identitatis affirmari, daretur processus in infinitum, debemus autem deuenire ad aliquod primum iudicium, quod eliciatur merè ex apprehensione, & penetratione terminorum, & identitatis obiectiuę, quam habent inter se, absque eo quod talis connexio seu identitas per distinctum iudicium affirmetur. Similiter ergo satis erit, quod bonitas consequentiæ, vel formalis, vel obiectiuæ benè apprehendatur, & penetretur, absque eo quod per formale, & distinctum iudicium affirmetur, aliter ad quemcunque syllogismum non tres, sed quatuor propositiones essent necessariæ, quod est contra communem sensum.

5 Dices intellectus est Potentia necessaria, ergo si illi clarè repræsentetur connexio præmissarum cum conclusione debebit tali connexioni assentiri. Respondeo non esse necesse quod intellectus per formale iudicium tali connexioni assentiatur, sed posse sistere in clara ipsius apprehensione, non aliter ac cum intellectus euidenter cognoscit existentiam sui non est necesse quod per formale iudicium illam affirmet, sed sistere potest in euidenti illius apprehensione, similiter in propositionibus immediatis euidenter cognoscit connnexionem prædicati cum subiecto, nec tamen illam per formale iudicium affirmat, ne procedat in infinitum, sed ex euidenti illius apprehensione progreditur ad componendum per formale iudicium prædicatum cum subiecto. De obiecto præmissarum est dispar ratio; Debet enim per duo formalia, & distincta iudicia affirmari, ad quem ex eius definitione requiritur, vt quibusdam positis aliud à positis sequitur.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

An, & quomodo ab assensu præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis.

1 PRæstito assensu præmissis, & præcognita euidenter bonitate consequentiæ vel formalis, vel obiectiuæ necessitatur intellectus ad assensum conclusionis quoad specificationem, seu ad non operandum oppositum, adeòque necessitatur ad non eliciendum actum oppositum illi, quem ex vi talium præmissarum debet elicere, sicut enim cognita euidenter identitate, seu connexione inter duos terminos non potest illos per dissensum diuidere, ità cognita euidenter connexione conclusionis cum præmissis, cuius veritatem supponitur cognouisse, & affirmasse non potest per dissensum negare consequentiam, ratio enim vtriusque est, quia non potest intellectus dissentiri, & negare verum cognitum, vt verum.

2 Imò præstito assensu præmissis, & præcognita euidenter bonitate consequentiæ vel formalis, vel obiectiuæ necessitatur intellectus ad assensum conclusionis etiam quoad exercitium, non aliter ac cognita euidenter identitate inter duos terminos necessitatur intellectus etiam quoad exercitium ad illos per assensum componendos, si enim quis à me petat: vtrum vnum, & duo faciant tria, & ego euidenter cognoscam identitatem inter hos terminos experior intellectum rapi ad assensum, ita vt neque directè neque indirectè possit à voluntate impediri, quia intellectus vt potè potentia necessaria illud statim efficit, ad quod est maximè propensus, & in quo nullam inuenit difficultatem. Similiter ergo dicendum est de assensu consequentiæ, posita enim euidenti cognitione de connexione conclusionis cum præmissis, quarum veritatem præcognitam affirmauit, nulla ibi superest difficultas ad assensum.

3 Dices primò posse accidere quod postquam intellectus præstitit assensum præmissis, & cognouit connexionem conclusionis cum præmissis, vel ex imperio voluntatis; vel ab aliquo alio obiecto rapiatur, & distrahatur ad considerandum tale obiectum, adeòq; non remaneat expeditus in ordine ad assensum conclusionis. Sed contra est, quia si neque voluntas, neque aliud quodcunque obiectum impediuit intellectum, quominùs penetraret connexionem conclusionis cum præmissis; nihil poterit impedire, quominus præstet assensum ipsi conclusioni, tota enim difficultas consistit in penetranda connexione conclusionis cum præmissis, sicuti tota difficultas consistit in penetranda connexione inter terminos: ergo si neque voluntas, neque aliud quodlibet obiectum impediuit intellectum ab eo, quod est difficilius, & ad quod intellectus naturaliter non ferebatur, neque voluntas, neque aliud quodlibet obiectum impediet pro eo instanti intellectum ab eo, ad quod sine vlla difficultate, ideòque maxima vi intellectus naturaliter fertur. Sicut enim posita euidenti penetratione terminorum non videtur intellectus subditus voluntati in ordine ad præstandum, vel non præstandum illis actualem assensum, ita posita euidenti cognitione de connexione conclusionis cum præmissis præaffirmatis non videtur intellectus subditus voluntati in ordine ad eliciendam, vel non eliciendam actualem conclusionem, cum non sit tribuenda intellectui subiectio respectu voluntatis in ijs actibus, quos sine vlla difficultate, imò summa vi naturali habet intellectus elicere.

4 Dices secundò, intellectus est potentia finita, nec potest in vnico instanti exercere nisi certum numerum actuum: potest ergo accidere, vt ille certus numerus actuum sit expletus antequam eliciatur conclusio, ideòque in tali casu intellectus etiam elicitis præmissis, & cognita bonitate illationis ex defectu virium non exercebit actum conclusionis. Sed contra primò, quia hoc argumentum probaret etiam, quod intellectus quoad exercitium non sit necessitatus quoad prima principia, posita euidenti terminorum penetratione, quia potest accidere, quod tunc temporis habeat alias cognitiones, ita vt non remaneat illi virtus ad præstandum assensum, & componendos huiusmodi terminos primorum principiorum, quod esse falsum patet tum ex se, tum ex auctoritate S. Thomæ p.2.q.27.art.6. Contra secundò quia si supponatur intellectus ita applicatus ad cognoscendam connexionem conclusionis cum præmissis, vt illam euidenter apprehendat, & nulla supersit difficultas in ipso actu illatiuo, vel pro eo instanti, vel certè pro instanti sequenti statim eliciet actum illatiuum, & potius excludet cognitionem aliorum obiectorum disparatorum, quàm suspendat actum, qui nullam continet nouam difficultatem.

5 Dices tertiò, si intellectus necessitaretur ad assensum conclusionis etiam quoad exercitium, nullus daretur habitus scientificus in ordine ad eliciendam conclusionem, sed solum daretur habitus ad bene penetrandas, & ad assentiendum præmissis; sed nego sequelam, quia licet intellectus posita euidenti apprehensione connexionis præmissarum cum conclusione, necessitetur etiam quoad exercitium ad inferendam ipsam conclusionem, tamen habitus scientificus efficit, vt absque eo, quod præcedat attenta penetratio præmissarum, & bonitatis illationis, adhuc facile intellectus de-

terminetur ad assensum conclusionis, ad quem non tam facile determinaretur sine habitu, non posita attenta penetratione præmissarum. Idem ab omnibus dicendum est de habitu primorum principiorum, quem dari constat ex Arist. quamuis enim posito, quod intellectus benè penetrauerit terminos primorum principiorum, necessitetur ad assensum etiam quoad exercitium, datur tamen habitus facilitans intellectum ad assensum, etiam quando est pluribus intentus, nec attentè se applicat ad penetrandos terminos.

7 Si vel non appareat, vel solùm obscurè cognoscatur connexio præmissarum cum conclusione, neque quoad specificationem necessitatur intellectus ad eliciendam conclusionem, nihil enim in tali casu datur, quod possit intellectum necessitare. Confirmatur experientia: facto enim syllogismo quantumuis in bona forma, & concessis præmissis, adhuc aliqui negant consequentiam, vel actum conclusionis suspendunt, ex eo quia, vel non cognoscunt, vel solùm obscurè cognoscunt connexionem præmissarum cum consequentia. Idem accidit in propositionibus enunciatiuis veris, quibus intellectus, vel non assentitur, vel etiam præstat actum indebitum, si connexionem, seu identitatem terminorum, vel nullo modo cognoscit, vel cognoscit tantùm obscurè.

CAPVT TERTIVM.

An actus conclusionis necessariò attingat obiectum præmissarum.

1 PRO resolutione dicendum primò est: actum conclusionis non per solam denominationem extrinsecam à præmissis, quæ præcesserant, sed per suum peculiarem modum tendendi differre essentialiter ab omni alio actu non illatiuo, quod probatur primò quia per hoc, quod dixerim, v. g. Omnis homo est animal, Petrus est homo, & deinde dicam: Petrus est animal, non propterea per illum actum *Petrus est animal* feci actum illatiuum, non nisi quia talis actus est merè enunciatiuus, & merè materialiter subsequens ad illos alios actus. Actus autē formaliter illatiuus est, qui ita subsequitur ad alios, vt per illum intellectus ostendat se tali obiecto assentiri ex vi præmissarum, & tanquam determinatum à præmissis: quod præstat per talem modū tendendi, qui designatur per particulam *Ergo*. Secundò actus disiunctiuus, actus copulatiuus, præceptiuus, &c. vt probauimus dist. 1 cap. 3. sect. 2 differunt ab alijs actibus per talem modum tendendi peculiarem, quem quilibet habet, idem ergo dicendū de actu illatiuo. Tertiò actus illatiuus, prout talis repugnat Deo, cum sit actus progressiuus à noto ad ignotum, sed non repugnat Deo assensus circa obiecta conclusionis neque assensus circa hæc omnia simul, ergo assensus illatiuus ratione alicuius sibi peculiaris, & intrinseci repugnat Deo.

2 Hoc posito dicendum præterea est: ad essentiam actus illatiui requiri, quod per illum aliquo modo attingatur intrinsecè obiectum præmissarum. Actus enim illatiuus est de sua essentia discursiuus, & progressiuus. De ratione autem actus progressiui, & discursiui est importare progressum, & motum intentionalem ab vno in aliud, non merè per hoc, quod ante vnum actum præcesserit alius, vt probauimus num. superiori, sed per hoc, quod ipsemet actus illatiuus ratione sui habeat esse progressiuum, & illatiuum, ergo de ratione sui intrinseca habet esse motum ex vno in aliud, sed non potest de se intrinsecè esse motus ex vno in aliud, nisi aliquo pacto attingat vnum, & aliud; ergo de ratione actus illatiui est attingere aliquo modo vnum, & aliud, hoc est obiectum præmissarum, à quo progreditur, & obiectum conclusionis, ad quod progreditur. Confirmatur tum à paritate motus localis, de cuius ratione est attingere terminum à quo, & terminum ad quem: tum à paritate actus compositiui, de cuius pariter ratione est attingere duos terminos, qui componantur; ergo de ratione etiam actus illatiui erit attingere aliquo modo duo. Siue ergo actus illatiuus habeat ratione sui dependentiam essentialem à præmissis, siuè non, adhuc ratione talis modi tendendi sibi essentialis, & intrinseci, differt ab alio quolibet actu non illatiuo.

3 Attingitur autem per actum illatiuum obiectum vtriusque præmissæ non seorsim, sed confusè, & per modum vnius, sic si quis dicat: omnis homo est animal, Petrus est homo, & ideò, seu propterea Petrus est animal per *ly ideò*, seu *propterea* attingitur quidem obiectum vtriusque propositionis præcedentis, sed confusè, & per modum vnius. Hinc sicuti per particulam *ergo* intellectus non nisi confusè reflectit, & attingit obiectum præmissarum, ità non per formalem, sed per virtualem assensum iterum illi adhæret, non aliter ac in exemplo posito per particulam *propterea* designatur adhæsio, quam intellectus præstat obiecto præcedenti, non per formalem, sed per virtualem assensum. Non tamen per hoc asserimus, quod particula illatiua *ergo* idem omninò significet, ac particulæ illæ *ideò* & *propterea*, nam non semper per particulas *ideò*, & *propterea* designari videtur progressus mētis à noto ad ignotum, sicuti huiusmodi progressus designatur per particulam *ergo*, quando verè elicitur actus formaliter illatiuus, ad quem designandum est instituta particula *ergo*.

4 Dices primò si actus conclusionis attingeret obiectū præmissarum, frustra fuisset obiectum præmissarum præcognitum in præmissis. Sed contra est; quia si dicam Petrus est rationalis, & propter

hoc

hoc est risibilis, per ly *propter hoc* iterum confusè attingo id, quod clarè affirmaueram per illam propositionem *Petrus est rationalis*, nec tamen illa propositio, ideòque neque præmissæ sunt frustraneæ, quia in illis clarè cognoscitur id, quod non nisi confusè attingitur per propositionem sequentem, & per actum conclusionis. Si enim obiectum præmissarum non fuisset in præmissis taliter cognitum, non posset determinari intellectus ad actum conclusionis; ideòque talis clara cognitio in præmissis non fuit frustranea. Hinc etiam si actus illatiuus attingat obiectum præmissarum, non tamen in solo actu illatiuo consistit tota essentia syllogismi, quia ad syllogismum requiruntur formales præmissæ, quarum obiecto distinctè cognito præstetur ab intellectu formalis assensus, ad hoc vt determinari postmodum possit ad actum conclusionis, non nisi confusè deindè iterum attingentem obiectum præmissarum.

5 Dices secundò, ex regulis dialecticorum medius terminus non debet ingredi conclusionem, ingrederetur autem si actus conclusionis attingeret obiectum præmissarum. Respondeo Dialecticis satis esse, quod medius terminus non importetur in actum conclusionis, prout hic attingit terminum ad quem, cæterum quod prout confusè attingit terminum à quo, confusè etiam attingat medium terminum, hoc nihil facit ad summulistas.

6 Dices tertiò, in hoc syllogismo omnis substantia est homo, Christus est substantia, ergo Christus est homo, consequentia, & consequens sunt vera; sed consequentia esset falsa, si ly ergo attingeret obiectum præmissarum, ergo, &c. Respondeo consequentiam, & actum illatiuum existimari, ac dici verum, quoties infert id, quod tali obiecto præmisso est inferendum, quid quid sit vtrum quatenus virtualiter assentitur obiecto præmissarum verè, vel falsò illi assentiatur, hoc enim impertinenter se habet ad veritatem, vel falsitatem illationis.

7 Dices quartò, si actus conclusionis attingeret obiectum præmissarum, sequeretur, quod quoties recordamur nos elicuisse conclusionem, deberemus etiam recordari præmissarum, hoc autem est contra experientiam. Respondeo posse nos recordari, vel solius obiecti conclusionis, vel conclusionis, vt conclusio est, vel conclusionis, vt talis conclusio est, seu, vt deducta est ex talibus præmissis. Sicuti postquam affirmaui, v.g. hominem esse risibilem, possum recordari, vel solùm, quod cognouerim iudicium circa hos terminos, vel solùm, quod elicuerim aliquod iudicium, & tamen certum est, quod actus iudicij attingit clarè obiectum prædicati, & subiecti, ergo multò magis postquam intuli aliquam conclusionem, licet hæc attingat obiectum præmissarum, potero aliquando recordari quod elicuerim actum illatiuum, absque eo, quod recorder, ex quibus præmissis illum intulerim, cum actus conclusionis non nisi confusè attingat obiectum præmissarum.

CAPVT QVARTVM.

Reliquæ quæstiones de syllogismo in communi.

1 TRes tantùm dantur figuræ syllogismorum, quarta enim figura Galeni non differt ab Aristotelicis nisi merè accidentaliter, nam sicuti figura est dispositio medij cum extremis, ita essentialis figurarum diuersitas desumitur ex dispositione medij cum extremis essentialiter diuersa, cum ergo tam in prima figura Aristotelica, quam in quarta figura Galeni medius terminus partim subijciatur, partim prædicetur, essentialiter inter se conueniunt, & differunt solùm in hoc, quod secundum primam figuram Aristotelicam medius terminus subijciatur in maiori, prædicetur in minori, secundum quartam verò figuram Galeni medius terminus prædicetur in maiori, subijciatur in minori, quod est merè accidentale, cum nihil peculiare diuersum ex hoc habeatur præter meram transpositionem materialem propositionum, è contra multa peculiariter diuersa habentur per hoc, quod medius terminus, vel bis prædicetur, vel bis subijciatur, vel partim subijciatur, partim prædicetur, vt propterea diuersæ tradantur regulæ pro diuersa hac medij termini dispositione, quæ proinde meritò triplicem figuræ diuersitatem constituit. Cæterùm si æquè medius terminus partim subijciatur, partim prædicetur, quod subijciatur in maiori, vel in minori, nullam facit diuersitatem nisi accidentalem, & quoad solam materialem transpositionem propositionum, quæ si satis esset ad essentialem figurarum diuersitatem possemus etiam in modis secundæ, & tertiæ figuræ facere similem transpositionem, & addere quintam, & sextam figuram, quæ tamen vt inutiles reijciuntur.

2 Dices: *Cesare*, & *Camestres*, *Datisi*, & *Disamis* constituunt modos diuersos ratione solius transpositionis præmissarum, ergo sola propositionum transpositio poterit constituere diuersam figuram. Sed disparitas est modi enim illi sunt diuersi, quia ex præmissarum transpositione inferri possunt diuersæ conclusiones, ideòque recipiuntur tanquam vtiles ad diuersas veritates; at in quarta figura Galeni præter meram præmissarum transpositionem nulla diuersa vtilitas habetur.

3 Principia illa *dictum de omni*, & *dictum de nullo* sunt proximè regulatiua syllogismorum secundum præcipuos modos, quia hæc duo principia proximè regulant modos omnes perfectos primæ figuræ

figuræ habentes conclusionem affirmatiuam, eorum enim bonitas probatur ex eo, quod quidquid dicitur de omni, dici debeat de quolibet sub illo omni contento: Dictum verò de nullo regulat modos primæ figuræ habentes conclusionem negatiuam, ex eo, quod quidquid negatur de omni, negari etiam debeat de quolibet contento sub illo omni. Si ergo dictum de omni, & dictum de nullo proximè regulant modos perfectos primæ figuræ regulabunt etiam præcipuos modos aliarum figurarũ, quarum bonitas ostenditur per reductionem ad modos perfectos primæ figuræ, sed cum Brocardo, & Barocco non possint reduci ad modos perfectos primæ figuræ, ideò dixi dictum de omni, & dictũ de nullo proximè regulare syllogismos secundum præcipuos modos; omnes enim per illa principia regulari non possunt, cum bonitas modorum in Brocardo, & Barocco ostendatur solùm per reductionem ad impossibile.

4 Dixi hæc principia esse proximè regulatiua syllogismorum. Hæc enim ipsa principia probari vlterius possunt per principium illud metaphysicum: *idem non potest simul esse, & non esse*, sed hoc principium est remotum, & communius, ideoq; ei huic tandem principio metaphysico vniuersaliori, tota vis syllogistica innititur, quod quidem est facile, sine multa attentione extorquet assensum, & per hoc bonitas modorum omnium cuiuscunque figuræ, nullo excepto, probari poterit. Ratio verò cur Aristoteles huius principij non meminerit, est, quia mentionem solùm voluit facere illorũ principiorum, quæ sunt propria, & proximè regulatiua syllogismorum.

5 Principium illud. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* affertur solùm ab Aristotele in Topicis post institutionem artis syllogisticæ, & quidem meritò, neque enim est tale principium cui tota vis syllogistica possit inniti. Primò enim, prout iacet est in diuinis falsum, quod si illi addantur limitationes, & adminicula, iam non erit illud principium, sed aliud. Præterea multis hoc principium subesse potest æquiuocationibus. Quando enim dicis duo esse eadem cum vno tertio, si sunt idem, quonam modo possint esse duo, & si sunt duo quomodo possint esse idem. Pariter si sunt eadem cum vno tertio: quomodo hoc est tertium; multæ ergo ad illius principij intelligentiam afferri deberent explicationes, & limitationes; cum è contra tam principia illa *dictum de omni*, & *dictum de nullo*, quam principium illud, *idem non potest simul esse, & non esse*, sine vlla explicatione, & limitatione satis pateant, & sint vniuersaliter vera, quibus propterea tota vis syllogistica firmiter inniti poterit.

CAPVT QVINTVM.

An, & quotuplex detur in nobis scientia, & demonstratio.

1 Siuè nomine scientiæ veniat scientia principiorum, quę ab Aristotele vocatur scientia immediatorum, siuè veniat actus certus, & euidens per veram demonstrationem deductus ex præmissis, certum est dari in nobis multarum rerum scientiam, multa enim prima principia euidentissimè per meram terminorum apprehensionem sciemus, & affirmamus, & multa ex primis principijs euidentissimè per euidentem demonstrationem inferimus. Imò qui omnẽ scientiam negant, hoc ipso scientiam astruunt, dum enim dicunt nullius rei scientiam dari, vel hoc sciunt, vel non, si hoc non sciunt, quomodo hoc affirmant, si sciunt, ergo habent alicuius rei scientiam. Hinc veteres, vt ait Aristot. potuerunt quidem ore tenus dicere, quod nihil sciretur, sed nullo modo potuerunt ita sentire, nam inter ambulandum, si spontè non ruebant in puteum, v.g. putabant profectò non similiter esse bonum, & non bonum ruere, sed determinatè sciebant esse bonum non ruere, ergò aliquid sciebant.

2 Verùm quidem est omnem nostram cognitionem, & scientiam originari à sensibus, & hos esse fallaces, sed verum etiam est, quod nec in omnibus sensus falluntur, & si quando falluntur error vnius sensus corrigi potest, vel per alium sensum, vel per lumen intellectus, ideòque saltem in multis tollitur omnis error. Adde quod quamuis intellectus accipiat à sensibus species rerum, non tamen ex iudicio sensuum, sed ex innato suo lumine assentietur intellectus multis veritatibus certis, & euidentibus, vt v.g. quod non possit idem simul esse, & non esse, &c. Similiter quamuis res creatæ sunt in continua mutatione, tamen, & hoc ipsum cadere potest sub scientiam, & licet mutentur quoad existentiam, quia tamen non mutantur, quoad essentiam, & quoad connexionem prædicatorum, poterit saltem de rerum essentijs dari scientia, ideòque propter aliquorum stultitiam omnia reuocantium in dubium, nullo modo dicendum est, quod nihil sciri possit.

3 Porrò non quælibet scientia, quæ in nobis datur est mera reminiscentia, sed datur vera scientia de nouo acquisita, tum quia error est animas rationales ante corpora fuisse creatas, & in eo statu habuisse scientiam eorum, quorum, cum per immersionem in corpus fuerint obliti, paulatim deindè reminiscantur, tum quia si scientia esset nobis innata, quomodo nos lateret? non enim fieri posset, vt sciens nesciat se scire, tum etiam quia sequeretur, quod qui à natiuitate caret aliquo sensu, haberet scientiam eorum, quæ tali sensu percipiuntur, adeòque cæcus à natiuitate habere posset perfe-

ctionem

ctionem omnem cognitionis intuitiuè de coloribus, quam habet videns. Neque dicas cæco deesse phantasmata, nam si cęcus à natiuitate habuisset aliquando perfectam scientiam de coloribus, sed tātum hic, & nunc illorum non recordaretur ob defectum phantasmatum posset saltem per sensibilia vnius sensus venire in memoriam sensibilium alterius sensus, sicuti ex visione saccari venimus in notitiam, & recordamur dulcedinis, quam alias in saccaro sumus experti. Demum in doctrina Sancti Thomæ 2. contra gentes cap. 83. Natura nulli rei adiungit aliquid per quod eius operatio impediatur, sed magis ea, per quæ fiat conuenientior, & 1. p. q. 84. ait *inconueniens est, quod naturalis operatio alicuius rei totaliter impediatur per id, quod est ibi secundum naturam*. Quare quando puer gradatim interrogatus benè respondet, hoc non accidit ex eo, quod recordetur oblitorum, sed quia à cognitionibus præhabitis gradatim manuducitur ad cognitiones subsequentes aliarum rerum propter affinitatem, quam habent obiecta priorum cognitionum cum obiectis posteriorum. Hoc autem patet ex eo, quod si non ordinatè interrogetur, sed ab vno obiecto immediatè fiat transitus ad aliud disparatum, nullo modo sciet respondere.

4 Scientia strictè dicta acquiritur per demonstrationem, quæ propterea dicitur syllogismus scientialis, seù pariens scientiam, conclusio enim syllogismi demonstratiui est scientia actualis, sicuti habitus, qui ex illa gignitur, est scientia habitualis quidquid pro nunc sit id, per quod in ratione habitualis constituitur, de quo in libris de anima. Demonstratio alia est *propter quid*, seù per causam alia *quia*, sub qua comprehendimus omnem aliam, quæ non est per causam, ne ab Aristotele recedamus, in hæc duo membra adæquatè diuidente omnem demonstrationem. Rursus demonstratio propter quid alia est perfecta, in qua scilicet demonstratur effectus ex causa mediata, vt si demonstretur risibile ex rationali, inter rationale enim, & risibile mediat ad mitatiuum, alia est perfectissima, & strictissimè dicta in qua prima passio per essentiam de subiecto adæquato demonstratur, sic cum de omni homine adhibito medio *rationalis*, quod est hominis essentia, demonstratur, quod sit admiratiuus, erit perfectissima demonstratio.

5 Tria sunt ad demonstrationem, sicut, & ad alium quemlibet syllogismum præcognita subiectū & prædicatum conclusionis, & medius terminus, præcognitiones verò sunt duæ, *An sit*, *& quid sit*. De subiecto, & prædicato conclusionis, ac medio termino præcognoscendum est in quolibet syllogismo quid nominis, & quid rei, saltem in confuso, aliter adduci non possent in disputationem. Ad solam demonstrationem perfectissimam præcognosci de subiecto debet eius possibilitas; cum enim impossibile nullam habere possit passionem, cuius ratione sui, sit causa, nulla poterit de impossibili demonstrari passio, & per consequens nulla de illo poterit fieri demonstratio perfectissima, in qua prima passio de impossibili demonstretur.

6 Præmissæ demonstrationis perfectissimæ debent esse veræ, ex falso enim non potest sequi vera conclusio, per quam habeamus scientiam: imò debent esse necessariæ, & æternæ veritatis, quia in conclusione prima passio metaphysica ità prædicatur de essentia, vt de illa necessariò, & per propositionem æternæ veritatis prædicetur, huiusmodi autem debet esse vtraque præmissa; aliter conclusio sequens debiliorem partem, non esset æternæ veritatis. Secundò, debent esse certæ, & euidentes, ideòque primæ, & immediatæ, vel quod verè sint prima principia indemonstrabilia, vel quod ita fuerint probatæ per aliud medium, vt in probationibus deuentum fuerit, vel deueniri euidenter possit ad principia simpliciter prima, ad hoc, vt intellectus possit totaliter quiescere quod ad perfectissimam demonstrationem requiritur. Tertiò debent esse vniuersales, quia prima passio naturę multiplicabilis demonstrari in illa debet esse de subiecto adæquato, quale est natura vniuersalis, ideòque si conclusio debet esse de subiecto vniuersali etiam ambę præmissę debent esse vniuersales, cum conclusio vniuersalis non sequatur, nisi ex vtraque præmissa vniuersali. Quartò debent esse principia secundum quod ipsum, quia cum in demonstratione perfectissima ex essentia demonstretur prima passio, debet in pręmisis tam subiectum, quam pręcicatum conclusionis connecti cum essentia, cum essentia autem connecti non potest, nisi secundum quod ipsum. Demum esse debent causa conclusionis, non solum quatenus quęlibet pręmisæ sunt causa conclusionis, sed etiam quia medius terminus, qui ponitur in pręmisis demonstrationis perfectisimę, est causa metaphysica pasionis, quę infertur in conclusione.

CAPVT SEXTVM.

An possit esse simul, vel identificari actus scientiæ, cum actu opinionis de eodem obiecto.

1 DVO hic quęrimus, primum est, an in eodē intellectu posint simul dari duo actus distincti de eodem obiecto materiali, quorum vnus sit actus scientię, alius opinionis. Secundum est, an propositis duobus motiuis alio scientifico, alio opinatiuo, posit intellectus elicere vnum actum, per quem eidem obiecto materiali asentiatur ex vi vtriusque motiui, ideòque talis actus sit simul scientię, & opinionis, sed cum scientia alia sit perfecta, alia perfectisima, ideò de vtraque scientia quæritur vtrum identificari posit cum opinione. Porrò cum certum sit

tum sit

cum ſit non poſſe eundem actum eſſe ſimul ſcientię, & opinionis cum actuali formidine, quę ab actu ſcientię neceſſariò excluditur, quęſtio procedet ſolum de opinione cum formidine radicali de tali ſcilicet actu, qui ratione motiui probabilis ità aſſentiatur concluſioni, vt ex vi talis aſſenſus poſſit dicere, quod concluſio poſſit aliter ſe habere non ſimpliciter, ſed ſolum quantum eſt ex vi talis motiui probabilis.

2 Quoad primum ergo dicendum eſt, non poſſe in eodem intellectu dari pro eodem inſtanti circa idem obiectum duos actus diſtinctos, quorum vnus ſit ſcientificus, alter merè opinatiuus cum formidine ſolum radicali, ideòque dicendum eſt etiam poſito, quod de eodem obiecto materiali fieri ab intellectu poſſint duo actus diſtincti; eſt enim peculiaris ratio, cur actus ſcientificus, & merè opinatiuus non poſſint eſſe ſimul. Ratio autem peculiaris eſt, quia actus ſolius opinionis, & merè opinatiuus etiam cum ſola formidine radicali, eſt actus, qui quamuis non importet actualem formidinem qua intellectus actu dicat poſſe obiectum aliter ſe habere, non tamen adhæret, neque aſſentitur tali obiecto cum ea firmitate, validaque adhæſione, qua adhæret actus ſcientificus; Aliter ſi ſupponatur adhærere per actum ſcientificum, iam non erit actus merè opinatiuus, cum enim intellectus moueatur ad aſſenſum maiorem, quam qui poſſit haberi dependenter à ſolo motiuo opinatiuo, non erit actus merè opinatiuus, ſed actus importans firmitatem propriam actus ſcientifici. Hoc poſito ſaltem naturaliter poteſt accidere, quod ſimul tempore circa idem obiectum habeat intellectus duos actus diſtinctos, vnum cum maiori, alium cum minori firmitate, & adhæſione, etiam ſi actus cum minori adhæſione non actu determinet intellectum ad dicendum ſimpliciter, quod obiectum poſſit aliter ſe habere, nam intellectus eſt potentia neceſſaria, ideòque poſitis omnibus requiſitis agit quantum poteſt producendo effectum perfectiſſimum, quem poteſt. Sed quando elicit vnum actum ſcientificum adſunt omnia requiſita ad hoc, vt eliciat alium etiam actum cum adhæſione, & firmitate maiori, ergo non poterit elicere actum cum adhæſione, & firmitate minori propria actus opinatiui, ſed rapietur ad adhærendum obiecto per vtrumque actum firmitate maiori, qua poteſt.

3 Verùm quidem eſt, quod ex imperio voluntatis poſſet intellectus diſtrahi, ne attenderet ad motiuum ſcientificum, ſed cum ſupponatur ad illud attendere, quia dependenter à motiuo ſcientifico elicit actum ſcientificum, non poterit ſe cohibere, & præſtare aſſenſum cum adhæſione, firmitate tanta, & non maiori. Sic poteſt ex imperio voluntatis oculus apertus aliò diuerti, ſed ſi vertatur ad hoc obiectum, videbit illud maiori claritate; qua hic, & nunc poteſt videri. Pariter ſi duæ faces vna maior, alia minor illuminent eodem tempore idem obiectum, & poſſent de eodem obiecto dari ſimul tempore duæ viſiones diſtinctæ non tamen poſſet oculus elicere ſimul de eodem obiecto vnam viſionem magis claram dependenter à face clariori, & aliam obſcuriorem dependenter à face minus clara, ergo ſimiliter ſi ſimul repræſentetur idem obiectum veluti illuminatum à motiuo ſcientifico clariori, & à motiuo opinatiuo minus claro, non poterit elicere vnum actum habentem minorem firmitatem dependenter à motiuo opinatiuo, & alium cum firmitate maiori dependenter à motiuo ſcientifico. Neque dicas vnum ex illis actibus poſſe eſſe opinatiuum, quatenus non attingit niſi motiuum opinatiuum, etiamſi obiecto materiali aſſentiatur firmitate maiori, quam quæ poſſet oriri à ſolo motiuo opinatiuo; nam contra eſt: quia ſi datur adhæſio intellectus maior, quam quæ poſſet ex alio quocunque capite haberi, non habebitur niſi ex vi motiui ſcientifici.

4 Quoad ſecundam quęſtionem initio propoſitam dicendum eſt dari poſſe vnicum actum, per quē intellectus eidem obiecto materiali aſſentiatur ex vi duplicis motiui, quorum vnum ſit, ſi non perfectiſſimè, ſaltem perfectè ſcientificum, alterum verò opinatiuum, ideòque talis actus ſit ſcientiæ ſimul, & opinionis. Probatur actus perfectè ſcientificus eſt ille, per quem intellectus adheret quidem obiecto firmiter ſine vlla formidine, ſed non ita, vt adhuc illi firmius adhærere non poſſit, actus enim, quo adhæreat obiecto tali firmitate, vt maiori adhærere non poſſit, eſt actus ſcientiæ perfectiſſimæ de quo dicemus paulo poſt. Ergo obiecto, cui intellectus firmiter adhæreret per actum perfectè ſcientificum, poterit adhuc firmius adhærere, ſi accedat motiuum opinatiuum, ergo dependenter à motiuo ſcientifico, & opinatiuo, poterit elicere vnicum actum, qui habeat firmitatem maiorem, quam haberet actus dependenter à ſolo motiuo ſcientifico. Prima conſequentia probatur primò experientia, partim enim in huiuſmodi demonſtrationibus præter motiua ſcientifica quærimus etiam probabilia, & demonſtrationi addimus auctoritatem. Secundò, quia ſi non poſſet coniungi motiuum ſcientificū cum probabili, neque poſſit coniungi motiuum minus probabile cum magis probabili, certè ſi ſemel habemus, quod cū motiuo validiori coniungi poteſt minus validum, & ex vtroque oriri firmior aſſenſus non eſt cur cum motiuo quantumcūq; validiori coniungi nō poſſit aliud minus validum, dummodo à motiuo validiori ſuppponatur intellectus motus ad adhæſionem firmam, ſed ita vt adhuc ad firmiorem poſſit moueri.

5 Confirmatur à paritate, ſi ex vna parte bilancis ſit pondus, v.g. vnius libræ, & alteri bilanci apponatur pondus, v.g. decem librarum, hoc vtique attollet illud, ſed quia non attollit impetu maximo, quo poſſet attolli, ideò quodcunque pondus etiam debilius coniungatur cum pondere decem librarum producet impetum maiorem in pondere alterius bilancis; & quia ſemel habemus, quod graue debilius vnitum cum validiori producit in alio impetum maiorem, meritò dicimus, quod graue quantumcumq; debilius coniunctum cum alio, quantumcumq; grauiori producit impetum maiorem in alio

alio subiecto, quod tamen non supponatur moueri celeritate maxima, qua possit, si in celeritate motus datur materia. Similiter ergo quodlibet medium cum habeat rationem motiui, coniunctum cum alio motiuo quantumuis validiori dabit Intellectui firmitatem maiorem, si non supponatur intellectus à motiuo validiori moueri ad adhærēdum obiecto tanta firmitate, vt maiori adhærere non possit. Porrò hic actus ex vi vtriusque motiui elicitus esset simpliciter certus, & euidens, & solùm quantum est ex vi motiui opinatiui esset incertus, & ineuidens præcisiuè, quatenus scilicet, si simul cum motiuo opinatiuo non esset motiuum scientificum, Intellectus minus tali obiecto adhæreret imò actu formidaret; ex suppositione autem, quod simul adsit motiuum scientificum, non habet nisi formidinem radicalem, actum scilicet cum motiuo, quod quantum est de se pareret actualem formidinem, nisi radix formidinis à motiuo scientifico impediretur à productione actualis formidinis.

6 Dices non debet intellectus relicto actu perfectiori solius scientiæ elicere actum scientiæ simul, & opinionis, cum hic sit imperfectior, actus enim affirmans existentiam A, v. g. propter existentiā B. scientificè cognitam; & propter existentiam C. cognitam solùm opinatiuè, potest esse fasus, si accidat quod C. verè non existat, cum enim actus conclusionis attingat, & implicitè affirmet obiectum præmissarum, actus conclusionis affirmans indiuisibiliter aliquid verum, & aliquid falsum, est simpliciter falsus; è contra actus affirmans existentiam A. propter solam existentiam B. scientificè cognitam non potest esse falsus, ergo hic est perfectior illo. Respondeo actum scientiæ, & opinionis posse in aliquo casu esse aliquatenus imperfectiorem ratione illius, quod affertur in obiectione, sed ex alio capite talis actus est perfectior, quatenus scilicet Intellectus ex motiuo scientifico, & opinatiuo firmius adhæreat obiecto materiali, quam ex solo motiuo scientifico, cum ergo non possit haberi hoc bonum firmioris adhæsionis, absque eo quod Intellectus se exponat periculo aliqualis mali pro aliquo casu, non est cur ex imperio voluntatis non possit amplecti bonum certius firmioris adhæsionis cum solo periculo huius aliqualis mali, aliqualis, inquam, mali quia etiam si assentiatur dependenter à motiuo opinatiuo, adhuc intellectus habet totam illam notitiam de obiecto materiali ex vi motiui scientifici, quam haberet, si nullo modo illi assentiretur ex vi motiui opinatiui.

7 Superest quæstio de scientia perfectissima, per quam scilicet Intellectus ita adhæreat obiecto, vt firmius illi adhærere non posset. Sed primum dubitari posset. Vtrum aliquâ in nobis detur huiusmodi scientia. Ratio dubitandi esse potest, quia cum magis, vel minus firma adhæsio oriatur ex magis, vel minus clara cognitione obiecti, sicut nulla nostra cognitio est ita clara, vt clarior esse non possit, ita nulla videtur habere adhæsionem suo obiecto ita firmam, vt firmior dari non posset, si clarius cognosceretur obiectum; sed quidquid sit de hoc, si dantur huiusmodi actus perfectissimè scientifici, dicendum est non posse dari actum, qui simul sit perfectissimè scientificus, & opinatiuus, nam si à motiuo perfectissimè scientifico supponitur Intellectus moueri ad adhæsionem firmissimam, quæ dari possit, motiuum opinatiuum nihil efficiet, ideòque non erit motiuum, si absolutè loquamur, quia videtur non posse esse aliquo modo motiuū formaliter, sed solùm conditionatè, quatenus scilicet ex imperio voluntatis potest intellectus habere talem modum tendendi per quem ostendat se firmissimè adhærere obiecto ex vi motiui scientifici, sed ita, vt esset paratus illi etiam assentiri ex vi motiui opinatiui, si scientificum deesset, ea tamen adhæsione, quam tale motiuum opinatiuum mereretur.

8 Neque dicas posse cum scientia perfectissima identificari actum opinatiuum, si summa illa adhæsio non præstetur ab Intellectu ex vi solius motiui scientifici, sed partim ex vi illius, partim ex vi motiui opinatiui: nam cum ad assensum ex motiuo opinatiuo requiratur imperium voluntatis, ante huiusmodi imperium intellectus rapitur à motiuo scientifico, ex quo cum sit potentia necessaria, statim elicit adhæsionem maximam, quam potest. Saltem cum, siue adsit, siue non adsit motiuum opinatiuum, semper supponatur Intellectus adhærere obiecto [illegible] firmitate, qua potest, positiuè probandum esset, quod quando adest motiuum opinatiuum, motiuum scientificum non efficiat quidquid potest. Potius enim [illegible] in contrarium; cum enim tam ipsum motiuum scientificum, quam intellectus sint agentia necessaria, semper eodem modo dicenda sunt agere, donec positiuè probetur, quod actiuitas motiui scientifici ex parte impediatur, quando adest motiuum opinatiuum.

De scientijs totalibus, earumque obiectis agimus initio libri sequentis; ideoque huic finem imponimus.

O LIBER

LIBER SECVNDVS

PHYSICA:

DISTINCTIO PRIMA

Physicæ Proœmialia.

CAPVT PRIMVM.

An, & quæ sit Scientia Physica.



1 PRæmittenda est scientiarum totalium diuisio, quam ex libris posteriorum huc sepos͡uimus. Loquemur autem hic præcipuè de diuisione scientiarum totalium actualium, ex quibus deinde sine alia difficultate desumetur diuisio scientiarum totalium habitualium. Dari plures scientias totales, & auctoritate, & ratione certum est; cur enim scientiæ quæ alia omnia in suas partes diuidunt, ad hoc vt remotâ confusione melius illa dignoscant, se ipsas in plures partes, & aggregata diuidere non debuerunt. Posito ergo, quod plures scientiæ totales sint distinguendæ; quæritur vndenam desumendum sit, quod aliquæ cognitiones scientificæ coalescant in hanc scientiam totalem, aliæ verò in aliam: Ne enim dicamus, quod scientiarum diuisio sit merè arbitraria, inuenire debemus in ipsis cognitionibus scientificis fundamentum aliquod, ratione cuius meritò constituere potuerint hanc, vel illam scientiam totalem; pro hac igitur re sic discurrendum videtur.

2 Quod aliqua plura habeant vnitatem aliquam, siue per abstractionem, siue per aggregationem fundari necessariò debet in eorum conuenientia, ergo quod plures aliquæ cognitiones scientificæ constituant vnum aggregatum, & vnam scientiam totalem habebitur à peculiari aliqua conuenientia, quam habent inter se. Porrò cognitiones scientificæ possunt inter se conuenire, vel ratione obiecti materialis, vel ratione obiecti formalis, seu principij, & medij; cum enim cognitiones scientificæ, prout hic eas accipimus, sint illatiuæ, duo necessariò important, obiectum scilicet materiale, quod per illationem cognoscitur, & obiectum formale, seu medium, ac principium, dependenter à quo materiale cognoscitur. Illi ergo actus scientifici constituent vnam, vel diuersam scientiam, qui inter se conuenient, vel different in obiecto materiali, & formali. Verum tam plura obiecta materialia, quàm plura principia, licet inter se materialiter diuersa, possunt tamen in aliqua communi formalitate conuenire. Sic demonstratio de existentia materiæ habita ex transmutatione sensibili tamquam medio, & demonstratio de partibus intensiuis qualitatis sensibilis habita ex effectu sensibili diuersæ sensationis, quam experimur, differunt inter se, tam ratione obiectorum, quàm ratione mediorum, si materialiter considerentur, non verò si considerentur formaliter; Materia enim, & qualitas sensibilis considerata, sunt vnum formaliter in ratione naturalis, & sensibilis, ipsa verò principia sunt vnum formaliter quatenus vtrumque fundatur in experientia sensuum.

3 Sed cum possint aliqua plura in diuersis formalitatibus conuenire, illa plura obiecta, & principia dicenda sunt constituere vnam scientiam totalem, quæ conueniunt in illa formalitate, cuius consideratio per se, & ex primaria intentione intenditur à tali scientia. Hinc quia Physica, vt potè scientia naturalis intendit per se considerare in entibus naturalibus rationem naturalis omnes illæ cognitiones constituunt vnam scientiam physicam, quæ sunt de ente naturali, vt naturali, vel certè sunt ordinatæ ad cognitionem entis naturalis, vt natura eius est. Similiter quia Physica intendit considerationem entis naturalis dependenter ab experientia sensuum, omnia illa principia, quæ conueniunt in hoc, quod fundentur in experientia sensuum constituunt vnum genus principiorum Physicæ, à quibus Physica desumit vnitatem scientiæ totalis. Et quidem ad vnitatem scientiæ totalis, & distinctionem ab alijs non satis esse vnitatem obiecti attributionis, sed requirit etiam vnitatem principiorum: Probatur primò, quia demonstratio de eadem rotunditate terræ, v. g. si fiet ex eius grauitate, erit demonstratio Physica; si ex eo, quod proijciat vmbram rotundam, erit demonstratio Mathematica. Secundò cum idem sit constitutiuum, & distinctiuum rei ab omni alio, sicuti quælibet cognitio scientificè illatiua constituitur in suo esse per obiectum, & medium, seu principium, ità per vtrumque differre debebit ab omni alia, & in suo esse constitui. Quod docuit Arist. 1.

Poster.

Poster. tex.23. vbi ait, *vnam scientiam esse, quæ est vnius generis*; hoc est, communiter exponitur, *vnius obiecti*, & subdit vnam scientiam ab alia distingui per diuersa principia, & S. Thomas 1. p. q. 1. ait; Theologiam esse vnam scientiam, quia considerat omnia sua obiecta sub vna ratione formali, idest sub vno genere principiorum reuelatorum.

4 Stet ergo, quamlibet scientiam totalem esse vnam, & diuersam scientiam ab alijs per vnitatem, & diuersitatem obiecti attributionis, & principiorum, si spectemus primam, & intrinsecam radicem diuersitatis: Cæterum hoc absolute loquendo non videtur esse satis; redit enim difficultas, cur assignentur tria obiecta attributionis diuersa, & tria genera diuersa principiorum potius, quam plura, vel pauciora, nam ex doctrina Arist. 4. metaph. tex. 1. Metaphysica agit de ente vt ens est; reliquę verò scientiæ abscindunt sibi partem entis, cum ergo ens abscindi possit in plures, vel pauciores partes, cur in tot potius abscisum est, quam in plures, vel pauciores, quod idem est, ac dicere, cur obiecta attributionis scientiarum constituta sunt tot, & non plura, neque pauciora. Neque dicas esse tot, quia tot sunt scientiæ, dabitur enim circulus vitiosus, si dicamus, ideò esse tot obiecta attributionis, quia tot sunt scientiæ, & rursus, ideò esse tot scientias, quia tot sunt obiecta attributionis. Similiter cur diuisio principiorum facta est potius in tria genera, quam in plura, vel pauciora, nam sicuti vnum diuersum genus principiorum constituunt principia fundata in imaginatione; aliud principia fundata in experientia sensuum, aliud principia fundata in solo lumine intellectus, ita aliud diuersum genus principiorum potuisset assignari, quod fundaretur in experientia, quam habemus de nostris intellectionibus, aliud in experientia, quam habemus de nostris volitionibus, &c.

5 Aliqui hac in re dicunt illa obiecta conflare vnum integrum obiectum attributionis, quæ ita inter se sunt ordinata, vt vnum referatur ad aliud, & cognitio vnius deseruiat ad cognitionem alterius. Sed contra est primò, quia vnum tantùm obiectum attributionis, & vna tantùm deberet assignari scientia, quæ esset scientia de Deo, ad quem omnia ordinantur, & ad cuius cognitionem omnia ducunt. Contra est secundò, quia quantitas consideratur per se à Mathematica, etiamsi natura sua ordinetur ad substantiam. Denium omnia sunt inter se connexa, vt probauimus in prędicamento relationis, & cuiuscunque rei cognitio aliquo modo iuuat ad cognitionem alterius cuiuscunque. Neque dicas considerari per se in scientijs id, quod est nobilius; nam physica multa demonstrat de Deo, & Angelis, quos tamen non considerat, nisi in ordine ad entia naturalia ignobiliora. Alij dicunt illa constituere vnum obiectum attributionis in aliqua scientia, quæ sunt subiectum in demonstrationibus, seù propositionibus scientificis talis scientiæ: sed multæ sunt demonstrationes in physica, in quibus subiectum sunt Angeli, Deus, &c. qui tamen considerantur in physica solùm per accidens.

6 Videtur ergo necessariò recurrendum ad placitum primorum sapientum, à quo tanquam ab vltimo determinatiuo desumatur ratio talis diuisionis, sic quod diuisio orbis terrarum facta fuerint in has quatuor partes non fuit merè arbitraria, facta enim est cum fundamento talium Montium, Fluminum, &c. At quod hi potius montes, hæc flumina assumpta fuernit pro terminis huius partis, & quod in tot pręcisè partes tota terrta fuerit diuisa, habetur tanquam ab vltimo determinatiuo, ex placito primorum diuidentium. Similiter quamuis in diuisione trium generum principiorum, & trium obiectorum attributionis, detur in ipsis principijs, & obiectis aliquod fundamentum; quod tamen hoc potius fundamentum assumptum fuerit, quam aliud, haberi dicendum est, tanquam ab vltimo determinatiuo, ex placito primorum sapientum, quibus hoc modo placuit instituere diuisionem scientiarum.

7 Porrò quod nam fuerit placitum primorum sapientum in diuisione scientiarum eo modo potest nobis innotescere, quo innotescere solet finis, quem sibi proposuerunt primi ordinum Religiosorum Fundatores in peculiari aliquo ordine religioso instituendo, ex nomine videlicet tali religioni imposito, ex communi talium religiosorum consensu, & ex his, quæ primi institutores scripta reliquerunt; Sic ergo ex nomine physicæ, ex antiqua physicorum consuetudine omnia dirigentium ad cognitionem rerum naturalium, & ex his quæ Aristoteles philosophię peripateticæ fundator scripta reliquit, scimus physicam esse scientiam de rebus naturalibus. Hinc cum Arist. 6. met. tex. 2. apertè dicat *tres erunt speculatiua philosophia, Mathematica, naturalis, & Theologia*, hoc est metaphysica, has tres, & neque plures, neque pauciores esse scientias asserendum est.

8 Dices primò melius esse desumere diuersitatem scientiarum à diuersitate potentiarum, à quibus pendent, ita vt mathematica sit vna scientia quia pendet à potentia imaginatiua, physica, quia pendet ab experientia sensuum, metaphysica verò, quia pendet à lumine intellectus. Respondeo, radicaliter partialiter desumi diuersitatem scientiarum à diuersitate principiorum, quorum aliqua fundantur in imaginatione, alia in experientia sensuum, &c. dixi radicaliter partialiter, quia radicaliter etiam desumitur earum diuersitas ab obiecto attributionis; at neutrum esse satis, sed requiri tanquam vltimum determinatiuum placitum primorum sapientum, constat ex dictis. Discursus Thomistarum desumentium diuisionem scientiarum ex diuersa abstractione à materia, a multis benè impugnatur solum addimus, quod ad tale etiam diuisionis fundamentum, si cæteroqui subsisteret, opus esset placito primorum sapientum tanquam vltimo determinatiuo constituente talem diuisionem.

9 Dices 2. Phisica agit de rebus naturalibus, quę sunt corruptibiles, ergo non potest esse scientia. Re-

ſpondeo res corruptibiles quoad exiſtentiam eſſe incorruptibiles, & neceſſarias ſecundum eſſentiam, ſeù quoad connexionem prædicatorum, non quod eſſentia rerum naturalium præſcindendo ab exiſtentia ſit abſolutè loquendo, aliquid ab æterno, & neceſſarium; ſed quod quælibet res naturalis, ſi exiſtat, debeat cum tali eſſentia, & exiſtentia exiſtere, quod vtique cum ſit quid neceſſarium cadere poterit ſub ſcientiam. Neque dicas ex hoc ſequi, quod omnes cognitiones ſcientificæ in Phyſica ſint conditionatæ, nam quando Phyſica conſiderat, quod eſſentia, v.g. hominis ſit eſſe animal rationale, formaliter loquendo, talis propoſitio eſt abſoluta, ſed ſi exactè examinetur non poterit eſſe neceſſariò vera, niſi reſoluatur in conditionatam. Porrò vtrum quælibet ſcientia totalis habitualis, quę ex his actualibus gignitur, ſit vna ſimplex qualitas conſtabit ex dicendis, vbi de habitibus.

CAPVT SECVNDVM.

De Obiecto Phyſicæ.

1 EX dictis capite ſuperiori inferimus obiectum attributionis adæquatum in Phyſica eſſe omne, & ſolum ens naturale, vt naturale. Hoc eſt quidquid, vel eſt natura, qualis ſolùm eſt in rigoroſa locutione Ariſtotelis 2. phyſic. tex. 21. materia, & forma ſubſtantialis: vel eſt à natura, quale eſt totum, quod ex materia, & forma ſubſtantiali componitur: vel eſt ſecundum naturam, cuiuſmodi ſunt accidentia, quæ naturę, vel compoſito naturali naturaliter competunt. Hoc autem probatur ex ipſo nomine phyſicæ, quæ à natura tale nomen accepit, cum verò dici non poſſit, quòd à primis ſapientibus hoc nomen fuerit impoſitum phyſicæ, ex eo quod cōſideret per ſe ſolam materiam, & formam, quæ ſolùm in rigoroſa locutione Ariſtotelica ſunt natura, dicendum eſt, quod fuerit illi hoc nomen impoſitum, ex eo, quod per ſe conſideret omne ens naturale.

2 Præterea Ariſt. ex cuius intentione tanquam Principis Philoſophię Peripatheticæ deſumendus eſt finis cæterorum, docet finem adæquatum phyſicorum complecti ea omnia, quæ diximus: nam lib. 1. de anima tex. 17. ait, *Naturalis circa omnes quæcunque talis corporis*, & *huiuſmodi materiæ operationes, & paſſiones ſunt, circa quæcumque autem, quæ non ſunt huiuſmodi alius*. Ex his autem vltimis verbis apparet, Ariſtotelem locutum fuiſſe de his, quæ à phyſica conſiderantur per ſe, cū enim phyſica per accidens loquendo verſetur etiam circa operationes, quæ non ſunt corporum naturalium, doctrina illa Ariſtotelis, quod ſcilicet phyſica non verſetur circa operationes, quæ non ſunt corporis naturalis non eſſet vera, ſi ibi non loqueretur de conſideratione per ſe. Ergo dicendum neceſſariò eſt, quod iuxta ſententiam Ariſtotelis non ſolùm corpus naturale, ſed etiam eius operationes, & accidentia conſiderentur per ſe in phiſica. Idem conſtat ex 2. phyſic. tex. 72. vbi ait, *Atque omnino quæcunque mota mouent, quæcunque autem non, non amplius phyſicæ ſunt*; ex quibus inferre poſſumus, quod quando Ariſtoteles alibi recenſens ea, quæ conſiderantur à phyſica, non numerauit accidentia ſenſibilia, non propterea voluerit illa excludere, quæ locis citatis ſatis recenſuerat.

3 Adde phyſicam eſſe vnam è tribus ſcientijs ſpeculatiuis, quæ ita diuiſerunt ſibi omne obiectum ſcibile, vt nihil ſit ſcibile, quod ab aliqua ex his ſcientijs per ſe non conſideretur, ergo cum Metaphyſica ſibi conſtituerit pro fine ens, vt ens; Mathematica quantitatē, ſeù extenſionem terminatā, vt terminatam, debuit phyſica proponere ſibi pro obiecto omne ens naturale, ne dicamus dari aliquod ens, quod à nulla ſcientia per ſe conſideretur; contra id, quod docet Ariſt. tum 6. metaphyſic. tex. 4. tum 4. metaph. tex. 5. vbi ait, Philoſophi eſt de omnibus poſſe ſpeculari. Demum illud dicendum eſt per ſe fuiſſe intentum à primis Phyſicis, quòd per ſe nunc intenditur communiter à Phyſicis: hi autem per ſe intendunt conſiderationem omnium entium naturalium etiam accidentalium, potior enim pars phyſicæ circa illorum conſiderationem ita verſatur, vt ſi cognitio accidentium, & materiæ, & formę non inſeruiret ad cognitionem compoſiti naturalis, adhuc eorum conſideratio, vt potè maximè expetibilis, intenderetur à Phyſicis.

4 Dices primò, Materia, & forma ordinantur ad compoſitum, & accidentia ad ſubſtantiam, ergo non poſſunt conſiderari per ſe. Reſpondeo, quamuis accidentia ſint per ſe ordinata ad ſubſtantiam, vt nullo modo intendantur à natura gratia ſui, non propterea etiam eorum conſideratio ita neceſſariò intendi debet in ordine ad ſubſtantiam, vt intendi etiam non poſſit per ſe, nam quantitas eſt accidens, & tamen intenditur per ſe à Metaphyſica, ſimiliter quamuis cognitio de accidentibus deſeruiat ad cognitionem de ſubſtantia, poterit tamen intendi per ſe ratione bonitatis, quam habet præſcindendo à bonitate, quam habet in ratione medij. Porrò benè poſſunt accidentia participare rationē obiecti attributionis in phyſica, quia etiam de accidentibus poſſunt demonſtrari paſſiones; ita enim accidentia ſunt paſſiones ſubſtantiæ, vt ſint principium aliarum paſſionum, quæ licet poſſint demonſtrari de ſubſtantia, cui vltimò debentur non tamen hoc facit, quo minus demonſtrari etiam poſſint de ipſis accidentibus, ęqualitas enim, v.g. vel inęqualitas demonſtrari poteſt de ipſo accidente quantitatis, imò de hoc ſolùm de facto demonſtratur à mathematica. Dum verò dicimus de accidentibus demon-

demonstrari passiones, non est sensus, quod passiones, quæ demonstrantur sint semper physicè ab ipsis accidentibus distinctæ, sufficit enim, quod sint solùm distinctæ metaphysicè, ex quo fit, vt euitetur processus in infinitum, cum deueniamus ad aliquã accidentium passionem, Physicam quidem, sed non nisi metaphysicè ab accidentibus distinctam, de qua in physica non quæritur alia passio.

5 Dices secundò, Arist. 11. metaphysic. cap. 2. ait: nullam scientiarum versari circa accidens. Respondeo Aristot. locutum fuisse de accidente complexo de integra scilicet propositione, in qua prædicatum per accidens conueniat subiecto, v. g. quod sub Cane fiat frigus, quod vtique non cadit sub scientiam; cæterum de accidente incomplexo dari scientiam constat tum in mathematica, tum etiam quia cum possimus certò, & euidenter scire quod v. g. Albedo sit disgregatiua visus, non minus quam sciamus passiones substantiæ, non est cur etiam de accidente incomplexo non possit dari scientia. Pariter dum 4. metaph. tex. 4. dixit Aristot. tot philosophiæ partes sunt, quot substantiæ, non potuit nomine substantiæ intelligere id, quod rigorosè est substantia, quia de accidente quantitatis de facto datur scientia mathematica.

6 Dices tertiò, solus Deus est obiectum attributionis in Theologia, etiam si cognitio v. g. de Sacramentis præscindendo ab ordine, quem habent ad Deum sit per se expetibilis, ergo idem dicendum est in Physica de accidentibus. Respondeo quod si velis sustinere cognitionem de Sacramentis habere aliquam expetibilitatem per se præscindendo ab ordine ad Deum, dicendum etiam tibi erit, quod Deus respectu Theologiæ sit solùm, vel primum subiectum radicale, vt ait Sanctus Bonauentura, vel subiectum primum in perfectione, vt loquuntur Occamus, & Gabriel, vel subiectum principale, vt loquitur Albertus apud Vasquez in 1. p. d. 10. q. 1. a. 7. c. 4. Cæterum negare non poteris, quod si per te cognitio de Sacramentis est pars illius, quod per se à Theologia expetitur, etiam Sacramenta participent aliquam rationem obiecti attributionis in Theologia, licet minus principaliter.

7 Dices quartò, sequeretur, quod in Physica nulla darentur obiecta attributa, si ipsa etiam accidentia participarent rationem obiecti attributionis. Sed contra est, quia obiecta attributa erunt, quæ considerantur in physica merè in ordine ad aliud, qualia erunt, quæ non sunt de se sensibilia, sic Intelligentiæ tanquam motrices Cœlorum considerantur in physica, sed non per se, quamuis enim sint principium motus sensibilis, non tamen sunt principium motus sensibilis sibi intrinseci, quod requiritur ad hoc, vt aliquid participet rationem obiecti attributionis in physica, ex Aristotele enim 2. physic. tex. 11. *Ad physicam pertinent quæcunque mota mouent, quæcunque autem mouent quidem, sed non mouentur*, intellige sensibiliter, *non amplius physicæ sunt*. Cum ergo Intelligentiæ moueant quidem, sed non moueantur sensibiliter, non considerabuntur per se à physica. Dispar est ratio de anima rationali, hæc enim per se ad physicam pertinet, quia est principium motus sensibilis in corpore, cum quo facit vnum per se; ideòque cum anima rationalis non verò intelligentiæ sint principium motus sensibilis intrinseci, illa, non hæ, per se spectabunt ad physicam. Hinc anima rationalis non vnita substantialiter corpori, sed illi merè assistens, non pertinet per se ad physicam.

8 Ex intentione pariter primorum sapientum, quæ ex verbis Arist. nobis innotescit, statui etiam hic potest obiectum attributionis in Metaphysica esse ens reale, vt ens reale est; excluduntur autem entia rationis, non quia non possit dari conceptus communis vniuocus enti reali; & rationis, hoc enim esse falsum constat ex dictis dist. 4. cap. 2. num. 4. Sed quia Aristoteles exclusit entia rationis ab ijs, quæ per se considerantur in Metaphysica; in fine enim libri octaui metaph. statuens, de quo nã per se, & directè agendum esset in Metaphysica, ait, iuxtà interpretationem Fonsecæ. *Quapropter hæc quidem missa faciamus, eius verò, quod propriè est ens, causas, principiaque consideremus*. Demum obiectum attributionis in Matthematica erit quantitas, seu extensio terminata, vt terminata, de terminata enim sola demonstrari possunt proprietates æqualitatis, inæqualitatis, &c. quæ demonstrantur in Mathematica.

9 Inferri ex dictis potest primum dignitatis locum inter has scientias obtineri à Metaphysica, medium à Physica, vltimum à Mathematica. Ex Aristotele enim 4. Met. tex. 2. honorabilissimam oportet circa honorabilissimum genus esse, quare Metaphysica erit honorabilissima, cùm versetur circa ens, vt ens, ideòque circa substantias etiam spirituales, & Diuinam: E contra Mathematica erit omnium infima, cum habeat pro obiecto vnum tantum accidens quantitatis, seu extensionis; ex quo sequitur, quod Physica habens obiectum ignobilius obiecto Metaphysicæ, & nobilius obiecto mathematicæ medium debeat dignitatis locum obtinere.

CAPVT TERTIVM.

De Primo Cognito Physico.

Occasione Methodi seruandæ in Physica quæritur quidnam cognitione originata à sensibus prius cognoscatur, pro qua re sit:

SECTIO PRIMA.

Quidnam cognitione originata à sensibus prius cognoscatur, singularene, an vniuersale.

1 POstquam sensus expressit sensationem de aliquo obiecto statim etiam ab intellectu de eodem elicitur intellectio. Illud ergo quod hìc quæritur est, vtrum prima illa cognitio, quæ immediatè sequitur sensationem, sit cognitio de singulari, an verò de vniuersali, illud enim, quod per primam illam cognitionem cognoscitur, erit primum cognitum physicum, sed quia non desunt, qui dicant vniuersale esse primum cognitum, ex eo, quod absolutè negent posse à nostro intellectu cognosci singulare, ideò probandum prius est: verè posse à nobis singulare cognosci, ita vt de eo saltem physicè certificemur. Hoc ergo probatur. Primò, quia quilibet cognoscit se ipsum, & se esse hunc hominem in singulari, & in indiuiduo. Secundò, quia possumus cognoscere aliquam collectionem proprietatum, quæ nunquam in alio erit, ergo per illam possumus cognoscere principium talis collectionis proprietatum, quod est indiuiduum, sicut enim dicitur cognoscere vniuersale, v.g. Animal, quia cognoscimus sensationes, quarum Animal est principium, ita quia, quando obiectum est debitè applicatum potentiæ, cognoscimus talem collectionem proprietatum, quæ nunquam in alio erit, cognoscemus etiam indiuiduum, quod est talis collectionis principium.

2 Dices: si ostendam tibi ouum A, & deinde illo abscondito ostendam tibi aliud ouum illi simillimum, non poteris dicere vtrum hoc secundum ouum sit idem, vel diuersum à primo, & tamen vtrumque fuit debitè applicatum potentiæ, ergo verè non cognoscitur indiuiduatio vtriusque oui. Respondeo in hoc, & similibus casibus, quando collectio aliorum accidentium non est distinctiuum sufficiens, recurrendum esse ad accidentia loci, & temporis, quæ cum alijs conflent vnam accidentium collectionem, quæ nunquam in alio erit. Sed adhuc ista accidentia non semper completè indiuiduant obiectum in ordine ad nostram cognitionem. Quando enim obiectum actu, & sine interruptione cernitur, tunc tempus, & locus completè indiuiduant obiectum, etiam quoad nostram cognitionem, secus verò quando visio interrumpitur. Ouum ergo, quod nunc de præsenti video, cognosco secundum completam indiuiduationem, ita vt à quolibet alio, quod secundum completam indiuiduationem cognoscam, possit à me distingui. At ouum, quod vidi, sed non video de præsenti, cognoui, sed non cognosco secundum completam indiuiduationem, ideòque nil mirum, si ouum, quod video de præsenti, non possim distinguere ab ouo, quod vidi, quia ad hoc, vt distinguerem vnum ab alio necesse esset, quod vtrunque cognoscerem secundum completam indiuiduationem, licet ergo nunc benè recorder loci, & temporis oui illius, quod vidi, hæc tamen accidentia non sunt hic, & nunc completè indiuiduantia ouum illud in ordine ad meam cognitionem, quia non actu illud video, ideòque ad completam indiuiduationem necesse esset, quod accidentia illa connotarent actualem vtriusque oui visionem, si enim vtriusque oui haberem simul actualem visionem possem vnum ab alio distinguere.

3 Dixi posse nos certificari de indiuiduo saltem physicè stando scilicet intra fines naturæ, & præscindendo à miraculo, nam metaphisicè, etiamsi simul videam duo oua in diuersis locis, adhuc possum dubitare vtrum ouum A, sit hoc indiuiduum distinctum ab ouo B, cum enim possit ouum A, esse replicatum, posset per miraculum ouum, quod video in loco A, esse idem cum ouo, quod video in loco B.

4 Posito quod verè possit à nostro intellectu cognosci singulare, dicendum est, cognitione originata à sensibus prius à nobis cognosci sensibilia singularia, quam vniuersalia. Probatur primò, experientia: proposito enim sensibus aliquo obiecto singulari, statim illud ab intellectu cognoscitur, absque eo quod mediet vlla cognitio de vniuersali. Secundò ex communi sententia, docente, vniuersalia fieri per abstactionem à singularibus. Tertiò, quia causa necessaria, qualis est intellectus, non impedita statim producit effectum nobilissimum, quem potest, ergo statim, & primò eliciet cognitionem de sigulari, vt potè perfectiorem cognitione de vniuersali, quæ cum sit confusior, est etiam imperfectior. Quartò, quia falsum est ab intellectu non cognosci singulare, nisi reflexè, ex eo scilicet,

cet; quod prius percipiat naturam vniuersalem, & quia aduertit illam necessariò debere existere in aliquo singulari, ideò deindè colligat, & cognoscat dari singulare, tùm quia quis expertus est se vnquam fecisse tales discursus? tùm etiam quia pueri, & rustici quid sciunt, quod non possit dari vniuersale, & tamen cognoscunt se ipsos, cognoscunt hoc non esse illud, ideòque cognoscunt indiuiduū. Malè verò hoc fundatur in Aristotele tertio de anima tex.10. ibi enim exemplo lineæ inflexæ nihil aliud docere voluit Philosophus, nisi quod intellectus in cognoscendo singulare, prius se veluti inflectat ad sensum, & postea recto intuitu se se ad percipiendum vniuersale conuertat.

6 Dices ex Aristotele hìc: Pueri principio quemlibet virum vocant patrem, ergo prius cognoscunt rationem communem patris, quam huius patris. Respondeo nego consequentiam, non enim possent quemlibet virum appellare patrem, nisi initio vnum determinatum indiuiduum virile cognouissent, quod deinde confundunt cum alio, in quo tamen adhuc cognoscunt hæcceitatem. dum illud intuentes cognoscunt existere in hoc loco, in hoc tempore, cum his accidentibus, &c. Quomodo verò intelligendus sit Aristoteles, dum docuit ab vniuersalibus, quę cum sint aliquid totum, sunt notiora, procedendum esse ad singularia, quæ sunt partes, constabit ex dicendis sectione sequenti, interim dico per vniuersalia intelligi etiam posse obiecta singularia quidem, sed confusè cognita, inter ipsa enim singularia cognitione confusa originata à sensibus, prius cognoscimus, quæ sunt magis confusa, eo modo quo explicabimus; prius enim cognoscimus hoc animal, animal scilicet existens in tali loco, tempore, &c. quam cognoscamus hoc animal, & huius speciei. Porrò hoc animal, quantumuis secundum prædicatum genericum cognoscatur vt hoc, & vt singularizatum, dici tamen potest, vniuersale in comparationem animalis cogniti in indiuiduo, sed cum prædicato aliquo specifico.

7 Infertur ex dictis singularia prius cognosci, quam vniuersalia tum prioritate temporis, cum hæc ab illis abstrahantur, tùm prioritate naturę, cum cognitio de singularibus habeat saltem rationem conditionis, ad hoc, vt cognoscamus vniuersalia, tùm prioritate à subsistendi consequentia, cum inferri possit; cognitum est vniuersale; ergo cognitum est singulare, non tamen è contra est cognitum singulare, ergo & vniuersale.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum in ipso singulari cognitione confusa originata à sensibus prius cognoscatur gradus magis vniuersalis singularizatus, quam gradus minus vniuersalis singularizatus.

1 COmparauimus Sect. superiori singulare cum vniuersali abstracto, comparamus hìc ipsa singularia, seù gradus singularizatos inter se: & quia in obiecto singulari non distinguuntur gradus, nisi per cognitionem confusam, ideò quæstio de hac solum cognitione procedit, & id, quod quærimus est: proposito aliquo obiecto singulari v.g. Petro de quo dicere possumus, quod sit hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, quid prius cognitione confusa originata à sensibus cognoscatur, hoc viuens, quod est gradus magis vniuersalis singularizatus, an hoc animal, quod est gradus singularizatus minus vniuersalis.

2 Sed pro resolutione distinguendum est inter gradus singularizatos, & gradus disparatos; gradus enim subordinati desumuntur per ordinem ad idem accidens diuersimodè cognitum, gradus verò disparati desumuntur per ordinem ad diuersa accidentia: sic principium motus, & principium motus progressiui sunt gradus subordinati, ambo enim desumuntur in ordine ad idem acidens motus nunc cognitum confusè solùm sub ratione motus, nunc verò cognitum clarè sub ratione motus progressiui, ipsa verò ratio progressiui non est accidens diuersum, sed est mera modificatio motus. Sic Aristoteles loquens de differentijs subordinatis docet omnem differentiam pedum debere esse aliquā peditatem, hoc est aliquid pertinens ad pedes, illosque modificans, qualis est fissio, vel sodalitas, è contra gradus disparati dessumuntur per ordinem ad diuersa accidentia, sic esse pennatum, & esse pedatum dessumuntur per ordinem ad accidentia pennarum, & pedum, quę ita sunt inter se diuersa, vt potius accidentia pennarum modificent accidentia pedum, quam è contra.

3 His ergo positis dicendum primò est: ex gradibus sensibilius singularizatis, & subordinatis cognitione confusa originata à sensibus prius cognosci gradum magis vniuersalem, quam minus vniuersalem, ideòque prius cognosci v.g. principium motus, quam principium motus progressiui; ratio est manifesta, quia gradus minus vniuersalis subordinatus est modificatiuus gradus magis vniuersalis, ergo non modo non potest cognosci prius, quam magis vniuersalis, sed nullo modo cognosci potest absque gradu magis vniuersali, non enim possumus cognoscere principium motus progressiui non cognoscendo principium motus, at possumus cognoscere principium motus, non cognoscendo principium motus progressiui.

4 Dices, gradus minus vniuersalis est propinquior singularibus, ergo prius cognoscitur. Respondeo tam gradum magis, quam minus vniuersalem singularizatum esse æquè propinquum singulari,

cum

cum vterque sit singularizatus . Porrò in huiusmodi gradibus cessat argumentum illud, quod gradus minus vniuersalis habeat plura accidentia , ideòque prius cognosci debeat, nam cum vterque gradus desumatur in ordine ad idem accidens , non plura accidentia habet vnus gradus , quam alius ; ex alia verò parte quia quando adest impedimentum distantię , debilitatis potentiæ, &c. idem accidens facilius prius cognoscitur cognitione magis confusa , quam minus confusa ; Hinc prius cognoscitur gradus magis vniuersalis in ordine ad accidens confusè cognitum , quam gradus minus vniuersalis in ordine ad idem accidens clarè cognitum , atque hæc est secunda ratio conclusionis positæ.

5 De gradibus disparatis dicendum est : illud prius cognosci , cuius accidentia prius cognoscuntur , cum verò in accidentibus disparatis hoc quod est esse magis , vel minus vniuersale , seù esse magis , vel minus latè parens impertinenter se habeat ad minorem , vel maioriem cognoscibilitatem. Hinc dicimus , quod ad iudicandum ; qui nam in gradibus singularizatis, sed disparatis, sit prius cognoscibilis , maior, vel minor vniuersalitas impertinenter se habeat, & attendi solùm debeat ad maiorem sensibilitatem vnius respectu alterius, quæ nunc est in magis,nunc in minus vniuersali, & primò quidem in accidentibus disparatis maiorem , vel minorem vniuersalitatem impertinenter se habere ad maiorem , vel minorem cognoscibilitatem patet , quia, quod vnum accidens magis latè pateat,& pluribus conueniat , quam aliud est per accidens ; licet enim de facto , v.g. plura dentur animalia habentia pedes , quam hebentia plumas , potuit tamen accidere oppositum , si videlicet Deus plura creasset habentia plumas , quam habentia pedes ; at quod vnum sit magis, ideòque prius cognoscibile , quam aliud non est per accidens , sed habetur ratione maioris sensibilitatis in vno , quam in alio ; maior autem sensibilitas aliquando est in magis,aliquando in minus vniuersali,licet enim gradus loco motiui semper sit vniuersalior gradu hinnibilis , si tamen equus hinniat validissimè , & moueatur lentissimè,prius certificabor de gradu hinnibilis minus vniuersali, quam de gradu loco motiui magis vniuersali . Sicut è contra, si moueatur validissimè, & hinniat lentissimè , prius certificabor de gradu loco motiui magis vniuersali , quam de gradu hinnibilis minus vniuersali , & tamen motus localis, siuè validus , siuè tardus , semper constituit gradum magis vniuersalem , ergo esse prius , vel posterius cognoscibile non ex maiori, vel minori vniuersalitate, seù latepatentia, sed ex maiori accidentium sensibilitate desumendū est, quę non per accidens , sed per se dicit ordinem ad cognitionem dependenter à sensibus. Quare cum in disparatis maior sensibilitas, vt vidimus nunc sit in gradu magis vniuersali, nunc in minus vniuersali , non potest scientifica , & vniuersalis doctrina statui, vtrum in gradibus disparatis gradus magis , an minus vniuersalis sit prius cognoscibilis.

6 Ex his infertur , quomodo sit intelligendum dictum Aristotelis hic tex. 4. quod totum secundum sensum notius est .. Duplex enim distinguendum est totum , aliud physicum , aliud Metaphysicum , totum physicum prius cognoscitur , quàm pars physica, sic tota domus prius cognoscitur , quam fenestra, tota enim domus , vt ait Aristoteles . *Multa comprehendit vt partes* , sic etiam pueri omnes viros appellant patres , quia facilius cognoscunt totum resultans ex accidentibus communibus cuicunque viro , & ex accidentibus proprijs huius viri , quam partem , accidentia scilicet propria huius viri . Totum metaphysicum in gradibus subordinatis non prius cognoscitur , quam pars metaphysica ; Totum enim metaphysicum in gradibus subordinatis est gradus inferior , qui cum explicitè , & per se sit modificatiuus superioris , importat etiam distinctè superiorem , atqui non prius cognoscitur gradum importans distinctè duo, quam gradus superior importans vnum distinctè , & aliud confusè . In gradibus disparatis neuter est per se loquendo totum respectu alterius , sed solùm per accidens ; licèt enim de facto esse pennatum contrahat pedatum , poterat tamen æquè bene accidere oppositum; quare de his non datur scientia.

DISTIN-

DISTINCTIO SECVNDA.

De Principijs rerum naturalium in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quot, & quæ sint principia intrinseca rerum naturalium in fieri.

1 TRIA cum Aristotele dicimus esse huiusmodi principia, materiam, formam, & priuationem; hæc enim tria sunt constitutiua, & principia intrinsecè componentia hoc, quod est rem naturalem fieri, quia sunt de essentiali, & intrinseco conceptu huius, quod est rem naturalem nunc esse immediatè ante non fuisse; *rem* enim *naturalem nunc esse* importat tanquam principia intrinsecè constitutiua materiam, & formam, vt infra constabit, *immediatè ante non fuisse* importat priuationem: sic vt habeatur, v. g. ignis in fieri requiritur, quod immediatè ante præfuerit priuatio formæ ignis requiritur ipsa forma ignis, quæ fit, & materia, seu commune subiectum, quod præfuerit sub priuatione formæ ignis, & nunc sit cum forma ignis.

2 Dices primò etiã agens est de essentiali, & intrinseco conceptu rei naturalis in fieri, tũ quia fieri formaliter est ab aliquo fieri, tum quia Arist. quærit principia rerum naturalium in fieri dependentibus à viribus agentis naturalis. Respondeo agens ita necessariò requiri, vt sit extrinsecum, non verò intrinsecum constitutiuum rei naturalis in fieri, si enim solum intelligamus materiam de non habẽte formam fieri habentẽ, & ab alio quocunque prescindamus, intelligimus rem naturalem fieri, sic vt habeatur dependentia creaturæ à Deo necessariò quidem requiritur Deus, sed tanquam quid extrinsecũ non tanquam quid intrinsecè constitutiuum talis dependentiæ, quare licet fieri importet formaliter ab aliquo agente fieri, sicuti dependentia importat formaliter ab aliquo dependentiã: non tamẽ agẽs est intrinsecè constitutiuũ rei in fieri, sicut id, à quo est dependentia non est intrinsecũ constitutiuum dependentiæ. Similiter dicendum est, Arist. quærere principia rerum naturaliũ dependenter à viribus agentis naturalis, sed tanquam ab aliquo requisito, non tanquam ab intrinsecè constitutiuo.

3 Idem dicendum de forma opposita, & de dispositionibus præcedentibus, si enim neque intelligitur forma præcedens opposita, neque intelligantur præfuisse dispositiones, dummodò intelligatur nunc in materia esse forma immediatè ante non fuisse, intelligitur res naturalis in fieri. Hinc quando Aristot. 1. Pysic. tex. 43. dixit *album fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro* solum docere voluit ad album non sufficere quamcunque negationem, & quodcunque non album; nam Angelus, v. g. qui non est albus, non potest fieri albus, sed ad album requiri nigrum, aut aliquod aliud coloratum, quod proinde sit capax recipiendi albedinem, ideòque per hoc innuit, quod requiratur materia capax albedinis, quod perinde est ac materia cum priuatione albedinis.

4 Dices secundò, si creetur à Deo materia, v. g. quæ in eodem instanti temporis informetur forma ignis, dabitur ignis in fieri absque priuatione, ergo priuatio non est de essentiali conceptu rei naturalis in fieri. Respondeo priuationem esse de essentiali conceptu rei naturalis in fieri per transmutationem, ad quam priuatio necessariò requiritur, cum non possit intelligi materia transmutari, absq; eo, quod de non habente formam fiat illam habens; licet ergo non requiratur priuatio ad fieri per aliquam aliam productionem non physicam, hoc tamen non facit contra nos, qui non inuestigamus principia rerum naturalium, nisi in fieri per transmutationem sensibilem, quæ est medium doctrinæ, quod vt physici adhibemus.

5 Dices tertiò. Præter assignata principia requiritur etiam duratio, vbicatio, vnio, &c. Respondeo, & primò, nomine formæ venit forma informans, quidquid deinde sit id, per quod forma constituatur informans, cum enim aliqui velint formam constitui in ratione informantis per vnionum distinctã, alij verò nequaquam non debui initio afferri tanquã principiũ distinctũ id, quod solũ in aliquorũ sententia est tale. Idẽ dicendum de alijs modis, qui si ponuntur distincti non erunt nisi complementa principiorum, sicut enim quando dicims, v. g. Petrũ existere, implicitè etiam dicimus existere durationem, vbicationem, & modos omnes, quibus Petrus existit, ita dum assignamus hęc tria principia, assignamus etiam modos omnes necessariò ad illa requisitos, siue sint, siue non sint distincti.

6 Cum nullum esse negationibus, & priuationibus tribuerimus lib. 1. dist. 4. cap. 11. explicandum hic est, quomodo priuatio possit esse principium, si nullum habet esse; Sed dicendum est, est principia, & constitutiua intrinseca debere esse eiusdem rationis cum constituto, & principiato, ideòque si constitutum sit totaliter habens esse, etiam constitutiua debent esse totaliter habentia esse; quod si constitutum sit partim habens esse, partim nullum habens esse, etiam constitutiua debe-

bunt esse partim habentia, partim non habentia vllum esse hoc posito constitutum, cuius quærimus principia intrinseca, & constitutiua, est *res naturalis in fieri*, quod partim est habens esse, partim nullum habens esse; prout enim importat, quod immediatè non fuerit, nullum dicit esse; quid mirum ergo, quod inter huius constituti constitutiua numeretur etiam priuatio, quæ nullum habet esse, sicut enim ex Arist. ipsum non ens, esse non ens dicimus, ita de priuatione dicimus, quod sit principium priuatiuum, nihil aliud tamen per hoc designantes nisi quod ad hoc vt concipiatur: *rem naturalem nunc esse immediatè ante non fuisse*, concipi debeat *non fuisse*, quod idē est, ac debere cōcipi priuationem, quid quid tandem sit priuatio, & *non fuisse*; quod ad rem præsentem nihil facit.

7 Præterea sicuti de non ente dicimus esse non ens, & de priuatione, quæ non habet vllum esse dicimus, quod sit principium priuatiuum, ita de eadem priuatione dicendum vlterius est quod principiet, quando primò non est, nam priuationem principiare nihil est aliud, quam esse de intrinseco conceptu rei naturalis in fieri, sed ad hoc, vt concipiatur res naturalis fieri, debemus concipere priuationem immediatè ante fuisse, ergo priuatio principiat, quando primo non est; quando enim priuatio primò non est, tunc illa intelligi debet, ad hoc vt intelligatur res naturalis fieri. Confirmatur exemplo domus antiquæ & hominis senis, inter principia enim intrinsecè constitutiua domus antiquæ, & hominis senis, ingrediuntur anni præteriti, de quibus si petatur, quando nam principient, & constituant domum antiquam; & hominem senem. Respondendum est quod principient, quando non sunt, quia quando perierunt; & non sunt, debent intelligi, ad hoc vt intelligatur domus antiqua, & homo senex.

8 Quod si demum quæras, quæ nam priuatio sit principium, priuatio formæ, an priuatio vnionis formæ? Respondeo. Priuationem, quæ est principium, denominatiuè loquendo, esse priuationem formæ in materia, seu priuationem formæ informantis; per hoc enim, quod nunc sit forma in materia, & informans materiam, immediatè ante non fuerit forma in materia habetur res naturalis in fieri; loquendo tamen rigorosè, ac de priuatione necessario requisita, hæc non est nisi priuatio vnionis formæ cum materia; dummodo enim hæc solùm priuatio intelligatur præextitisse, siuè præextiterit, siue nō præextiterit etiam carentia de existentia formæ perinde est ad rem naturalem in fieri.

CAPVT SECVNDVM.

Explicatur Aristotelica definitio principiorum rerum naturalium.

1 PRæter definitionem principij in communi affert hic Aristoteles tex. 42. aliam principiorum definitionem, quæ sic communiter proponitur. Principia sunt, quæ non fiunt ex alijs neque ex alterutris, sed ex his omnia. Hanc definitionem licet desumpserit Aristoteles ab Antiquis, eam tamen approbauit, ac proinde à Peripatheticis communiter recipitur, vti eam nos etiam recipimus, non tamen tanquam propriam principiorum rerum naturalium, sed æquè omnibus primis principijs communem. Primò enim omnibus primis principijs conuenit non fieri ex alijs, in eo genere, in quo sunt principia, quia aliter in illo genere non haberent primitatem requisitam ad rationem principij, vt diximus cap. super. num 2. nulla pariter principia fieri debent ex alterutris quod enim pendet ex alio, non est primum, sed posterius respectu illius, à quo pendet; ideòq; si duo inter se mutuam haberent dependentiam, neutrum esset verè, & absolutè primum respectu alterius, ideòque non nisi complexum ex vtroque posset esse principium respectu alicuius tertij, quod à tali complexo principiaretur. Demum omnibus primis principijs, vt per se patet, conuenit, vt omnia, quæ in aliquo genere, & ordine principiantur, à principijs in tali genere, & ordine primis principiētur. Verè ergo hæc definitio omnibus primis principijs æquè cōuenire potest.

2 Sed quomodo hæc definitio ad sola principia intrinseca rei naturalis in fieri restricta, debeat explicari, diuersæ sunt auctorum sententiæ, & difficultas oritur ratione illius particulæ *ex*, quæ ter in hac definitione repetitur, nec satis apparet vtrum significet habitudinem elementi componentis, an verò transeuntis. Vna ex præcipuis explicationibus circa hanc rem est, quod particula *ex* significet habitudinem, vel elementi permanentis, vel transeuntis, ita vt sensus definitionis sit: principia rerum naturalium in fieri sunt, quæ in ordine rerum naturalium non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia in ordine rerum naturalium fiunt ex his tanquam ex elemento vel permanente, vel transeunte. Sed statim obijcitur, formam fieri ex priuatione tanquam ex elemento transeunte in mutatione productiua, & pariter priuationem in mutatione corruptiua fieri ex forma, tanquam ex elemento transeunte; ideòque hæc duo principia fieri ex alterutris. Respondent tamen formam, & priuationem non fieri ex alterutris, quia nullo modo fiunt, proroprié loquendo. Fieri enim, inquiunt, propriè loquendo, conuenit solis entibus completis, & acceptis in concreto. Sed contra est primò, quia etiam in communi, & Aristotelico modo loquendi de priuatione, & forma dicitur, quod fiant Arist enim hic tex. 47. ait: *Omnia vtiq; erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs*, ergo formæ, & priuationi, quæ veniunt nomine contrariorū, conuenit in locu-

locutione Aristotelica quod fiant. Secundò Aristoteles afferens rationem, cur hæc tria principia non fiant ex alterutris, non dicit quia non fiant, sed quia sunt prima, & contraria primitas autem, & contrarietas nihil facit ad probandum quod non fiant tanquam terminus completus. Tertiò satis sufficit in allata definitione dicere. Principia sunt, quæ non fiunt; alia enim verba non modo nihil clarius explicant, sed posita explicatione, quam impugnamus reddent mentes audientium dubias, num in verbis illis lateat aliquod mysterium, quod verè nullum est.

3 Melius ergo allata definitio aptabitur principijs rerum naturalium sumendo particulam *ex* semper eodem modo, prout est nota principij intrinseci, seù partis componentis. Ita enim hæc tria principia componunt intrinsecè rem naturalem in fieri cum sint de intrinseco, & essentiali conceptu, & constitutiuo cuiuscunque rei naturalis in fieri sicuti supra probauimus, vt neque ex alijs, neque ex alterius tanquam ex principio intrinseco componatur, nam hæc tria sunt quid simplex, ideòque neque ex alijs, neque ex alterutris componuntur.

4 Dices primò priuatio in fieri fit ex forma opposita, quæ præcessit in materia, tanquam ex elemento componente hoc, quod est priuationem fieri, ergo si tradita explicatio definitionis esset bona principia fierent ex alterutris. Respondeo inter principia rei naturalis numerari quidem priuationem, non tamen priuationem in fieri, sed priuationem præscindentem ab hac circumstantia primi fieri ipsius priuationis: Quare hoc, quod est priuationem primò fieri licet importet nunc esse priuationem immediatè ante fuisse formam priuationi oppositam, tamen quia priuatio, quæ est principium, est priuatio non importans primum fieri, sed accepta de se præcisè: hinc sicuti forma non componit priuationem, ita priuatio, & forma non fiunt ad inuicem.

5 Dices secundò, materia, & forma materialis componuntur ex suis partibus, quibus intrinsecè constat ergo fiunt ex alijs. Respondeo componi ex suis partibus, tanquam ex principijs integrantibus cum è contra principient rem naturalem in fieri tanquam principia, & partes essentiales, ideòque principiant in genere principij intrinseci diuersi ab eo, in quo principiantur. Similiter materia, & forma componuntur ex genere, & differentia, quia tamen genus, & differentia sunt partes solùm metaphysicæ, materia verò, & forma sunt partes physicæ, hinc principiant in diuerso genere ab eo, in quo principiantur, cum physicè principient rem naturalem, non principientur autem à genere, & differentia nisi metaphysicè.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo hæc tria principia inter se conueniant.

1 IN ratione principij intrinseci rei naturalis in fieri non possunt hæc tria principia conuenire merè æquiuocè, neq; enim priuationi conuenit merum nomen principij, sed illi etiam cōuenit ratio per tale nomen importata, cùm non minus priuationi, quam materiæ, & formę conueniat hoc quod est esse de intrinseco conceptu rei naturalis in fieri.

2 Sed neque in tali ratione conueniunt analogicè, quia non est assignabilis quæ nam inter illa detur analogia; primo enim si dicas esse analoga attributionis, assigna analogatum magis principale: Hoc certè neque esse poterit materia, neque forma, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia: neque poterit esse vtraque, quia analoga attributionis sunt, quæ dicunt ordinem ad vnum, quod sit principalius analogatum. Si autem tam materia, quam forma essent analogatum magis principale, non plura dicerent attributionem ad vnum, sed vnum, sola scilicet priuatio, diceret attributionem ad plura, ad materiam scilicet, & formam. Neque potest analogatum principalius esse totum, quia analogato principaliori conuenire debet idem nomen, quod conuenit analogatis minus principalibus, totum autem non est, neque vocatur principium, sed principiatum; Quia ergo non est assignabile magis principale analogatum, hoc est aliquid, cui principalis conueniat ratio principij, dicendum erit omnibus æquè conuenire rationem principij, ideòque in hac ratione conuenire vniuocè. Secundò non possunt esse analoga proportionis, vel metaphorica, vel propria, quia ratio principij neque per metaphoram, neque per meram proportionem, sed propriè, & æquè de omnibus tribus dicitur cum æquè omnia tria sint de intrinseco conceptu rei naturalis in fieri.

3 Dicendum ergo est in ratione principij intrinseci materiam, formam, & priuationem conuenire vniuocè, quia in hac ratione ita æquè conueniunt, vt hæc ratio sit ab illis perfectè præcisa, per hoc enim, quod est esse de intrinseco conceptu rei naturalis in fieri non certificamur vllo modo, quod vel materia, vel forma, vel priuatio sit de intrinseco conceptu rei naturalis in fieri, cum de illarum singulis disputemus, vtrum verè illis conueniat esse de conceptu intrinseco rei naturalis in fieri.

4 Porrò sicuti nomen, in quo aliqua plura conueniunt aliquando explicat aliquid intrinsecum ipsis rebus, quæ in tali ratione conueniunt, aliquando explicat aliquid illis extrinsecum, ita nomen vniuocum aliquando est vniuocum vniuocatione ipsis rebus intrinseca, aliquando illis extrinseca. In re autem nostra hęc principia conueniunt vniuocè vniuocatione merè extrinseca, sicut enim lib. 1.

dist 4. cap. 2. diximus de ente reali, & rationis, quod conueniant vniuocè, vniuocatione tamen extrinseca, in ratione intelligibilis; ita hæc tria principia conueniunt vniuocè in hac ratione, quod scilicet necessariò debeant intelligi, ad hoc vt intelligatur res naturalis in fieri.

5 Sed hæc ratio est ipsis principijs merè extrinseca per denominationem à potentia cognoscitiua, debente hæc tria intelligere, ad hoc vt intelligat rem naturalem in fieri; licet enim materia, & forma habeant præterea meritum, ac debitum intrinsecum, ratione cuius debeant taliter concipi, possunt tamen vniuocè conuenire in denominatione, quæ habetur extrinsecè à potentia intellectiua debente itelligere hæc tria ad hoc, vt intelligat rem naturalem in fieri, ita tamen, vt deinde in materia, & forma detur etiam meritum, & debitum intrinsecum, in priuatione verò nequaquam, sed hæ sunt rationes differentiales.

6 Dices primò, non potest assignari vtrum hæc ratio communis, in qua hæc principia vniuocè conueniunt sit ens, vel non ens. Respondeo hanc rationem communem formaliter præscindere ab hoc, quod sit ens, vel non ens, sicuti ratio animalis præscindit formaliter à rationali, & irrationali; realiter tamen in materia, & forma est ens, in priuatione verò non est ens, sicuti animal realiter loquendo in homine est rationale, in Bruto irrationale.

7 Dices secundò, ratio principij intrinseci est idem, ac ratio partis, sed de ratione partis est importare formaliter aliam compartem, ergo de ratione principij est importare pluralitatem, ergo ratio principij non est perfectè vna. Respondeo nomen, & rationem principij intrinseci non necessariò importare rationem partis, sed solùm rationem intrinseci constitutiui, quod præscindit ab vnitate, & pluralitate; per hoc enim, quod concipiamus confusè principium, & constitutiuum intrinsecum rei naturalis in fieri nescimus vtrum sit vnum, vel multiplex.

8 Infertur ex dictis duo tantùm esse principia intrinseca rerum naturalium in ipso esse, materiam scilicet, & formam, ita tamen vt nomine formæ veniat forma in actu secundò, seù forma informans, & sanè per hoc præcisè, quod habeatur forma informans materiam, habeatur res naturalis in esse, ergo nihil aliud requiritur ad constituendam intrinsecè rem naturalem in esse. Dixi *in esse*, non in facto esse, quia sicuti *fieri* importat priuationem præcedentem ita *factum esse* videtur importare præexistentiam, ideòque principia in facto esse videtentur asse assignanda plura, quam tria, sed in esse præcisè accepto procul dubio non erunt nisi duo. Porrò etiam principijs rerum naturalium in esse conuenit definitio principiorum explicata capite superiori absque eo quod intercedat vlla æquiuocatio, vel diuersa acceptio particulæ *ex*, De his enim quatenus sunt prima principia rerum naturalium in esse verificatur, quod neque ex alijs, neque ex alterutris in ipso esse fiant, seu constent, tanquam ex principio, & parte componente, omnia autem naturalia in suo esse ex his tanquam ex principijs, & partibus componentibus fiant.

DISTINCTIO TERTIA.

De Principijs rerum naturalium in particulari.

CAPVT PIRMVM.

An detur Materia prima.

1 NOmine materiæ primæ venit ens substantiale incompletum, quod in qualibet mutatione substantiali se habeat vt commune subiectum, quod sicuti præfuit sub forma substantiali, quæ corrumpitur, ita recipiat formam substantialem de nouo genitam, & cum illa constituat compositum substantiale. Non defuerunt, qui materiam negauerint, in duas oppositas sententias abeuntes; alij enim dixerunt in mutatione substantiali, v.g. ligni in ignem, lignum secundum se totum perire, & ignem secundum se totum generari; alij è contra dixerunt nihil de substantia ligni perire, nihil de substantia ignis generari de nouo: Sed mutationem omnem haberi per solam aggregationem, & disgregationem corpusculorum. Vt ergo materiæ exist entia inferatur; Vtraque hæc opinio reijcienda prius est.

SECTIO PRIMA.

Vtrum in mutatione substantiali vnum corpus secundum se totum destruatur, aliud verò secundum se totum de nouo generetur.

1 Conclusio est negatiua, & sic probatur: Moriente homine non annihilatur totum illud materiale, seu corporeum, quod in illo præfuit, ergo etiam pereuntibus alijs quibuscunque entibus naturalibus non annihilatur quidquid in illis præfuit. Antecdens patet. Primò quia si quis in ictu oculi moriatur, v. g. per transuerberationem Cordis si totum quod præfuit annihilaretur, quomodo tam subitò posset totaliter de nouo produci tanta moles cadaueris cum tanta partium heterogeneitate, ad quam formandam necessarij fuerunt tot anni? Secundò nulla esset assignabilis causa productiua cadaueris, si quis enim moriatur nimio calore, poterit quidem nimius calor destruere viuens. Sed quomodo poterit totaliter de nouo producere cadauer, cui debetur frigus. Tertiò illud dicendum est naturaliter euidens, quod apud omnes nationes est in confesso; sed apud omnes nationes illustrium virorum corpora, imò, & cineres asseruantur tanquam aliquid, quod in illis præfuit; ergo naturæ instinctu euidens est, quod homo moriens non totaliter annihiletur secundum esse corporeum, quod præhabuit.

2 A paritate hominis, idem dicendum est de brutis, tum quia in illis eædem rationes militant, tum quia Eccles. 3. dicitur *vnus interitus est hominis, & iumentorum, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur*. Demum à paritate animalium idem probatur in reliquis entibus naturalibus, nam in minori, vel saltem pari mutatione non potest plus destrui, quam destruatur in mutatione maiori, vel æquali, sed quando ex equo, v. g. fit cadauer, vel fit mutatio maior, vel certè non minor illa, per quam ex ligno, v. g. fit ignis, ergo si quando mutatur equus in cadauer non annihilatur totus equus, neque quando mutatur lignum in ignem, annihilabitur totum lignum. Minor probatur nam quando mutatur equus in cadauer plura mutantur, quam quando mutatur lignum in ignem: quando enim mutatur equus in cadauer præter mutationem primarum qualitatum, & accidentium non vitalium fit etiā mutatio omnium accidentium vitalium equi, quæ omnia pereunt, quando verò mutatur lignum in ignem, quia in ligno nulla erant accidentia vitalia, non fit mutatio nisi accidentium non vitalium, quæ sola in ligno præerant, ergo vel maior, vel saltem non minor mutatio fit, quando ex ligno fit ignis, ac quando ex equo fit cadauer. Neque dicas in cadauere equi remanere formas partiales, nam hic argumentamur contra negantes materiam, & omnes formas.

3 Confirmatur: sicuti quando mutatur equus in cadauer remanet eadem forma, situs, & proportio partium, ita in carbone igneo remanet eadem figura, & proportio partium, quæ præerat in ligno adeò vt ex ligno, v.g. rotundo, & solido semper fiat carbo rotundus, & solidus. & si carbo igneus immergatur in aquam; ità ignis mutatur in carbonem extinctum, qui est veluti cadauer ignis, vt retineat eandē omninò formā, & soliditatē, &c. & si statim ex frigida extrahatur, retinebit aliquid de pristino calore, non aliter ac retineat equus, qui moriatur inter niues, ergo in vtroque casu non erit dicendus calor mutasse subiectum, sed verè in vtraque mutatione commune aliquod subiectum remansisse.

4 Posito iam quod omni mutationi substare debeat subiectum aliquod, statim infertur materiæ primæ, seù primi subiecti existentia, nam vel illud, quod in mutatione supponitur, vt subiectum, supponit aliquod aliud subiectum, vel non; si non supponit, ipsum erit primum subiectum, & materia prima, si verò supponit aliud, de illo quæram num supponat aliquod aliud, & cum procedi non possit in infinitum, sistendum necessariò erit in aliquo primo subiecto; quamuis enim in nullo genere causarum procedere liceat in infinitum, in causa tamen materiali, quæ est intrinsecum totius compositi fundamentum, euidentius apparet absurditas processus in infinitum, neque enim est intelligibile compositum per se stans, cuius vna pars subiectetur in alia, & alia rursus in alia, quin tandem sistatur in aliqua, quæ cæteris substet.

5 probari etiam solet conclusio posita ex eo, quod alioqui agens naturale posset annihilare, & creare, quorum vtrumque superat illius vires. Sed contra hanc rationem obijci posset: in generatione ignis, v.g. neque ignem propriè creari, neque lignum propriè annihilari, etiam si lignum totaliter destruatur, & ignis secundum se totum producatur, eo quod creatio, quæ repugnat, sit productio vnius absque destructione alterius, & similiter annihilatio repugnans agenti naturali sit destructio vnius absque productione alterius. Respondetur tamen communiter totam creationis difficultatem, ratione cuius illa superat vires agentis naturalis, non oriri ex eo, quod non præcesserit terminus positiuus, qui destruatur, sed ex eo, quod agens naturale produceret aliquid sine concursu subiecti. Verùm adhuc vrgere possent aduersarij dicendo hoc ipsum esse in quæstione, ideòque videri, quod committatur circulus, dum probatur dari materia, ex eo quia implicat agens naturale creare, & rursus pro-

probatur implicare, quod agens naturale creet, quia implicat, quod aliquid fiat de nouo sine concursu materiæ. Quod si dicas non committi circulum, quia aliundè, ex limitatione scilicet agentis naturalis probatur, quod debeat hoc adiuuari ab aliquo subiecto. Contra esse posset, quia hęc ipsa limitatio non videtur posse probari, nisi ex eo quod iam supponitur agens naturale semper de facto iuuari à materia, ideòque si quis persistat in dicendo, quod malè supponitur talis materia, à qua agens naturale iuuetur, non satis apparet quomodo possit redargui.

6 Dices redargui posse ex eo, quia si agens naturale non indigeret concursu subiecti, frustrà requireret terminum præcedentem, quem destrueret; Sed responderi posset, non frustra requiri, cum natura hoc instituerit, ne res vel in infinitum crescant, vel nimium minuerentur; Sicut enim natura abhorret à vacuo, ita non admittit penetrationem corporum, ideòque ad obtinendum vtrumq; hunc finem instituisse, vt quantum de vna re destruitur, tantundem de alia producatur, ne detur vacuum, & similiter quantum de vna producitur, tantùm de alia destruatur, ad hoc vt singulà sine penetratione suum habeant locum, & quamuis dari possit aliqua condensatio, & rarefactio corporum, patet tamen, quod condensatio naturaliter possibilis non esset satis ad dandum vnicuique debitum locum, si generatio vnius non esset destructio alterius, ideòque ad obtinendum vtrumque hunc finem non posse agens naturale producere nisi simul destruat, neque posse destruere, nisi simul producat, cæterum gratis fingi, quod iuuari præterea debeat à materia.

7 Adhuc tamen dicendum est, saltem à posteriori colligi, quod agens naturale debeat semper iuuari à subiecto in genere causę materialis, si enim ex dictis initio huius sectionis satis à posteriori constat, in quacunque generatione semper aliquid remanere de priori composito, quod recipiat in se id, quod de nouo producitur, profectò id, quod remanet adiuuat vires agentis naturalis concurrendo in genere causæ receptiuæ simul cum agente, & si nulla vnquam datur naturalis generatio, in qua aliquid de priori composito non remaneat, inferri debeat eam esse agentis naturalis limitationem, vt nunquam possit de nouo aliquid producere sine concursu subiecti, ideòque agens naturale neque posse quidquam annihilare, nec quidquam creare.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum mutatio substantialis habeatur per solam congregationem, & disgregationem corpusculorum.

1 HAberi non posse probatur primò, tùm ex generatione compositi humani, quod constituatur partialiter per animam rationalem, non potest haberi merè per congregationem atomorum, tùm ex generatione substantiali aliorum viuentium merè materialium, in quibus tanta partium ætherogeneitas, tanta organorum, & vitalium operationum diuersitas, & subordinatio, ac directio ad vnum eundemque finem, ad defendedum scilicet totum viuens, nullo modo haberi potest per mera corpuscula diuersimodè permista, quomodocunque enim componas lapillos, & corpuscula nunquam resultare poterit principium visionis, motus progressiui, subordinatio operationum ad vnum finem, &c. præterea si equus, v.g. per trausuerberationem cordis in ictu oculi moriatur statim perit principium omnium operationum vitalium, & tamen non apparet, quæ nam tanta fiat corpusculorum mutatio, ex qua sequi possint effectus adeò diuersi; quod si aliquam admittas mutationem substantialem, & non merè per corpuscula, non erit cur non idem etiam dicas de reliquis.

2 Probatur vlterius, quia in sententia Atomistarum calor, sapor, & reliqua accidentia non sunt quid realiter distinctum à substantia corpusculorum habentium talem figuram, ac taliter peruadentium, & afficientium organa sensuum, hoc autem repugnat non modo fidei, sed etiam rationi; non enim apparet quomodo, v.g. dulcedo saccari haberi solùm possit à tali figura corpusculorum; nam figura singulorum corpusculorum, si de se seorsim sumantur non potest causare sensationem adeò sensibilem, cum quodlibet corpusculum de se sit ferè insensibile, plura verò corpuscula simul vnita non retinent eandem figuram, & tamen retinent eandem dulcedinem, & si per multuos dies tundantur facta maxima figuræ variatione non propterea fit variatio dulcedinis.

3 Neque verò ex eo, quod aliqua diuersa sensatio oriatur ex diuerso eiusdem corporis contactu, vt accidit in pluma leuiter ducta per nares, dicere propterea possumus, omnem sensationem fieri per tactum, nam licet diuersimodè lingua tangatur à pluma, nunquam tamen lingua sentit dulcedinem, sicuti sentit etiam si diuersimodè nunc scilicet leuiter, nunc grauiter tangatur à Saccaro. Adde neque propterea posse omnia accidentia ab Atomistis tolli, nam ipse motus plumę est quid à pluma, & lingua distinctum, ideòque est accidens, idem dicendum de ipsa atomorum permixtione, quæ debet esse aliquid ab atomorum substantia distinctum, ac de nouo productum. Præterea quid euidentius, quam quod intellectio, volitio, visio, &c. sint quid de nouo productum, si ergo hæc fiunt ex nihilo sui, licet non ex nihilo subiecti, cur non etiam aliæ formæ tam accidentales, quam substantiales fieri similiter poterunt ex nihilo sui, licet non ex nihilo subiecti.

4 Demum de luce, quod non sint corpuscula diffusa per medium probatur ex ipsius refractione

quæ

quæ fiat in sphæra aliqua vitrea: si enim lux esset effluuium corpusculorum, quando in huiusmod sphæra lux refringitur, ideò refringeretur, quia, vt dicunt atomistæ, corpuscula peruaderent sphærę poros obliquos, & ab illis taliter obliquarentur; sed hoc dici non potest, nam vel omnes pori sphæræ sunt quoquo versus recti, vel quoquo versus obliqui, quod omnes sint recti dici non potest, nulla enim fieret refractio, ad quam per atomistas requiruntur pori obliqui, per quos lux permeans obliquetur. Si omnes sunt obliqui, vel aliqui recti sequitur, quod ex ea parte in qua pori sunt obliqui permeare non possint corpuscula lucis absque refractione, neque ex ea parte, in qua sunt recti permeare possint cum refractione, hoc autem est contra experientiam in quacunque enim parte sphæræ vitreæ radius accipiatur perpendiculariter nulla fit refractio, & in quacunque parte excipiatur non perpendiculariter fit refractio, ergo in quacunque parte erunt iidem pori recti, & obliqui, quod est absurdum.

5 Non propterea negamus in re qualibet dari plura corpuscula, exalationes, & spiritus permixtos, vt in pluribus ex decursu constabit; solùm enim dicimus non posse mutationem substantialem haberi solùm per diuersam corpusculorum congregationem, & disgregationem; sed necessariò admittendum esse, quod aliquid fiat de nouo, quod licet fiat de nihilo sui, non tamen fiat de nihilo subiecti, ideòque detur commune aliquod subiectum, quod erit materia prima.

CAPVT SECVNDVM.

De Essentia, & Existentia materiæ.

1 ESsentia materiæ ex duplici illius definitione colligemus, primò enim definitur materia positiuè ab Aristotele hic tex. 82. *Primum subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum.* Dicitur subiectum primum, vt ostendatur esse ens substantiale, quantitas enim est quidē subiectum accidentium communium, sed accidentale, ideòque non primum, neque substantiale, quia alteri subiecto primo, & per se stanti innititur. Dicitur etiam *subiectum primum,* vt distinguatur, tum ab anima rationali, quę licet sit subiectum suarum intellectionum, non tamen est subiectum primum, cum supponat materiam pro suo primo subiecto receptionis; tum etiam, vt distinguatur à materia secunda includente accidentia. Dicitur *vniuscuiusque,* intellige generabilis, & corruptibilis. Dicitur *ex quo fit aliquid cum insit,* idest, ex quo permanente, & existente fit aliquid, *non secundum accidens,* vt ostendatur materia non inexistere in composito per accidens. Demum illæ particulæ: *& si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum,* adduntur maioris explicationis gratia, & ad indicandam materiæ indestruibilitatem.

2 Negatiuè quoque, super negationes definitur materia ab Arist. 7 metaph. tex. 8. *quæ per se ipsam neque quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid aliud quippiam dicitur quibus ens determinatur, est enim quid de quo singula horum prædicatur.* Dicitur *non esse quid,* quia non est substantia exigitiua determinatarum operationum, sicuti est forma substantialis, quæ propterea dicitur *quod quid rei.* Dicitur pariter non esse *quantum, nec aliud quippiam, quibus ens determinatur,* quia materia de se est determinatiuum ad esse quantum, ad quod determinat quantitas, neque determinatiuum ad esse quale, ad quod determinat qualitas, &c. Verùm ita de materia negatur quodlibet ex prędicamentis quidditatiuè, & essentialiter, vt singula de materia prædicentur denominatiuè, & in concreto; ideòque additur vltimum materiæ prædicatum non negatiuum, sed positiuum, quod nimirum sit quid, de quo singula horum prædicantur. Benè autem etiam per negationes materia substantiarum imperfectissima definitur, sicut Deus omnium perfectissimus definiri solet per negationes maxima enim, & minima perfectio nostram valdè effugit cognitionem.

3 Vltimis particulis primæ definitionis indicabatur materiæ indestruibilitas respectu cuiuscunq; agentis naturalis, quæ quidem probatur, quia ex dictis capite superiori sectione prima, quoties ab agente naturali aliquid destruitur, aliquid remanet de priori composito, hoc autem est materia, nā illud perit, cuius accidentia pereunt, sed in omni mutatione substantiali pereunt accidentia debita formæ, ergo semper forma erit id, quod perit, & materia semper indestructa remanebit. Minor probatur inductione, quando enim ex ligno fit ignis, perit frigus, humiditas, grauitas, & cætera accidentia debita ligno, quod idem constat in reliquis, ergo forma erit id, quod perit non materia. Secundò nullum est accidens contrarium materiæ, cum hæc sit subiectum vniuscuiusque, ergo nullum est accidens per cuius introductionem possit materia ab agente naturali destrui, ergo id quod in qualibet mutatione substantiali perit non est materia, sed forma.

4 Ex eo, quod materia sit ab agente naturali indestruibilis infertur, quod etiam sit ab eodem ingenerabilis, si enim posset ab agente naturali generari, & non destrui, posset ita excrescere, vt non posset habere quantitatem, & locum sibi connaturaliter debitum, absque eo, quod cum alia materia, aliisque corporibus penetraretur, quod naturaliter fieri non potest; Sicut ergo, ne daretur naturaliter vacuum, debuit materia esse ab agente naturali indestruibilis, ita ne daretur corporum penetratio, debuit esse ingenerabilis. Neque dicas hæc argumenta non militare pro modica aliqua portio-

portione materiæ, nam si aliqua pars materiæ posset ab agente naturali generari, & destrui, non esset cur successiuè non possent generari, & destrui plures, & plures partes materię.

5 Materia præter propriam essentiam huc vsque explicatam habet etiam propriam existentiam, & quidem ex suppositione quod essentia non distinguatur ab existentia, vt probauimus lib. 1. dist. 4. nulla est in hoc difficultas, sed in suppositione contraria, quod essentia ab existentia distinguatur adhuc dicendum est materiam existere per propriam existentiam; est enim causa physica formæ, ideòque prior natura respectu formæ, cum autem prius natura ex infra dicendis sit determinatiuum extrinsecum alterius ad existendum, seù id ex cuius existentis præuisione aliquo modo auctor naturæ dirigitur, vt velit existere aliud, debet materia præsupponi existens, ad hoc, vt sit prior natura respectu formæ præsertim ad hoc, vt per prioritatem propriam causæ exercere etiam possit virtutem in formam, non enim est intelligibile exercitium vllius virtutis ab eo, quod non supponatur existens. Neque recurras ad sensus pręcisiuos, nostræ enim præcisiones non faciunt quominus realiter loquendo ab aliquo, quod non haberet existentiam, profflueret per veram virtutem existentia alterius. hoc autem non est intelligibile. Præterea materia esset ab agente naturali generabilis, & corruptibilis, illud enim generatur, & corrumpitur, quod amittit, & accipit existentiam, materia autem amitteret, & acciperet existentiam amittendo, & accipiendo ab agente naturali formam.

6 Est ergo materia pura potentia physica, non metaphysica, excludens omnem actum physicum, non verò actum etiam metaphysicum, qualis est existentia, imò in hoc committi videtur ab aduersarijs circulus, dum probant materiam non habere propriam existentiam, quia est pura potentia, & rursus materiam esse puram potentiam, quia non habet propriam existentiam. Porrò ex duobus entibus in actu metaphysico, hoc est ex duobus entibus existentibus, non repugnat fieri vnum per se, imò repugnat fieri vnum per se ex duobus entibus, si vtrumque non existat, solùm ergo non potest fieri vnum per se ex duobus entibus in actu physico, & completis. Demum materia habens propriam existentiam nullum est inconueniens, quod constituat speciem entis incompleti, imò res quælibet eo ipso, quod habet esse eo modo, quo illud habet constituit speciem.

CAPVT TERTIVM.

De Dependentia Materiæ à forma.

1 NOn posse materiam dependere à forma tanquam à priori constat ex eo quod forma pédet à materia tanquam à priori, ideòque non potest mutuò materia pendere à forma vt à priori, cum mutua prioritas repugnet vt infra probabimus. Dicendum ergo est materiam pendere à forma substantiali tanquam à posteriori, nec nisi connaturaliter; licet enim possit miraculosè existere absque eo quod illi detur vlla forma substantialis, non tamen sine aliqua forma substantiali potest connaturaliter existere. Hoc autem probatur primò; quia illud rationabiliter dicimus accidere connaturaliter non posse, quod si accideret esset contra continuatam experientiam; & inductionem, sic si accidat, quod aliquis ignis non comburat, dicimus esse miraculum, quia per continuatam inductionem experti sumus omnes ignes calefacere, atqui experti sumus nullam vnquam materiam sine aliqua forma substantiali existere, sed semper corruptionem vnius esse generationem alterius, ergo si aliquando spoliaretur omni forma substantiali, esset miraculum.

2 Dices multa sunt naturaliter possibilia, quæ tamen nunquam contingunt, cur non ergo dicimus posse naturaliter materiam spoliari omni formæ substantiali; etiam si hoc nunquam contingat? Respondeo quidquid sit de antecedente intellecto de productione aliquorum entium de nouo, neganda certè est consequentia, si enim loquamur de connexione entium, quæ de facto existunt inter se, dicendum est, quoties per continuatam experientiam constat, quod existente hac causa, semper existit hic effectus, non posse connaturaliter existere hanc causam sine hoc effectu, sicut dicebamus, quia cōstat per continuatam experientiam, quod quoties existit ignis, existit calor, dicimus non posse naturaliter ignem existere sine calore, eodem igitur modo, quia quoties existit materia, existit cum aliqua forma substatiali, dicendum est, non posse materiam naturaliter existere sine aliqua forma substantiali.

3 Non repugnat miraculosè materiam existere spoliatam omni forma substantiali, si enim de essentia accidentis non est actu inhærere in subiecto, sed solùm exigere talem inhærentiam ita vt contra hanc exigentiam miraculosè fieri possit, & de facto fiat, quando miraculosè conseruantur accidentia Eucharistica sine subiecto, neque erit de essentia materiæ actu habere, sed solùm exigere aliquam formam substantialem itaut possit Deus contra hanc exigentiam facere conseruando materiam sine forma substantiali; Certè essentialis dependentia materiæ à formá non potest asseri nisi positiuè probetur.

4 Dices primò non potest Deus negare vnicuique entitati iam existenti bonum eidem determinatè connaturale, nisi facta compensatione saltem æquali, ergo non potest spoliare materiam omni forma

forma substantiali, nisi facta saltem æquali compensatione. Antecedens probatur: repugnat à Deo rem aliquam produci, quin eam prosequatur tanto amore efficaci, quanta est bonitas eiusdem rei, sed amor efficax, quo est maior, eo est inclinatio efficax ad conferenda amato maiora bona, ergo si Deus amat materiam existentem habet inclinationem efficacem conferendi illi bonum pro mensura bonitatis, quam materia existens habet, sed bonum pro mensura bonitatis, quam habet res est aliud, quod connaturaliter illi debetur, ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad probationem dico amorem efficacem de existentia alicuius rei non necessariò esse inclinationem efficacem ad conferendum illi aliud bonum ab ipsa existentia rei distinctum; ideòque Deus volens efficaciter materiam existere non propterea tenetur velle, & dare materiæ aliud bonum præter ipsam existentiam, quam materiæ dat, ideòque præter bonum existentiæ non tenetur etiam dare materiæ formam. Neque dicas Deũ, tollendo ab accidentibus Eucharisticis substantiam panis facere compensationem substituendo loco illius corpus Christi Domini, nam quæ esset implicantia, si etiam sine substitutione corporis Christi Domini conseruaret accidentia? Præterea etiam in ordine naturali, quando res sunt in statu violento, nonne illis denegatur bonum connaturaliter debitum absque compensatione æquali? neque enim status violentus, qui naturali succedit, est rei violenter constitutæ æquale bonum, ac status naturalis, & tamen res in statu violento existens amatur amore efficaci.

5 Dices secundò, materia existens spoliata omni forma existeret frustra, ergo non potest ita existere. Respondeo non exstituram frustra, quia existeret tum ad ostendendam Diuinam potentiam, tum propter alios fines, v. g. ad replendum vacuum, ad transmittendas influentias Cælorum, &c.

7 Si materia omni forma substantiali spoliaretur, sicuti deberet, iuxta institutum rerum ordinem destrui, ita non posset sine continuato miraculo sic spoliata conseruari. Probatur quia id, quod conseruatur propter finem miraculosum, conseruatur miraculosè; conseruatur enim per decretum Dei intendentis talem finem miraculosum, ideòque sicuti conseruatur per decretum rei conseruatæ naturaliter indebitum, ita conseruatur modo miraculoso; quod si huiusmodi res non potest conseruari, nisi per tale decretum sibi naturaliter indebitum, nullo modo potest conseruari nisi miraculosè; Sed materia spoliata omni forma substantiali non potest conseruari nisi propter finem miraculosum, ergo non potest conseruari nisi per decretum sibi naturalite indebitum, ergo non potest naturaliter, sed solùm miraculosè conseruari. Minor probatur: omnis pars est propter totum, ergo cum materia sit de sua natura pars, erit propter totum, ergo vel propter totum, quod actu, & in quocunque casu naturali constituat, vel propter totum, quod saltem possit constituere. Atqui non propter totum, quod merè possit constituere; hic enim finis est miraculosus, nam ille est finis miraculosus, qui superat vires totius naturæ, nec est per totas naturæ vires acquisibilis, sed quod materia existat propter totum merè constituendum, est finis non acquisibilis per vires totius naturæ, neque per quæcunque media naturalia, ergo materiam conseruari propter totum merè constituendum, non verò propter totum actu constitutum, erit finis miraclosus, si ergo materia spoliata omni forma non posset conseruari nisi propter hunc finem miraculosum, non posset conseruari nisi miraculosè.

8 Quod diximus de materia intelligendum etiam est de quacunque alia potentia iuxta ordinem naturalem necessariò connexa cum aliquo effectu, à cuius actuali productione per nullam potentiam naturalem possit in talibus circumstantijs impediri. Quare Sol si conseruaretur sine omni luce conseruaretur miraculosè, similiter ignis in fornace Babylonis, quia per nullam potentiam naturalem impediri poterat ab actuali combustione conseruatus fuit miraculosè, cum enim non fuerit conseruatus propter actualem combustionem, illi hic & nunc naturaliter debitam, conseruatus fuit propter finem miraculosum, & per consequens conseruatus fuit miraculosè. Non sic v. g. quando anima noctu impeditur à suis operationibus, quando lapis pendulus impeditur à descensu, &c. illis enim tales effectus in talibus circumstantijs naturaliter non debentur, imò quia positis talibus circumstantijs debetur animæ negatio operationis, & lapidi negatio descensus, ideò quando cum his negationibus cõseruantur, naturaliter conseruantur, quia conseruantur propter fines naturaliter debitos.

9 Dices primò, finem materiæ naturalem esse etiam, vt impediat vacuum, vt trasmittat influxus cælestes, &c. ergo si spoliata omni forma substantiali conseruaretur propter hos fines, conseruaretur propter fines naturales. Respondeo adhuc non conseruaretur propter omnes illos fines, propter quos naturaliter conseruari deberet, deberet enim etiam conseruari propter totum, quod actu constitueret, propter quod debet connaturaliter conseruari, hoc autem benè colligimus à posteriori; si enim in ordine naturali semper materia est cum forma aliqua substantiali, in ordine naturali semper debet conseruari cum forma aliqua substantiali.

10 Dices secundò, tunc tantùm debere cessare medium, quando finis cessat per se, non verò quando finis cessat merè per accidens. Sed contra quia cessante fine: seu effectu, cum quo medium, & causa est essentialiter connexa, debet necessariò ipsa etiam causa cessare, siue effectus cesset per se, siue cesset per accidens; Sic quia corpus est essentialiter connexum cum aliquo vbi, siue omne vbi cesset per se, siue cesset per accidens, cessare etiam necessariò debet ipsum corpus cum aliquo, vbi essentialiter connexum; Similiter ergo quoties causa est connexa cum effectu, connaturaliter cessante effectu, cessare etiam debet ipsa causa, siue effectus cesset per se, siue per accidens, idq; propter rationem

in nostra probatione allatam, quia nimirum siue per se, siue per accidens cesset effectus, cessat omne decretum naturale, nec potest talis causa conseruari, nisi per decretum auctoris naturæ intendentis finem miraculosum.

11 Dices tertiò, si materia spoliaretur omni forma substătiali nihil exigeret eius destructionem, ergo non deberet destrui. Sed contra: quia deberet destrui, non quia aliquid exigeret illius destructionem, sed quia nihil esset, quod eius conseruationem exigeret; nihil enim potest in ordine naturali exigere decretum miraculosum. Porrò quamuis melius esset materiæ conseruari, quam destrui, non tamen hinc sequitur, quod deberet connaturaliter conseruari, nam etiam est melius cæco restitutio visus, & tamen cæco non restituitur, quia nihil exigit talem restitutionem; si ergo nihil exigeret coseruationem materiæ spoliatæ, deberet connaturaliter destrui.

12 Probabile est materiam in prima sui creatione per nullum instans reale extitisse spoliatam omni forma substantiali. Probabile enim est, Deum in prima materiæ creatione se gessisse ea connaturalitate, qua deinde se gessit, ideòque materiam non prioritate temporis, sed sola prioritate naturæ anteiuisse formæ. Nulla pariter est ratio asserendi, quod huc vsque materia spoliata vnquam extiterit omni forma substantiali; ex nullo enim capite apparet fuisse vnquam factum tale miraculum.

13 Sine forma aliqua accidentali saltem modali ne diuinitus quidem materia potest existere, cum enim de se materia non habeat essentialem alligationem ad vllum locum, vel tempus, est indifferens ad hunc, vel illum locum, & tempus, ergo cum, si existat, debeat in aliquo loco, & tempore existere, necessariò poni debet aliquid per quod formaliter tollatur hæc indifferentia, & constituatur existens in hoc potius loco, & tempore, quam in alio; Neque verò vllum est inconueniens, quod materia maiorem connexionem, & indigentiam habeat formæ modalis valde imperfectæ, quam aliarum formarum perfectiorum, nam hæc indigentia debuit necessariò dari materiæ posito, quod non fuit alligata vlli loco, vel tempori. Porrò si materia hanc indigentiam alicuius accidentis modalis non haberet, esset longè imperfectior, quam nunc sit, quia loco huius indigentiæ, haberet essentialem alligationem ad vnum locum, & tempus; hanc autem alligationem, maioremque imperfectionem in materia non dari constat ex eo, quod ab vno tempore, & loco est transferibilis in alium.

CAPVT QVARTVM.

De Potentia, & appetitu materiæ respectu formarum.

1 Potentia passiua materiæ ad formas tam substantiales, quam accidentales non est merè negatiua per non repugnantiam, sed est positiua per positiuam inclinationem; potentia enim materiæ est ad formas tanquam ad bonum, & connaturale complementum ipsius materiæ; ergo est potentia positiuè ad illas inclinans, per inclinationem, & potentiam innatam, ideòq; non nisi ratione distinctam ab entitate materiæ; tum quia materia appellatur in recto potentia; tum quia ne detur processus in infinitum, ipsa potentia, & inclinatio, si esset superaddita, non posset recipi in materia per aliam potentiam, ergo si tenemur aliquid admittere, quod in materia recipiatur, & non per potentiam superadditam, non est cur formæ non possint recipi à materia per solam illius entitatem. Demum hoc quod est, formam posse recipi in materia, non est quid entitati formæ superadditum, ergo hoc quod est à materia posse recipi formam, non erit quid entitati materiæ superadditum.

2 Dices primò, Adueniente forma perit in materia potentia, & appetitus ad talem formam, pariter quando materia habet formam, non est in potentia, sed in actu, ergo potentia, & appetitus materiæ est quid distinctum ab entitate materiæ. Respondeo potentiam non esse quid distinctum ab entitate materiæ, mera tamen potentia præter materiæ entitatem importat etiam negationem formæ, quare quando materia habet formam non datur in materia mera potentia, sed datur potentia sicuti dabatur prius, non aliter ac dum sedeo, datur in me potentia sedendi, licet non mera potentia. Materia ergo cum forma est in actu simul, & in potentia, licèt non in mera potentia, similiter appetitus secundum omnia, quæ dicit connotat carentiam rei appetitæ, hoc tamen non est contra id, quod diximus, stat enim quod non detur in materia potentia aliqua passiua, & inclinatio superaddita, sed eadem entitas materiæ prout carens forma intelligatur esse illam appetens.

3 Dices secundò, ad hoc vt materia possit recipere formas requiritur quantitas, ergo non habet de se sola rationem potentiæ. Respondeo materiam cum quantitate esse potentiam, & materiam secundam, atque particularem, de se verò esse potentiam, & materiam primam, atque vniuersalem ad omnes formas, & ad ipsam etiam quantitatem recipiendam. Non enim negamus materiã ad hoc vt sit completè potens recipere, indigere multis accidentibus, & dispositionibus: Sed id, quod asserimus est: materiam ratione suæ entitatis præcisè esse potentiam primam, & vniuersalem ad ipsa etiam accidentia, & dispositiones, absque eo quod in ratione primæ potentiæ passiuæ constituatur

per potentiam superadditam, & distinctam ab alijs accidentibus & dispositionibus, quæ propter alias rationes, & fines admitti debent.

4 Dices tertiò, potentia actiua est quid superadditum substantiæ agenti, ergo etiam passiua. Sed contra est, quia nulla potentia actiua ponitur superaddita nisi quæ positiuè probetur, similiter ergo positiuè probare deberes potentiam passiuam materiæ esse quid superadditum. Neque verò ad hoc probandum quidquam facit auctoritas Aristotelis in prædicamentis capite de quali dicentis quæcunque secundum potentiam dicuntur esse sub genere qualitatis, nam ex exemplis pugillatorum, cursorum, salubrium, &c. quæ ibi affert, satis ostendit se ibi loqui de potentijs, & impotentij, quæ adueniunt substantiæ iam in suo esse completæ, non verò de potentijs ipsius rei constitutiuis, qualis est potentia materiæ quæ constituit materiam, prædicatur de materia in recto, & ingreditur essentialem materiæ definitionem.

5 Dices quartò actus, & potentia debent esse in eodem genere, ergo potentia ad actum, & formam accidentalem non potest esse entitas substantialis materiæ, sed debet esse quid accidentale superadditum substantiæ ipsius materiæ. Respondeo, quando ex actu, & potentia fit vnum per se, & substantiale tunc debere esse actum, & potentiam in eodem genere substantiali, non verò quando ex actu, & potentia fit vnum per accidens, quod idem dicendum esset etiam si poneretur potentia accidentalis superaddita, hæc enim respectu materiæ esset actus; nec tamen esset in eodem genere substantialis cum materia.

6 Si materia consideretur vt spoliata, vel præcisè ab omni forma, prout sic habebit appetitum ad formas tanquam ad bonum absens, ideòque habebit inclinationem ad illas per modum desiderij, quod si consideretur vt actu habens aliquam formam, circa illam habebit inclinationem per modum gaudij, circa alias verò formas, quas non habet, habebit inclinationem conditionatam, ad illas scilicet recipiendas sub conditione, quod spolietur forma, quam habet. Neque hinc sequitur, quod appetat destructionem formæ, quam habet, benè enim potest simpliciter gaudere forma præsenti, & sub conditione appetere alias; sed hæc de appetitu innato materiæ dicuntur per analogiam ad appetitum elicitum.

7 Appetitus materiæ est ad formas accidentales tanquam ad medium, eo enim modo intelligitur materia appetere formas, quo sunt eius bonum, si ergo formæ accidentales sunt medium, formæ substantiales finis, vt constat ex dictis lib. 1. vbi de conceptu substantiæ, illas appetet vt medium, has vt finem. Hinc prædicatum potentiæ substantialis erit prædicatum primarium, & de primò constitutiuo materiæ, prædicatum verò potentiæ ad formas accidentales erit prædicatum secundarium, & se habebit tanquam proprietas Metaphysica, non aliter ac rationale est prædicatum primarium hominis, risibile verò secundarium. Illud enim est prædicatum primarium, quod est nobilius, & radix Metaphysica à qua reliqua intelliguntur profluere, prædicatum autem potentiæ ad formas substantiales est huiusmodi; sicut enim ex appetitu, & intentione finis, qui est prior in intentione, profluit appetitus, & intentio mediorum, ita ex appetitu formarum substantialium, quæ sunt finis, intelligitur profluere appetitus formarum accidentalium, quæ sunt medium quamquam realiter loquendo vtraque potentia, & appetitus sunt vnum, & idem.

8 Materia de se, & præscindendo ab ab accidentibus hic & nunc in eam introductis, non magis appetit formam substantialem perfectiorem, quam imperfectiorem. Probatur primò, quia aliter dum habet formam imperfectiorem, appeteret illius destructionem, ad hoc vt obtinere posset perfectiorem; qui enim appetit vnum magis quam aliud, & videt se non posse habere id, quod appetit magis sine deperditione alterius, quod appetit minus, appetit deperditionem illius, quod minus amat, vt obtineat illud, quod amat magis; Non potest autem dici, quod materia appetat destructionem formæ, imperfectioris, quam habet, si enim hæc nullo existente contrario destrueretur, nullum esset miraculum, quia destrueretur ad exigentiam connaturalem materiæ; hoc autem est falsum. Probatur secundò, quia materia non appetit formam substantialem nisi secundum rationem genericam formæ substantialis, secundum hanc enim rationem replet illius vacuitatem, & affert materiæ connaturale complementum; Sicut ergo natura solùm intendens impedimentum vacui, non curat quod potius ab hoc, quam ab illo corpore impediatur, ita materia solùm appetens substantialiter compleri, nihil curat, quod ab hac forma substantiali potius, quam ab illa compleatur. Quare quamuis forma perfectior, sit ratione sui perfectior, quia tamen non est perfectior respectu materiæ appetentis formam solùm, quatenus est ipsius materiæ complementum; hinc non magis appetit formam perfectiorem, quàm imperfectiorem.

CAPVT QVINTVM.

De Potentia materiæ ad formas corruptas.

1 NVllum est dubium, quod forma corrupta non alligata tempori possit saltem miraculosè à Deo reproduci, & iterum recipi à materia, quare materia habet etiam respectu formæ corruptæ potentiam ad illam recipiendam, & quia talis potentia non est quid ab entitate materiæ distinctum, sicuti entitas materiæ semper est quid naturale, ita potentia materiæ erit semper entitatiuè naturalis; Nihilo tamen minus ad hoc, vt potentia receptiua denominetur simpliciter naturalis, debet ipse etiam terminus talis potentiæ esse naturalis,& naturaliter possibilis. Porrò terminus alicuius potentiæ potest esse naturalis, vel quoad entitatem, & quoad modum, vel naturalis solùm quoad entitatem, sic rosa, quæ nascatur in hyeme est entitatiuè naturalis, quod ad modum verò productionis in tali tempore est supernaturalis. Potentia ergo materiæ ad formas corruptas dicetur naturalis, vel supernaturalis, quoad entitatem,& substantiam, vel quoad modum, prout ipsæ formæ corruptæ quoad substantiam, vel quoad modum sunt supernaturales.

2 Et primò quidem reproductionem formæ corruptæ esse supernaturalem est communis auctorum sententia, ex eo forrasse, quod esset tum contra pulchritudinem vniuersi, quæ maximè in varietate consistit, tum quia videtur esse contra quandam iustitiam distributiuam, per quam natura exigit, vt quando non omnes formæ possibiles reducendæ sunt in actum, existentia actualis potius communicetur pluribus diuersis, quam ijsdem sæpius detur, cum præiudicio aliarum; siue autem iterata productio & receptio formæ sit supernaturalis, eò quod sit entitatiuè diuersa ab omnibus alijs actionibus naturalibus, siuè solum ex eo, quod sit posita per decretum diuersum ab omnibus decretis naturalibus, posita videlicet non ad exigentiam rerum naturalium, sed propter fines supernaturales, nihil facit ad rem præsentem, pro qua satis est quod iterata productio, quæ realiter est idem cum receptione formæ, sit supernaturalis, ipsa verò forma corrupta, quæ per talem modum supernaturalem ponitur, non est supernaturalis, cum enim sit eadem prorsus, quæ fuit prius, si prius erat naturalis, etiam deinde erit naturalis.

3 Hinc ergo manifestè infertur materiam ad formas corruptas iterum recipiendas habere solum potentiam supernaturalem quoad modum, ex dictis enim num. 1. nomine potentiæ supernaturalis solùm quoad modum venit potentia, quæ est ad terminum entitatiuè naturalem, sed non possibilem nisi per modum supernaturalem, atqui ex dictis num. 2. Forma corrupta est entitatiuè naturalis, sed non possibilis, nisi per modum reproductionis, & iteratæ receptionis supernaturalem, ergo materia ad formam corruptam iterum recipiendam habebit potentiam supernaturalem solum quoad modū. Quod si quæras de ipso modo reproductionis vtrum sit supernaturalis quoad substantiam, an verò solum quoad modum. Respondeo de illis hoc peti posse, in quibus est distinguibilis substantia à modo, in ipso verò modo reproductionis non est distinguibilis substantia, seu entitas à modo.

4 Ad illam numero sustentationem, per quam primò materia sustentauit formam, non habet materia potentiam, neque supernaturalem, quia cum ex dicendis sustentatio sit idem cum actione productiua formæ, & actio productiua formę sit idem cum ipsius duratione, sicuti duratio est alligata tempori, ita implicat, quod eadem numero sustentatio reproducatur; licet enim nihil de entitate materiæ perierit, quia tamen terminus non est per vllam potentiam possibilis, ideò materia non habet ad illum potentiam neque supernaturalem.

5 Materia non habet formam corporeitatis sibi coæuam; sine vllo enim fundamento, & absque vlla vtilitate datur materiæ hæc forma, cuius munera ab alijs formis vel substantialibus, vel accidentalibus possunt præstari.

6 In compositis sublunaribus distinctis materia est vna specie, non numero. Non est vna numero, tum quia materia vnius compositi est actu distincta, imò diuisa ab alia: tum quia in eodem composito datur distinctio actualis aliquarum partium materiæ, iuxta ea, quæ lib. 1. diximus de compositione continui; Est tamen in omnibus compositis sublunaribus vna in specie; quia nullum habemus iudicium diuersificandi materiam specie, cum nulla detur materia sublunaris, quæ non non sit capax recipiendi quamcunque formam cum per multas trasmutationes ex quolibet fiat quodlibet. Quod si aliquod daretur compositum sublunare, quod corrumpi non posset, adhuc tamen non infertur illius materia esse diuersæ speciei, quia etiam si postquam in illam materiam introducta est talis forma, non possit propter maximam formæ resistentiam tali forma materia priuari, quia tamen illa materia erat prius sub tali forma facile destruibili, ideò benè infertur materia illa esse eiusdem speciei cum reliquis. De materia etiam cælesti constabit ex dicendis in lib. de Cælo esse eiusdem speciei cum sublunari.

7 Non tamen vlla apparet implicantia, quominus dari possit alia materia diuersæ speciei, quæ scili-

scilicet non sit capax recipere, & sustentare nisi aliquas formas, talis autem materia esset propterea imperfectior materia illa, quæ de facto datur. Neque dicas solùm actum esse, qui distinguit speciem, nam si nomine actus veniat solus actus physicus, hoc est sola forma physica, falsum erit à sola forma physica desumi distinctionem, & diuersitatem specificam, nam ab actu etiam metaphysico, & entitatiuo, quem de se materia habet, vt diximus cap. 2. desumi potest diuersitas specifica saltem incompleta, sicut ipsa materia est ens incompletum. Si enim materia præscindendo à forma habet suam essentiam, & existentiam, cui non poterit ratione illius conuenire, vel disconuenire cum alia materia quantum satis est ad conuenientiam, vel disconuenientiam specificam.

8 Dices: si posset dari materia capax solùm aliquarum formarum, posset etiam dari materia capax vnius tantùm formæ: sequela videtur falsa, quia si talis forma corrumperetur, deberet etiam corrũpi ipsa materia, quod est absurdum. Respondeo nullum esse in admittenda sequela inconueniens: dici enim primò posset nullum fore absurdum, si materia capax vnius tantùm formæ admittatur naturaliter corruptibilis. Materia enim, de qua scimus esse incorruptibilem est illa, quæ de facto datur, alia enim materia diuersæ speciei, sicut in alijs differet essentialiter ab ista, ita posset etiam differre in incorruptibilitate. Dici secundò posset talem formam de se corruptibilem, fore in tali casu per accidens incorruptibilem, ne enim materia corrumperetur etiam talis forma resisteret suæ corruptioni. Sicut enim corpus ad impediendum vacuum contra suam naturam ascendit, ita talis forma ad impediendam corruptionem materiæ resisteret suæ destructioni. Quod si vrgeas non esse maiorem rationẽ cur talis forma contra suam naturam resisteret corruptioni, quam quod materia contra suam naturam corrumperetur. Dico maiorem rationem haberi ex eo, quod natura magis amat conseruationẽ, quam destructionem rerum, ideòque è materia refunderetur per accidens incorruptibilitas in talem formam.

CAPVT SEXTVM.

De respectu transcendentali materiæ ad formas,

1 IN materia duo distinguenda sunt prædicata transcendentaliter relatiua, vnum potentiæ, aliud exigentiæ, verè enim materia est potens recipere formas, & præterea est exigens formas. Hæc autem prædicata sicuti in materia sunt realiter idem, ita habemus fundamentũ distinguendi illa formaliter ex eo præcipuè, quod non quidquid habet respectu alterius potentiam, habet etiam respectu illius exigentiam, imò aliquando habet exigentiam oppositi, sic lapis habet potentiam ad recipiendum motum sursum, sed non modo non habet ad illum exigentiam, sed habet præterea exigentiam ad oppositum, vtrumque hoc prędicatum potentiæ, & exigentię, quod datur in materia, est prædicatum relatiuum transcendentaliter, cum nec concipi, ideòque nec esse possit nisi ordinatum ad aliud, vt constat ex dictis lib 1. in prædicamento relationis.

2 Quando ergo quæritur vtrum materia respiciat formas determinatè, tota ratio difficultatis oriri potest ex eo, quod non distinguuntur ista duo prædicata, duæque relationes transcendentales potentiæ, & exigentiæ, si enim hæ distinguantur, statim apparebit dicendum esse à materia, prout potens est, respici omnes formas in particulari, & determinatè, ab ea verò, prout est exigens, respici formas indeterminatè, seu disiunctiuè. Nam materia, quæ de facto datur, est potentia ad omnia, ideòque est potens recipere, & formam A, & formam B, & aliam quamlibet in particulari, ergo datur in materia potentia ad quamlibet formam in particulari, ita vt si vel vnicam formam non posset recipere, non esset hęc materia, sed alia speciei diuersę, non quod detur in materia potentia simultatis, ad simul recipiendas omnes formas, sed quod detur in illa simultas potentiæ ad quamlibet formam prout talem, & in particulari recipiendam. Adeò vt si hæc simultas potentiæ ad quamlibet formam in particulari non daretur, non esset hæc materia sed alia. Quare cum entitati materiæ non satisfiat per potentiam ad recipiendam, vel hanc, vel illam formam, sed de eius essentia sit posse, & hanc, & illam, & aliam quamlibet in particulari recipere, relatio potentiæ ad materiam erit ad omnes formas determinatè, & in particulari.

3 Non ita se habet relatio exigentiæ, materia enim exigit, vel hanc, vel illam formam, & ex supra dictis non magis exigit hanc formam substantialem perfectiorem, quam aliam imperfectiorem, ergo relatio exigentiæ est in materia ad formas indeterminatè, & disiunctiuè. Explicatur hoc totum in actibus voluntatis, si enim habeam actum, quo dicam: volo vel cibum, vel vestem, hic actus habet respectum transcendentalem tàm ad cibum, quàm ad vestem, sed distinguendi sunt in tali actu duo respectus transcendentales alius est respectus tendentiæ, alius est respectus exigentiæ, & appetẽtiæ, hic enim actus habet determinatè ferri in cibum, & in vestem, adeò vt si non tenderet in vtrunque, sed in alterutrum, non esset hic actus, sed alius; prout exigens verò; & appetens tendit in cibum & vestem indeterminatè, & disiunctiuè, siue enim vnum, siuè aliud illi detur æquè illi satisfit.

4 Sed quæres quid simpliciter loquendo dicendum sit de respectu materię ad formas, vtrum scilicet sit ad illas determinatè, an indeterminatè? Respondeo hanc esse interrogationem plurium, vt vnius,

vt vnius, dum enim quæris respectum, quæris prædicatum formale relatiuum, cur ergo non vnum tantum sed duo dentur in materia prædicata relatiua transcendentaliter, & vnũ ex illis sit ad formas vno modo, aliud verò diuerso modo, non possunt nisi adhibita distinctione respondere.

5 Dices respicere determinatè, & respicere indeterminatè sunt contradictoria, ergo non possunt de eadem materia verificari hi duo respectus. Respondeo nego antecedens, sit enim sensus tantùm formalis, & ex nostro modo concipiendi distinguentre duos respectus, qui realiter sunt idem, & sicuti quia sit sensus tantùm formalis, non sunt contradictoria, quod homo prout animal sentiat, & non discurrat, ita non sunt contradictoria, quod materia prout potens respiciat formas determinatæ, nõ indeterminatè, prout exigens verò respiciat illas indeterminatè, non determinatè; sicut enim realiter loquendo homo sentit, & discurrit, ita realiter loquendo à materia respici formas determinatè, & indeterminatè, seù disiunctiuè, nihil est aliud, quam materiam esse capacem omnium, & singularum formarum, sed æquè esse explebilem, ac perfectibilem per quamlibet, in quo nulla est contradictio. Reliqua quæ deberent huic rei addi vide lib. 1. vbi de relatione transcendentali.

CAPVT SEPTIMVM

An, & quid sit forma substantialis.

1 Dari formas substantiales certum est, primò ex anima rationali cuius existentia dependenter etiam à rationibus naturalibus constat ex eius effectibus: si enim euidens nobis est dari intellectiones, volitiones, &c. euidens etiam erit dari earum principium, quod non potest esse solùm corpus, hoc enim remanet post mortem, quando non remanet principium intellectionum, ergo debet esse aliquid aliud, anima scilicet rationalis. Præterea experimur, quod quando intensè speculamur, multa neque videmus; neque audimus, quæ cæteroqui videremus, & audiremus si non tam intensè specularemur, huius autem rei ratio alia reddi non potest, nisi quod potentia visiua, & auditiua subordinantur alicui principio nobiliori nempè animæ rationali, quæ dum tota versatur circa speculationes, inepta redditur ad exequenda munera aliarum potentiarum. Neque dicas hoc prouenire à spiritibus vitalibus, ad huiusmodi operationes necessarijs, qui dum ad vnam potentiam confluunt, aliam destituunt. Nam quod spiritus vitales, qui prius pluribus potentijs, æquè deseruiebant, accurrant hic, & nunc ad vnam potentiam, potius quam ad aliã refundi non potest nisi in aliquam formam superiorem, quæ hos spiritus pro libito modo huc, modo illuc euocet. Porrò animam harum operationum principium esse formam verè informantem corpus constabit ex dicendis in lib. de anima esse verò substantialem colligitur ex dictis de ente substntiali lib. 1. dist.4 cap.6. sect.2

2 A paritate animæ rationalis probantur etiam formæ substantiales, tum in brutis, tum in plantis, alijsque omnibus compositis naturalibus, in quibus æquè dari debet principium, v.g. hinnitus augumentationis aliorumque accidentium, adeòque tale, vt sit substantiale, informans, & omnia dirigens ad bonum totius compositi, cum enim in quolibet composito videamus tantam accidentiũ etiam contrariorum varietatem dari necessariò debet aliquid, à quo omnia veluti in officio contineãtur, & quod sit accidentium deperditorum recuperatiuum, si enim aqua calefiat, vel viuens, vel per vim alicuius contrarij deperdat accidentia sibi debita, quando ab extrinseco contrario liberantur, reducunt se ad suum statum connaturalem, ergo dari principium talium accidentium recuperantium, quod erit forma substantialis. Hinc colligitur alterationem esse diuersum à corruptione substantiali, ferrum enim, v g. vehementer accensum, si liberetur à contrario extrinseco aliquando reducit se ad suum statum pristinum aliquando non. Sed hoc non nisi quia aliquando ferrum est merè accidentaliter alteratum, aliquando verò est substantialiter corruptum; ergo verè datur aliqua corruptio substantialis, sed hæc non est corruptio materiæ, vt probauimus, ergo formæ substantialis.

3 Dices, quod aqua calefacta reducat se ad pristinum frigus oriri ex eo quod in quibusdam aquæ partibus semper remaneat internum frigus, à quo deindè aliæ partes frigefiant, sed contra est, quia hoc nulla ratione probari potest, imò est contra omnem experientiam, & rationem; in metallo enim liquefacto, quęnam partes remanent solidæ? Certè tuum erit huiusmodi partes contra omnium sensum probare, sed etiam si hoc posses ostendere, adhuc probandum superesset, quomodo aliquibus particulis solidis insit tanta vis, vt alias partes liquidas longè plures possint consolidare; potius enim paucæ partes solidæ deberent vi plurium liquidarum colliquescere, quam multæ liquidæ vi pauciorum solidarum consolidari.

4 Dices secundò, ab aqua recuperari frigus vi alicuius qualitatis, quæ cum sit ordinis superioris virtute contineat primas qualitates, est illarum principium. Sed contra, quia principium hoc non potest esse qualitas accidentalis; est enim completiuum, & determinatiuum materiæ ad has speciei operationes, ideòque est quid per se, & primariò intentum à natura tanquam primum principium in ordine

in ordine ad oprationes, & per consequens est quid substantiale. Prçterea omne accidens alicui substantiæ accidit, ac debetur; hæc ergo qualitas accidentalis cui substantiæ debetur? non materiæ, neque aleri substantiæ indifferenti ad has, vel illas affectiones recipiendas, cum huiusmodi substantiæ non magis debeatur hoc accidens, quam aliud illi oppositum, ergo hæc qualitas accidentalis nulli peculiariter debetur, ergo non erit quid accidentale, sed substantiale, cui scilicet alia accidant, ac debeantur.

5 Probatur etiam dari formas substantiales ex ijs, quæ adduximus ad probandam materiam primam; si enim datur materia, hoc est substantia incompleta, dari debet substantiale illius complemẽtum, sicut enim continua rerum mutatio requirit subiectum aliquod commune, ita etiam requirit diuersos terminos, qui de nouo producantur, & substantialiter compleant commune subiectum. Demum si non darentur formæ substantiales, quę sint partes incompletæ darentur solæ substantiæ simplices completæ, quæ non differrent inter se nisi ratione accidentium. Ex hoc autem sequeretur, quod sub speciebus Eucharisticis panis remaneret vera substantia panis, nam substantia panis nihil esset aliud, nisi talia accidentia, & substantia simplex completa, quę est eadem in omnibus compositis sed accidentia panis remanent, & substantia corporis Christi, quæ aduenit, non differret iuxta hanc sententiam ratione sui à substantia panis, ergo verè remaneret substantia panis.

6 Porrò non repugnat formam materialem esse substantialem, & simul a materia sustentari, potest enim esse quid per se intentum à natura, eo modo quo explicuimus, vbi egimus de ente substantiali, ideòque esse quid substantiale, & simul esse indigens subiecto substantiæ, illæ ergo erunt formæ accidentales, quæ ita indigent subiecto sustentante, vt non sint quid per se à natura intentum.

7 Benè definitur forma substantialis. *Ratio ipsius, quod quid est esse rei*, forma enim est id, vndè desumitur essentia, & quidditas determinata rei, ideòque est ratio quidditatis rei, non quod forma substantialis sit absolutè loquendo tota compositi naturalis quidditas, sed solùm ex eo quod sit illius pars principalior, nam ipsa etiam materia ingreditur constitutiua, & quidditatem compositi, si enim quæratur quid sit homo? non benè respondetur est anima, sed respondere debet est compositum ex anima, & corpore; alioqui si dici posset homo est anima, dici etiam posset absolute loquendo, homo est immortalis, non est materialis, &c. quæ sint falsa. Ideò autem forma dicitur sine addito quidditas compositi, quamuis non sit tota illius quidditas, quia est pars principalior, & determinans materiam ad has specie operationes, illud autem videtur esse vnumquodque, quod est principale in ipso, & sicuti quod facit rector Ciuitatis, qui ad has operationes Ciuitatem dirigit, ac determinat, dicitur Ciuitas facere, ità quod in composito naturali est principalius, & determinas reliqua, dicitur esse id quod facit, ideòque dicitur esse quidditas compositi. Hinc quando ab Arist. dicitur materia non esse quid, solùm negatur de materia quod sit quid, eo modo quo est forma, quæ vtpotè pars cõpositi principalior dicitur quidditas rei.

8 Dices primò si forma non esset tota quidditas compositi, sed etiam materia esset pars essentiæ, variata per continuam nutritionem materia, viuens non esset idem, quod erat prius hoc autem est falsum. Respondeo. Hoc argumentum nimis probare, probat enim, quod neque forma materialis sit pars essentiæ, hæc enim simul cum materia mutatur. Dicendum ergo est remanere semper idem viuens, si non secundum omnes easdem partes physicæ, saltem moraliter, idque quia fit variatio materiæ, & formæ paulatim, & sub eadem corporis organizatione, & flumen est moraliter idem, quamuis continuò mutetur eius aqua, multò magis viuens erit idem cum multò minor in viuente mutatio fiat, & in sententia probabili semper remaneant saltem partes primigenię.

CAPVT OCTAVVM.

Per quid forma differt à materia.

1 Discrimen inter formas substantiales, & accidentales constat ex dictis lib. 1. vbi de ente substantiali, & accidentali, assignandum ergo hic superest, per quid forma tàm substantialis, quàm accidentalis differat à materia, quamuis enim materia dicatur subiectum, & potentia passiua, forma verò actus; de hoc tamen ipso quæritur quid sit, nam cum tam materia vniatur formæ, quam forma materiæ, & cum se se inuicem aliquo modo perficiant cur ratio subiecti potius conueniet materiæ, quam formæ: crescit difficultas ex eo, quod anima rationalis est vera forma informans materiam, nec tamen à materia sustentatur, sed merè illam informat, cum ergo informari non sit causari materialiter, quid nam erit materiam esse subiectum, & in quo consistet ratio subiecti, prout ratio subiecti se extendit ad omne, quod conuenit cum materia in ratione subiecti?

2 Dicunt aliqui materiam habere rationem subiecti ex eo, quod sit id, cui aliud illi vnitum communicat effectum formalem, & denominationem ab ipso prouenientem, sic quia ab actu, v.g. sapientiæ animus dicitur sapiens, non verò actus ab animo dicitur animatus, animus habet rationẽ subie-

subiecti respectu actus sapientiæ. Similiter ergo, inquiunt, quia materia ab anima rationali dicitur viuens, anima verò rationalis à materia non dicitur materialis, materia est subiectum, anima verò rationalis est forma. Sed contra est primò, quia etiam forma accipit denominationem aliquam à materia, forma enim ratione materiæ dicitur completa, dicitur materializata, &c. Quod si materia plures accipit, quam det denominationes, id oritur ex eo, quod formæ sunt plures specie, materia verò vna. Contra secundò, quia cum denominare sit tribuere alicui nomen, esto verum sit id, quod asseritur, adhuc tamen assignandum superest fundamentum peculiare, quod est in forma, ratione cuius tribuat denominationem materiæ.

3 Alij dicunt rationem subiecti consistere in antecedentia, & præsuppositione materiæ respectu formæ. Sed contra est primò, quia si admittatur mutua causalitas, adhuc materia erit subiectum, per quid ergo in hac sententia habebit materia rationem subiecti? Contra secundò actio creatiua Angeli non est posterior Angelo, actio enim est in signo concomitanti cum termino, vt probauimus lib. 1. in prædicamento actionis sect. 2. & tamen Angelus est subiectum adhæsionis respectu actionis, per quam creatur. Demum ratio subiecti non potest consistere in hoc, quod subiectum sit causa vnionis, primò, quia siuè datur siuè non datur vnio distincta æquè explicandum est, cur materia sit subiectum. Secundò, vt dicebamus, Angelus est subiectum adhæsionis respectu actionis per quam creatur nec tamen est causa vnionis, cum enim non sit causa talis actionis, neque erit causa vnionis, siuè distinctæ, siuè indistinctæ ab entitate actionis, per quam talis actio vnitur ipsi Angelo.

4 Ratio ergo subiecti prout est quid commune ad subiectum inhæsionis, adhæsionis, merè informationis, & denominationis, consistet in hoc, quod subiectum sit id, quod est indifferens ad diuersas comparres successiuè recipiendas ab agente naturali, hoc enim conuenit cuicunque subiecto, vt patebit discurrenti per singula. Quare materia differt à quacunque forma per hoc, quod sit primum subiectum, hoc est primum indifferens ad recipiendum quodlibet generabile, & corruptibile, quamuis enim ratio subiecti alijs etiam conueniat, esse tamen subiectum primum cuiuscunque generabilis, ideòque esse primum indifferens ad successiuè recipiendum quodlibet generabile, & corruptibile, non præsupponens aliud subiectum, seù aliud indifferens, non conuenit nisi materiæ. Quantitas enim, v.g. quæ est subiectum immediatum accidentium communium est quidem indifferens ad diuersa accidentia successiuè recipienda, sed non est primum indifferens, nec primum subiectum; ita enim eius indifferentia, ac potentialitas determinatur, & actuatur ab accidentibus, vt ipsa denominet, & actuet aliud subiectum nimirum materiam primam, at materia prima ita est indifferens ad hoc, vt à quocunque generabili, & corruptibili determinetur, & actuetur, vt ipsa nullum aliud subiectum actuet, & hac de causa est primum subiectum, & materia prima.

5 Confirmatur primò, materia ex Arist. est scibilis per analogiam ad materiam rerum artificialiũ sicut ergo materia in artificialibus est id, quod est indifferens ad hanc, vel illam formam artificialem, ita in naturalibus quidquid habet rationem indifferentis ad plura successiuè recipienda, habebit prout tale est, ratione subiecti, ita tamen vt id, quod est subiectum, sed non primum, sit indifferens, sed possit etiam esse determinatiuum alterius, ideòque habere possit respectu vnius rationem subiecti respectu alterius rationem actus, & formæ. E contra verò materia prima, vtpotè primum indifferens, ideò habet rationem primi subiecti, quia ita est indifferens, vt nullius indifferentiam determinet. Confirmatur secundò, quia de ratione subiecti, vt nomen indicat, est esse quid firmum, & veluti fundamentum aliorum nihil autem magis est tale, quam quod licet alia illi aduenìant, & pereant ipsum tamen semper perseuerat.

6 Si daretur aliquod subiectum determinatum, & alligatum ad vnam specie, & numero formam, hoc in nullo prædicato omnibus subiectis, communi conueniret cum alijs subiectis, quæ habemus; posset tamen conuenire cum aliquo ex illis in aliquo alio prædicato, v.g. in sustentando talem formam; non tamen hinc sequitur, vt patet, quod assignatus conceptus subiecti non conueniat cuicunque subiecto, quod habemus de facto, ideòque quod ratio primi subiecti, primique indifferentis non conueniat materiæ primæ.

7 Formæ tam substantiales, quã accidentales non præexistunt in materia secundũ aliquid sui distinctũ ab entitate materiæ. Primò, quia cum non sit maior ratio, cur præexistere debeat vna, quã aliæ forma deberent in materia præexistere infinitæ inchoationes infinitarum formarum possibilium. Secundò frustra ponuntur formæ secundum aliquid sui, seù secundum aliquam inchoationem præexistere in materia, nam cum non præexistant secundum omne quod habent, aliquid saltem formarum produci potest de nihilo sui, licet non de nihilo subiecti, cur non poterit omne.

8 De priuatione prout ente negatiuo dictum est lib. 1 de eadem quomodo, & quando sit principium dictum est dist. 2. huius libri, ideòque nihil de illa dicendum hic superest.

CAPVT

CAPVT NONVM.

De composito, quod ex principijs vnitis resultat.

De ratione compositi est importare præter partes componentes ipsam compositionem, seu vnionem; huius ergo natura erit hic inquirenda.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Vnio.

1 VNio in communi accepta significat quamcunque connexionem vnius cum alio; alia est extrinseca; non nisi extrinsecè afficiens extrema, & hoc modo cognitio, & amor dicuntur vnio potentiæ cum obiecto, alia est intrinseca, per quam vnum extremum intrinsecè afficit aliud; Hæc rursus alia est continuatiua, de qua egimus lib. 1. de prædicamento quantitatis sect. 5. alia est essentialis, & penetratiua, per quam scilicet partes essentiales inuicem penetratæ vniuntur. Hæc ergo vnio definiri potest ratio formalis, per quam aliqua extrema distincta alligantur mutuò ad faciendum aliquid propriè vnum. *Propriè*, inquam *vnum*, non verò vnum merè per aggregationem, sicuti glutine ex duobus lignis fit vnum. Ideò autem ex duobus lignis non fit totum propriè vnum; quia non se habent vt actus, & potentia, vt perfectibile, & perfectiuum: cum vtrumque sit ens completum; è contra ea, inter quæ intercedit vnio faciens propriè vnum, debent esse talia, vt vnum saltem extremum non sit omninò secundum se completum. Quod dicendum est propter vnionem hypostaticam, quæ est verissima vnio, ex eo quod licet verbum sit de se omninò completum, & incapax nouæ perfectionis, humanitas tamen per verbum vlterius perficitur in ordine ad operationes Theandricas. Adde quid sit per vnionem ex duobus extremis fieri aliquid propriè vnum, prout opponitur vni per agregationem, satis videri, quod per se constet; vnusquisque enim experitur se diuerso modo facere vnum cum calore, v. g. quem recipit, & cui vnitur, quam cum vestibus.

2 Proprietas vnionis est vt per illam habeatur proxima exigentia, vt vbicunque est vnum extremum tanquam in loco adæquato, sit etiam alterum dummodo alterum sit capax essendi in tali loco, & primò quidem per vnionem habetur proxima exigentia, vt vbicunque est vnum extremum sit etiam alterum, licèt enim formaliter vnum extremum sit in loco, in quo est aliud, per propriam vbicationem, hoc tamen exigitiuè proximè habetur ab vnione, sustentatio enim exigit vnionē, & vnio deinde proximè exigit, vt vbi est vnum extremum, sit etiam aliud, nam cum præter sustentationem admittenda sit vnio, vt probabimus, & cum vnio ponatur ad exigentiam sustentationis inseparabilitas extremorum habetur mediatè ad exigentiam sustentationis, proximè verò ad exigentiam vnionis. Quod si sustentatio non est natura prior vnione, inseparabilitas extremorum proximè, hoc est, principaliter exigetur ab vnione, vt porè ad hoc à natura principaliter instituta.

3 Hinc quamuis possit Diuinitus replicari anima Neapoli non replicato corpore illi vnito stante tamen vnione inter corpus, & animam, non potest hoc fieri sine nouo miraculo, & absque eo, quod fiat contra id, quod ab vnione exigitur, diximus enim vnionem exigere, vt vbicunque est vnum extremum tanquam in loco adæquato, sit etiam alterum, in loco inquam adæquato, neque enim vbicunque est vnum extremum tanquam in spatio inadæquato, debet etiam esse aliud extremum. Porrò spatium adæquatum est illud, quod naturaliter alicui debetur, ita vt minus non sit sufficiens, sic spatium adæquatum animæ rationalis, quæ sit vnita corpori, v. g. sex palmorum, est spatium sex palmorum, stante enim tali vnione tantum spatium, & non minus naturaliter illi debetur: spatium inadæquatum est pars spatij adæquati. Quamuis ergo pes, v. g. vniatur animæ rationali, non tamen debet pes esse vbicunque est anima tanquam in spatio inadæquato, quia non debet esse vbi est caput, quo in loco anima est tanquam in spatio inadæquato satis enim est, quod sit vbi est anima tanquam in spatio adæquato, atque ita vt in eo sit vel adæquatè, vel inadæquatè. Similiter humanitas Christi Domini vnita Verbo diuino non debet esse vbicunque Verbum existit tantanquam in spatio inadæquato, sed satis est, quod sit vbi illud est tanquam in spatio adæquato, & in eo vel adæquatè, vel inadæquatè, ideòq; humanitas est in vbiquitate, quæ est locus adæquatus Verbi Diuini, sed in illa est inadæquatè.

4 Dices Angelus existens in tota schola, v. g. est in illa tanquam in spatio adæquato, & tamen in quacunque parte scholæ habet omnes suos actus, & operationes, cur ergo idem non accidit in anima rationali existente in corpore. Respondeo Angelum existere in tota schola tanquam in loco plusquam adæquato, minor enim, & minor locus esset illi sufficiens, ideòque cum in qualibet

parte scho'æ sit in loco sibi sufficienti in quolibet debet habere omnia sua similiter Corpus Christi Domini, quia ita existit in hostia, vt in qualibet illius parte sufficienter existeret, ideòque in qualibet patte hostiæ debet habere omnia sua, & anima vnita corpori v. g. sex palmorum est inspatio sex palmorum tanquam in loco adæquato, ideòque satis est, quod intra hoc spatium habeat omnia sua, quæ satis est quod sint in tali spatio inadæquate.

5 Additæ sunt in definitione vnionis illæ particulæ, *dummodo alterum sit capax essendi in tali loco*, licet enim vbi sit vnitum rei replicatæ, non tamen debet hoc simul cum re replicata replicati, quia vbi est incapax essendi in alio loco; Per has porticulas allata definitio vnionis conueniet etiam vnioni continuatiuæ; quamuis enim secundus palmus ligni, v.g. continuatus cum primo non sit in loco vbi est primus, hoc tamen non tollit, q[illegible]nus illi vniatur, quia secundus palmus ratione suæ impenetrabilitatis non est capax essendi vbi [illegible]; quare est in loco alterius eo modo, quo illi vnitur, & sicuti vnitur alteri continuatiuè, non penetratiuè, ita est in loco alterius non penetratiuè, sed continuatiuè per immediatam sequelam ad alterum. Quod si dicas replicato corpore Neapoli, v. g. neque animam esse incapacem essendi Neapoli, ideòque naturaliter non debere replicari, quod tamen constat esse falsum. Contra est, quia replicato corpore debetur etiam animæ replicatio ratione vnionis cum corpore, sicuti replicato primo palmo debet etiam connaturaliter replicari secundus palmus continuatus cum primo, at nullibi debet secundus palmus penetrari cum primo, quia secundus palmus vnitur cum primo tali vnione quæ cum sit continuatiua, hoc est intercedens inter partes impenetrabiles, & incapaces essendi naturaliter in loco alterius, exigit solùm vt vna pars sit immediatè post locum alterius.

SECTIO SECVNDA.

An vnio in composito substantiali sit quid super additum materiæ, & formæ.

1 VNio in composito substantiali non potest haberi per solam materiam, & formam, nam etiam forma materialis diuinitus existere potest sine materia, non minus quam possit forma accidentalis existere absque eo, quod materiæ vniatur, ergo formam etiam materialem vniri materiæ habetur per aliquid aliud, similiter non potest vnio haberi formaliter per intimam præsentiam, & cõplexum dispositionum. Primò, quia potest forma esse intimè præsens materiæ etiam dispositæ, nec tamen illi vniri; si enim materiæ informaræ Petri fiat intimè præsens anima Pauli, non propterea materia erit informata duplici forma, ergo non satis est ad informationem, quod forma fiat intimè præsens materiæ dispositæ, quod si dicas à secunda forma non informari materiam, quia antecedenter informabatur alia forma. Contra est primò, quia iam vnio formaliter non habetur præcisè per intimam præsentiam, & dispositiones; Contra secundò, quia stante intima præsentia vtriusque formæ cum materia disposita, hæc informatur à prima forma, non à secunda, ergo aliquid peculiare dabitur respectu primæ formæ, quòd erit vnio. Præterea si vniri nihil aliud esset, quam reddi alteri intimè præsens, sequeretur, quod si anima alicuius damnati fieret intimè præsens alicui existenti in gratia, gratia vniretur animæ huius damnati, & faceret illam gratam, quod est falsum. Neque dicas non facere illam gratam, quia iam antecedenter habeat facere gratam animam iusti, nam si ponatur casus, quod gratia infundatur iusto, postquam illi facta est intimè præsens anima damnati, non erit maior ratio, cur gratia vniatur animæ iustæ, quam animæ damnatæ; nam si præscindamus ab vnione nihil de præsenti peculiari datur in vno, quod non detur in alio. Negatio enim gratiæ in vtroque æquè per ipsam gratiam formaliter tollitur: si ergo gratia accidentalis vnitur subiecto vnione superaddita, idem à fortiori dicendum erit de forma substantiali.

2 Sed vnionem in composito substantiali haberi formaliter non posse, neque per dispositiones, neque per substentationem, neque per alia, quæcunque accidentia, ideòque necessariò debere esse modum substantialem, probatur præcipue, quia alioqui aliquid accidentale esset de intrinseco constitutiuo substantię completæ, & per consequens compositum substantiale, vt compositum substantiale est, non esset substantiale: nam compositum, vt compositum importat tanquam sui constitutiuum formalem compositionem, ergo si formalis compositio, & vnio est quid accidentale compositũ, vt compositum esset quid accidentale, quod est absurdum, ex dictis enim lib. 1. vbi de ente substantiali, substantiale est id, quod est primariò, & per se intentum à natura, sed id quod primariò & per se est intentum à natura non est sola materia, & forma, sed compositum, & totum; ergo id quod saltem partialiter est formale constitutiuum compositi, erit saltem pars illius, quod est per se intentum, ideoque erit substantiale. Confirmatur, tum quia pereunte homine perit aliquid substantiale, & dum generatur, generatur ab agente naturali aliquid substantiale, hoc autem non potest esse nisi vnio, tum quia dispositiones sunt extra essentiam rei, & quid prærequisitum ad vnionem. Neque recurras, vel ad decretum Dei, vel ad negationem impedimentorum, seù modi miraculosi, vel ad rectam, & obliquum, nam præter ea, quæ agentes de actione,

actione, vbicatione, vnione continuatiua, alijsque modis ad hæc respondimus militat peculiaris ratio pro vnione, quod debeat admitti esse quid substantiale.

3 Dices primò saltem in compositis merè materialibus nulla erit si necessitas admittendi vnionẽ superadditam si dicamus posse quidem hanc formam materialem, siuè substantialem, siuè accidentalem existere, sine hoc subiecto, si hoc subiectum non existat, sed non posse hanc formam, & hoc subiectum coexistere absque eo, quod hæc forma vniatur huic subiecto. Et quidem si hoc dicatur non sequitur quidquam contra principia fidei, nam in Eucharistia remanent quidem accidentia realia non vnita suo subiecto, sed subiectum, seu substantia panis totaliter perijt. Quare dici posset, quod si Deus vellet hæc accidentia rursus vnire suo subiecto, satis esset, quod substantia panis destructa reproduceretur, eo enim ipso per coexistentiam talis subiecti cum talibus accidentibus, hæc illi vnirentur. Sed contra est, quia vel vis quod coexistentia ingrediatur rationem formalem, cur materia, & forma vniantur, & hoc dici non potest, quia aliquid accidentale esset constitutiuum formale compositi substantialis: vel vis quod coexistentia se habeat tanquam conditio, qua posita materia, & forma vniantur se ipsis. Et contra est, quia ex suppositione, quod materia, & forma coexistant, vel essentialis alligatio ponitur à te in sola materia, vel in sola forma, vel partim in materia, partim in forma, quomodocunque autem ponatur non tollitur prædicatum modale vnionis, sed vel identificatur cum materia, vel forma, vel ponitur partim in materia partim in forma; hoc autem præterquam quod est contra communem sensum; impugnatur etiam ex eo, quod si posita coexistentia materiæ, & formæ, esset de essentia formæ actu perficere materiam, augeretur indigentia formæ ab actuali existentia materię, quantumuis distantis, non est autem intelligibile, quomodo aliquid distans augere possit formæ indigentiam; nam si non est de essentia huius formæ indigere hoc subiecto simpliciter; non est cur dicamus esse de essentia huius formæ indigere hoc subiecto ex suppositione quod hoc subiectum existat; si enim huiusmodi indigentias gratis liceret inuehere, liceret etiam dicere, quòd hic calor non potest nisi ab hoc igni produci. Sicut ergo natura duce dicimus, quod ignis potens comburere hoc lignum possit etiam comburere aliud ita dicendum erit, quod forma, siuè substantialis, siuè accidentalis, quæ de facto recipitur in hac materia æquè potuisset recipi in alia materia eiusdem speciei. Demum si in composito humano modus vnionis admittitur, cur non admittetur etiam in alijs compositis? Neque oppositę sententiæ quidquam fauet definitio Tridentini docentis per consecrationem perire totam substantiam panis, & vini; hoc enim intulit Concilium ex verbis Christi Domini, vt probant Theologi, non verò ex eo, quod remanentibus his accidentibus non possit remanere hæc substantia absque eo, quod illis vniatur, desitio enim substantiæ non debuit à Concilio inferri dependenter ab hac, vel illa sententia philosophica, sed ex verbis Christi Domini.

4 Dices secundò, Coexistentia ingreditur partiale constitutiuum continui permanentis substantialis, ergo existentia ingredi poterit partiale constitutiuum compositi ex materia, & forma. Antecedens probatur; potest existere hodie vnum binarium minimorum A, & B, eo modo continuatum quo diximus libro primo, vbi de compositione continui, Cras verò minimum B, diuisum à minimo A, potest continuari cum minimo C, hoc posito verum est dicere, quod in diuerso tempore dentur tria minima cum suis modulis, & quod prætereà dentur duo alij modi grandiores continuantes duo binaria minimorum, quia tamen modi grandiores non dantur simul tempore, non datur continuum triminimum, ergo continuum triminimum substantiale constituitur partialiter per coexistentiam modorum. Respondeo licet continuum triminimum substantiale, prout habens omnia constitutiua triminimi simul tempore existentia constituatur partialiter per coexistentiam modorum, continuum tamen triminimum, vt tale continuum est, & præscindendo ab hoc, quod habeat omnia sua constitutiua existentia simul tempore, nullo modo constituitur per coexistentiam, quod patet ex dictis, vbi de vnione continuatiua, ex eo enim, quod minimum A, continuetur substantialiter cum minimo B, & minimum B, continuetur substantialiter cum minimo C, minimum A, continuatur substantialiter cum minimo C, mediatè: quæ sunt enim continuata substantialiter cum eodem tertio, sunt mediatè continuata substantialiter inter se, & sicuti ad constituendam continuitatem immediatam minimi A, cum minimo B, coexistentia vtriusque minimi se habet vt conditio, ita ad constituendam continuitatem mediatam minimi A, cum minimo C, coexistentia se habebit vt conditio.

5 Dices tertiò duo minima vniuntur substantialiter præscindendo à coexistentia, quia est impossibile intelligere solam vnionem continuatiuam duorum minimorum, & non intelligere illa esse vnita, sed si intelligamus solas vniones continuatiuas trium minimorum, non propterea intelligimus triminimum, sed debet etiam inuolui coexistentia talium vnionum continuatiuarum, ergo, &c. Respondeo eodem modo; quod nimirum præscindendo à coexistentia vnionum continuatiuarum intelligimus triminimum secundum omnia constitutiua continui triminimi, vt tale continuum est, licet non intelligamus continuum triminimum secundum omnia constitutiua triminimi simul tempore existentia. Similiter quia per hoc, quod intelligamus duo minima cũ modo continuatiuo vtriusque minimi præscindendo ab eorum coexistentia intelligimus biminimũ, ideò coexistentia non est cõstitutiua biminimum, vt continuũ biminimũ est, verum quidem est non posse dari modũ continuatiuũ

duorum minimorum sine coexistentia omnium constitutiuorũ biminimi, sed hoc est ex peculiari ratione talis modi continuatiui necessariò requirentis coexistentiam extremorum, cæterum si posset talis modus dari, & dari possent extrema; absq;eo quod coexisterent coexistẽtia non ingrederetur cõstitutiua continui biminimi, vt continuum biminimum est, sed ingrederetur constitutiua continui biminimi, prout habẽtis omnes suas partes simul tẽpore existentes. Explicantur hæc omnia in simili, si intelligatur A, colligatum glutine aliquo cum B. & B. pariter glutine colligatum cum C. tota ratio formalis cur C. si colligatum mediatè cum A. est gluten, & nemo dicet quod coexistentia, ideòque durationes, & tempus, sint partialis ratio cur C. colligetur mediatè cum A. licet enim non possit C. alligari mediatè cum A, eo tempore quo B. inter medium alligatur ipsi A, immediatè, nisi simul tẽpore existat vtrumque gluten, tamen tota ratio formalis, cur alligentur mediatè præscindendo ab alligatione cum simultate temporis, non est nisi vtrumque gluten.

6 Dices quartò si A, non existat alligatum B. eo tempore quo B. est alligatum C. nunquam C. erit mediatè alligatum A. ergo inter constitutiua alligationis mediatæ ingreditur coexistentia vtriusque glutinis. Respondeo eodem modo: distinguo Antecedens, nunquam C. erit mediatè alligatum A, simul tempore, concedo antecedens: præscindendo à tempore nego antecedens, & eodem modo distinguendum est consequens; quare si hodie A. sit conglutinatum B, & cras dissoluto hoc glutine, B. per aliud gluten colligetur cum C. adhuc C. erit præscindendo à simultate, temporis conglutinatum cum A. mediatè, ad hoc enim satis est, quod C, sit conglutinatum cum aliquo medio, quod sit conglutinatum cum A, siue deinde hæ duæ colligationes dentur simul tempore, siue non, quod impertinenter se habet ad verificandum, quod simpliciter loquendo A, sit colligatum mediatè cum C. idem ergo dicendum de continuo triminimo, vt per se patet.

7 Vna sufficit vnio ad vniendum vtrumque extremum; implicat enim dari nexum duorum absque eo quod duo nectantur. Accedit paritas vnionis hypostaticæ, quæ cum sit vnica, vnit tamen Verbum diuinum cum humanitate, quamuis autem per vnionem hypostaticam non perficiatur Verbum, quia est incapax recipiendi nouam perfectionem; Vtrumque tamen extremum, si sit capax recipiendi perfectionem, poterit per vnicam vnionem sufficienter perfici, cum per illam tam materia recipiat formam, quam forma informet materiam: & sicuti idem modus est actio, & passio, ita vna, & eadem vnio à materia dicetur materializatio, quia est id, quod materia materializat formam; à forma dicetur informatio, quia est id quo forma informat materiam; à forma verò, & materia simul dicetur compositio.

SECTIO TERTIA.

Reliquæ Quæstiones de Vnione.

1 VNio non est identificata cum actione productiua, vel conseruatiua formæ substantialis. Primò quia in composito humano vnio est à generante; actio verò creatiua formæ rationalis est à solo Deo. Secundò, quia non posset idem equus, v. g. qui fit à Deo simul, & causa secunda, fieri à solo Deo, actio enim est suis efficientibus essentialiter alligata, ergo si vnio esset identificata cum actione, esset essentialiter alligata suis efficientibus, ergo vnio, ideòque vnitum, vt vnitum, quod fieret à Deo simul, & causa secunda, non posset fieri à solo Deo. Tertiò, Actio est identificata cum duratione vti diximus lib. 1. in prædicamento actionis; ergo cum duratio sit in continuo fluxu, vnio, ideòque vnitum, vt vnitum, esset in continuo fluxu. Verum quidem est in compositis etiam permanentibus continuo fieri aliquarum partium mutationem, sed sicuti non possumus illis dare permanentiam, quæ experientiæ, vel rationi repugnet, ita non debemus entibus permanentibus adimere permanentiam, nisi cogamur; aliter dicam non modo vnionem, sed etiam albedinem, v. g. esse in continuo fluxu. Adderem cum alijs aliam rationem, quia scilicet conceptus vnionis non est conceptus actionis, sed hæc ratio non est efficax, quia cum modi vniantur se ipsis suo subiecto, cui inhærent actio est vnio sui ipsius ergo vniuersaliter loquendo non repugnat actionem identificari cum vnione.

2 Vnio sustentatur à materia, cum enim non creetur educitur de potentia materiæ, & fit ab agente naturali per concursum materiæ; ideòque in materia tanquam in subiecto sustentationis recipitur. Hinc etiam vnio animæ rationalis, cum fiat ab agente naturali non potente creare sustentabitur à materia, & per consequens erit materialis: & quidem diuisibilis, ex eo præceptiuè, ne ad minimum materiæ decrementum mutetur tota vnio, si enim tota materia per vnionem indiuisibilem vniretur animæ rationali, talis vnio indiuisibilis esset toti materiæ essentialiter alligata, & per consequens ablata qualibet minima particula tota vnio deberet mutari.

3 In forma cõnaturali loquendo non potest vnio recipi tanquam in subiecto sustentationis, quia vnio nõ est natura posterior forma, sed in signo cõcomitante, quod probatur, quia materia nõ exigit formã, quomodumq; existentẽ, sed exigit formã sibi vnitam, eo enim modo materia exigit formã, quo est bonum materiæ sed forma vnita est bonum materiæ, ergo forma vnita exigitur à materia, ergo non

non prius exigitur à materia forma, & deindè vnio, sed simul exigitur forma vnita, ergo auctor naturæ non prius ab exigentia materiæ mouetur ad ponendam formam, ità vt à materia, & forma deindè moueatur ad ponendam vnionem, sed simul, & semel ab exigentia materiæ mouetur ad dandam illi formam tali modo, ergo ex dicendis de prioritate naturæ, forma, & vnio erunt in signo concomitante. Vide lib. 1. in prædicamento actionis, vbi actionem etiam ponimus in signo concomitante cum termino. Dixi vnionem non esse priorem natura connaturaliter loquendo, miraculosè enim sicuti Deus posset nõ satisfacere exigentiæ materiæ dispositæ, ita posset illi non satisfacere eo modo, quo exigit, sed prius non modo natura, sed etiam tempore producere formam, & deinde illã vnire.

4 Vnio in composito substantiali fit per actionem ab ipsa vnione distinctam. Primò ne dicamus eundem equum, qui fit à Deo, & equo generante non posse fieri à solo Deo. Secundò, ne dicamus vnionem identificatam cum actione, & duratione esse in continuo fluxu. Tertiò, quia equus, v. g. esset specie diuersus in primo minimo suæ durationis à se ipso in secundo minimo suæ durationis, in primo enim minimo haberet vnionem sui constitutiuam essentialiter alligatam Deo, & causæ secundæ, in secundo verò minimo haberet vnionem alligatam soli Deo.

5 In composito humano forma rationalis, & vnio non fiunt per eandem actionem, anima enim rationalis actione creatiua pendet à solo Deo, vnio verò actione eductiua fit à Deo, & causa secunda in alijs compositis nulla est ratio, cur forma, & vnio per eandem actionem non fiant, cum enim ex paulò ante dictis, forma, & vnio ponantur in signo concomitanti, & sint intimè penetratæ, non est, cur fieri per eandem actionem non possint, sicut enim duæ causæ simul concurrentes ad eundem effectum concurrunt vna eademque actione, ita duo effectus compenetrati, & pro eodem signo naturæ pendentes ab ijsdem causis, poterunt vna eademque actione produci.

6 De facto vnio educitur de potentia materiæ, cum producatur ab agente naturali non potente creare, sed indigente concursu subiecti, non tamen repugnat, quod miraculosè creetur à Deo itaut vniat quidem materiam, & formam, illisque sit essentialiter alligata, sed neque in materia, neque in forma sit tanquam in subiecto sustentationis, neque enim est de essentia modi esse in alio tanquã in subiecto inhæsionis, actio enim creatiua Angeli, & actio conseruatiua accidentium extra subiectum sunt solùm adhæsiuè in terminis talium actionum.

7 Formæ accidentales modales se ipsis vniuntur cum suis subiectis, in quibus ratione sui recipiũtur per essentialem alligationem cum illis, ideò non indigent vnione distincta, per quam illis vlterius alligentur formæ accidentales reales non vniuntur cum suis subiectis merè per hoc quod illis coexistant, vt probauimus sect. 1. huius capitis num. 3. Neque cum illis vniuntur per hoc præcisè, quod cum illis penetrentur, vt constat tum ex dictis eadem sect. num. 1. tum quia non videtur repugnare quod detur accidens reale intimè penetratum subiecto, nec tamen illi vnitum. Vnio ergo accidentiũ realium cum subiecto est modus accidentalis superadditus, & probabiliter distinctus à sustentatione, per quam à subiecto sustentantur, licet enim stante sustentatione non possit non esse accidens in subiecto, à quo sustentatur, vnio tamen distincta à sustentatione suadetur primò, quia cum sustentatio sit identificata cum actione non posset idem calidum, v. g. quod fit à Deo simul, & causa secunda fieri à solo Deo, cum enim vnio ingrediatur constitutiua calidi; non posset actio fieri à solo Deo non posset vnio, ideòque nec ipsum calidum fieri à solo Deo, quod non videtur dicendum. Secundò, cũ sustentatio sit identificata cum duratione, & hæc sit in continuo fluxu, etiam album, v. g. esset in continuo fluxu ratione vnionis constituentis album, sicut ergo substantijs permanentibus non est adimenda permanentia, nisi positiuè probetur, ita compositis accidentalibus permanentibus non est adimenda permanentia nisi positiuè probetur. Aliter sicuti tu vis vnionem albedinis cum subiecto esse in continuo fluxu, ita ego dicam ipsam etiam albedinem esse in continuo fluxu. Denium sicuti diximus videri inconueniens, quod non sit idem specie equus post primum minimum generationis, qui fuit in primo minimo, ita videtur inconueniens dicere, quod non sit idem specie album post primũ minimum productionis, quod fuit in primo minimo; non esset autem idem, si vnio constitutiua albi identificaretur cum actione, quæ in secundo minimo essentialiter differt ab actione primi minimi. Hæ rationes vel nullo modo, vel certè non sufficienter militant pro formis modalibus, ideòque hæ sine vnione superaddita vniuntur suis subiectis; vt diximus.

8 De vnione accidentali formarum accidentalium eadem sentienda sunt, quæ diximus de vnione substantiali formarum substantialium, quod scilicet connaturaliter subiectari non possint in forma, quod fiat per eandem actionem, per quam fit ipsum accidens, & quod de facto educatur de potentia subiecti, non tamen repugnet miraculosè creari à Deo, eædem enim rationes, quoad hæc æquè militant pro vnione accidentali, ac pro substantiali.

9 Totum non importat quidquam realiter distinctum à partibus vnitis. Primò, quia positis partibus, alijsque omnibus seclusis non potest non intelligi vnitum, ideòque compositum, & totum. Secundò, si totum constitueretur in ratione totius per aliquam totalitatem superadditam, vel hæc totalitas esset aliquid ipsius compositi, vel non; Si esset aliquid ipsius compositi, esset pars compositi, ergo adhuc compositum nihil diceret præter omnes suas partes vnitas si verò non esset aliquid ipsius compositi; compositum non importaret, neque includeret illud, & per consequens compositum non diceret aliquid supra partes.

10 Dices causa debet distingui ab effectu, ergo partes, quæ sunt causa totius, debent distingui à toto. Respondeo causam extrinsecam debere distingui ab effectu, cuasam verò intrinsecam, si sit inadæquata debere solum distingui inadæquatè, si verò sit causa intrinseca adæquata importans etiam intrinsecam causalitatem, non debet nisi ex nostro modo concipiendi distingui ab effectu; ideòque materia, & forma; quæ sunt causa adæquata intrinseca totius simul cum causalitate intrinseca, quæ est vnio, nulla reali distinctione distinguuntur à toto, sed solùm formaliter. Hinc in sensu formali intelligendus est Aristoteles, dum 5. metap. cap.14. docuit sex non esse bis tria, sed semel sex, ad habendum enim conceptum formalem numeri senarij non satis est vna cognitione attingere tria, & alia cognitione attingere tria, sed vnica cognitione cognosci indiuisibiliter, ac tali modo debet attingi bis tria, ad hoc, vt habeatur conceptus formalis numeri senarij, cæterum realiter loquendo eadem bis tria, quæ dant fundamentum concipiendi bis tria, dant etiam fundamentum concipiendi sex.

DISTINCTIO QVARTA.

De Natura.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quæ sit Natura.

1 VAriæ naturæ significationes pluribus in locis afferuntur ab Aristotele, in acceptione tamen physica definitur Natura: Principium, & causa mouendi in eo in quo est primò, per se, & non secundum accidens. Dicitur *principium, & causa*, natura enim debet esse principiū causale, & causa principalis, & radicalis, non verò instrumentalis & formalis, sicuti sunt accidentia, vt infra melius cōstabit. Erit ergo Natura primū, & radicale principiū, & causa *mouendi & quiescendi*, seu motus & quietis, & quidē non nisi motus physici, & sensibilis, qui solus est effectus naturæ in acceptione physica, neque solum motus, sed etiam quietis, hoc est permanentiæ & status in eo, quod per motum sensibilem à natura fuit acquisitum. Natura enim est principium ex propria inclinatione permanendi in eo, quod per motum sensibilem acquisiuit, hinc natura est principium motus, & quietis non simul, sed successiuè, sicuti successiuè se habet positio mediorum, & acquisitio finis.

2 Adduntur in definitione naturæ particulæ *in quo est* quæ referri debent ad ipsam naturam, non verò ad motum, & quietem, ita vt sensus definitionis, sit naturam esse principium, & causam motus, & quietis in eo subiecto, in quo est ipsa natura, quod probatur. Primò ex Arist. qui definiens naturam ait; illam esse principium & causam mouendi, & quiescendi, ergo in eo, in quo est ipsa natura, non verò, in quo est mouendi, & quiescendi quod nullum sensum facit. Secundò, quid notius, quam quod motus, & quies sint in eo subiecto, in quo sunt, ergo non est dicendum, quod Aristoteles voluerit docere aliquid notissimum & omninò superfluum. Tertiò communis est Peripateticorum sententia, quod natura sit principium motus immanentis, & intrinseci conformiter ad plures Aristotelis authoritates, vt ergo à ratione naturæ excluderentur causæ extrinsecæ, quæ sunt principium motus recepti in alieno subiecto addit Aristoteles illas particulas *in quo est*; per illas designans naturam esse principium, & causam motus, & quietis immanentis in illo subiecto, in quo est ipsa natura.

3 Sed quæres quod sit subiectum illud, cui motus profluens à natura, debet esse intrinsecus, & cui ipsa natura debet inesse. Ad quod respondeo esse subiectum denominationis, hoc est ipsum totum substantiale, quod denominatur moueri, & habens naturam, nam cum materia prima ex Aristotele sit natura, vt infra videbimus, & hæc non sit in alio subiecto, nisi in toto, tanquam in subiecto denominationis, subiectum denominationis erit subiectum illud, in quo natura, & motus à natura proueniens debet inesse, & quidem inesse *primo, & per se, & non secundum accidens*. Per quas particulas ostenditur, quod natura inesse debeat subiecto denominationis non accidentaliter, sed primò, & per se tanquam quid illius constitutiuum, sic materia, & forma lapidis, v. g. sunt natura, quia insunt lapidi tanquam primò constitutiua lapidis. Hinc à ratione naturæ excluduntur, vt initio dicebamus, potentiæ formales superadditæ cuiusmodi sunt grauitas, v. g. & leuitas;

uitas; excluduntur habitus, aliaque quæcunque accidentia, cum de ratione naturæ sit esse in subiecto denominationis tanquam constitutiuum illius.

4 Circa hanc naturæ definitionem dubitatur: quomodo sit accipienda particula illa *&* copulatiuè ne an disiunctiuè? & rationem dubitandi affert cælum, quod sæpe numeratur ab Aristotele inter corpora naturalia, nec tamen in illo videtur dari quies, sed solus motus: Verum nullo modo particula *&* à sensu copulatiuo distrahenda est ad sensum disiunctiuum. Aristoteles enim 8. Physic. tex. 23. ait; *Posita est natura in naturalibus principium sicuti motus, & quietis*, quæ verba denotant apertè sensum copulatiuum. Ad difficultatem de cælo dico naturam definiri non in ordine solum ad motum localem, sed in ordine ad quemcumque motum sensibilem, alterationis, generationis, &c. vt patet ex Aristot. 2. Phys. tex. 1. vbi ait: *Quæ enim natura sunt, omnia videntur habere in se ipsis principium motus, & status, hæc quidem secundum locum, illa verò secundum augmentum, & decrementum, quædam autem secundum alteratiouem*. Cælum ergo est natura, quia est principium intrinsecum motus alterarionis, & quietis quia illuminatur, & in acquisita illuminatione quiescit, cum positiua inclinatione saltem quatenus est pars vniuersi. Addi recentiora phænomena suadere, vt videbimus in lib. de Cælo, quod dentur etiam in Cælo generationes, & corruptiones. Porrò ad rationem naturæ hic definitæ satis est, quod sit principium solummdo passiuum motus, & quietis; tum quia de huiusmodi principio verificatur tota naturæ definitio, tum quia materia per Aristotelem est natura, nec tamen est nisi principium passiuum. Non tamen ad rationem naturæ satis est, quod sit principium solummodo actiuum motus, & quietis, quod enim solum est tale, est principium motus sibi extrinseci, quod ad rationem naturæ non sufficit. Neque dicas esse naturale igni calefacere, aquæ frigefacere, &c. nam hæc sunt naturalia secundariò, & quatenus consequuntur ad motus primariò naturales, per quos prius in se ignis producit calorem, aqua frigus. Quod si non nunquam dicitur aliquid naturale, quod consideratione physica neque primariò, neque secundariò est, tale vt cum dicimus naturale esse Deo benefacere, hoc dicimus, quia nomen naturæ plures habet acceptiones, & sicuti nomen naturæ applicatur etiam Deo, ita aliqua dicuntur esse illi naturalia, sed nos hic loquimur de natura physica.

5 Ex dictis infertur completum, & integrum sensum definitionis naturæ esse, quod sit principiũ causale vel actiuum simul & passiuum, vel saltem passiuum alicuius motus, & quietis sensibilis intrinseci subiecto denominationis, seu substantiæ completæ, in qua inest ipsa natura, non per accidens, sed tanquam primum, & essentiale constitutiuum illius. Hinc tam materia, quam forma etiam rationalis prout rationalis, est natura, si vtraque accipiatur prout in composito; vtrique enim conuenit allata naturæ definitio. Et primò materia est natura, vt sæpè docet Aristoteles, quia est principium passiuum motus sensibilis intrinseci in eo subiecto denominationis, in quo ipsa natura est, tanquam illius constitutiuum; verùm est tantummodo natura, si accipiatur prout in composito: cum enim natura debeat esse principium determinati motus cum inclinatione; materia, si non accipiatur prout in composito, non inclinabit potius ad hunc determinatum motum, quam ad oppositum. Hinc materiæ hoc modo acceptæ dari poterit motus violentus; ille scilicet, qui est violentus, & malus materiæ non præcisè consideratæ, sed acceptæ prout in composito, & prout inclinantis ad bonum totius, ad quod quælibet pars quatenus talis inclinat.

6 Etiam forma substantialis prout accepta in composito, & quatenus est principium motus intrinseci, est natura, imò cum de se absque alterius determinatione inclinet ad determinatos motus, est magis natura, quam materia, vt docet Aristoteles 2. Pysic. tex. 12. vbi reddens huius rei rationem subdit, *vnumquodque enim tunc dicitur, cum actu sit, magis quam cum potentia*, hoc est id, quod actu, & ex se habet esse principium motus; magis est natura, quam id, quod habet solum potentiam, quod scilicet solum potest ad tales motus inclinare si ab alio determinetur, sicuti est materia. Neque verò hinc inferas materiam nullo modo esse naturam, sed solam formam, à qua habetur determinatio ad talem motum; nam aliud est id, de quo aliquid verificatur, aliud id ratione cuius verificatur, sicut ergo de forma verificatur, quod sit natura, licet partialis ratio, cur hoc dè illa verificetur, sit inexistentia in toto, ita de materia verificatur, quod sit natura, licet partialis ratio, cur hoc de illa verificetur, sit forma, & inexistentia in toto, per quæ determinatur ad inclinandum ad hos peculiares motus.

7 Anima rationalis, etiam secundum vltimum gradum rationalis, est natura, sicut enim secundum gradum vegetatiui est principium augmentationis, & secundum gradum sensitiui, est principium sensationis, ita secundum vltimum gradum rationalis est principium talis augmentationis, & talis sensationis. Anima enim rationalis secundum vltimum gradum rationalis est principium talis figuræ, talis staturæ, & talium organorum, quæ inseruire possunt ad discursum: est principium talis motus progressiui, risus, &c. imò ipsa etiam intellectio est sensibilis, si non in se, saltem ratione alicuius motus sensibilis phantasiæ, cum quo intellectio habet connexionem. Porrò etiam anima rationalis prout natura non est separabilis nisi per rationem, quod ad naturam requirit Aristoteles 2. Physic. tex. 11 quia cum anima rationalis, sicut, & quælibet forma non sit natura nisi prout in composito, vt diximus, etiam anima rationalis prout talis non est separabilis nisi per rationem.

8 Compo-

8 Compoſitum non eſt natura, ſed à natura, ſeù conſtat natura; ita Ariſtoteles 2. phyſic. tex. 12. vbi ait, *Quod autem eſt ex his*, hoc eſt compoſitum, *natura quidem non eſt, ſed à natura vt homo*, merito quia ad rationem naturæ ex eius definitione requiritur, quod ſit in alio tanquam in ſubiecto denominationis, compoſitum autem in nullo eſt, ſed in ipſo alia ſunt, et ex alijs ipſum componitur. Neque dicas ab Ariſtotele 20.phyſicorum tex.1. Animalia vocari naturam, nam *natura* in textu Greco poſita in recto,ſed in obliquo facit iuxta interpretationem Conimbricenſium hunc ſenſum. *Quedam natura conſtat, quadam per alias cauſas. Natura quidem animalia, & partes ipſorum, & plāta, atque ſimplicia corpora, vt terra, & ignis, aer, & aqua. Hac enim, & huiuſmodi alia natura dicimus conſtare*. Atque hoc idem dicendum ad alias huiuſmodi authoritates Ariſtotelis. Neque rurſus dicas ex duabus naturis incompletis poſſe fieri vnam naturam completam, non aliter ac ex duabus ſubſtantijs incompletis ſit vna ſubſtantia completa. Diſpar enim eſt ratio ex eo, quod ad ſubſtantiam completam non requiritur, quod ſit in alio, ſicuti requiritur ad naturam, ex eius definitione.

9 Ridiculum eſt tentare, demonſtrare, quod detur natura, imò ex Ariſtotele illam demonſtrare, eſt impoſſibile, ſed intelligendum hoc eſt, itaut ſit impoſſibile demonſtrare naturam per aliquid ſimpliciter notius; quid enim notius quam quod detur, v.g. lapis inclinans ad motum deorſum? nihil autem aliud eſt natura, quam tale principium motus ſenſibilis cum inclinatione. Verum negandū non eſt, poſſe fieri aliquem bonum ſyllogiſmum, & verum diſcurſum, cuius præmiſſe non contineant formaliter concluſionem, et aliquo modo ſint illa notiores ſecundum quid, hoc eſt quatenus ex illis infertur concluſio. Diſcurſus autem erit hic: Si dantur plures, et plures motus, et quietes ſenſibiles in rerum vniuerſitate benè conſtituta, datur ſaltem aliquod illorum principium intrinſecum, et cum inclinatione, ſed dantur in rerum vniuerſitate benè conſtituta plures motus, et quietes ſenſibiles, ergo dabitur ſaltem aliquod illorum principium, hoc autem eſt natura. Maior huius ſyllogiſmi hypothetica, cum nihil abſolutè affirmet, non continet formaliter conſequentiam, quæ abſolutè infert, et affirmat exiſtentiam, naturæ; eadem maior videtur etiam euidens, eſſet enim vniuerſitas malè conſtituta ſi ex tot motibus, qui in illa dantur nullus eſſet bonus illi ſubiecto, in quo eſt, ſed etiam minor eſt euidens, neque continens concluſionem, vt per ſe patet, ergo hic eſt bonus, et euidens diſcurſus, in quo præmiſſæ ſunt notiores concluſione ſaltem quatenus ex illis deducitur talis concluſio.

CAPVT SECVNDVM.

De Naturali, & Violento.

1 A Natura prouenit naturale, cui opponitur violentum, quod benè communiter definitur ex Ariſt. Ethicor. cap. 1. tum alibi: Id quod eſt à principio extrinſeco nullam vim conferente paſſo: in hac autem definitione per illam particulam *vim* ſignificatur inclinatio, ita vt violentum ſit ſine vlla inclinatione paſſi: Verum ſine vlla inclinatione paſſi, non præciſiuè, ſed contrariè, hoc eſt cum poſitiua reſiſtentia paſſi, idque tùm conformiter ad Ariſtotelem, qui loco circa medium ait: *Videtur autem violentum id eſſe cuius principium extrinſecum eſt, nihilque ad id confert ille, qui cogitur*. Cogi autem deſignat poſitiuam reſiſtentiam tùm quia conceptus ipſe; et notio violenti importat poſitiuam reſiſtentiam paſſi, tùm demum quia ſequeretur, quod illuminatio eſſet aeri violenta, ſi ad violentum ſatis eſſet, quod paſſum reſpectu illius nullam haberet inclinationem. Motus ergo violentus erit à principio extrinſeco cum poſitiua reſiſtentia paſſi: Naturalis verò à principio intrinſeco cum inclinatione paſſi.

2 Dices, Mors eſt viuenti violenta, et tamen aliquando eſt ab intrinſeco, ergo non omne violentū eſt ab extrinſeco. Reſpondeo quamuis cōmuniter dicatur aliqua mors eſſe naturalis, aliqua violenta: Simpliciter tamen omnis mors eſt violenta, et ab extrinſeco; omnis enim mors eſt cum contranitentia paſſi, et eſt ſaltem à cibis extrinſecis, qui dum vitam nutriunt, vires viuentis debilitant, ex eo, quod dum calor naturalis in illos agit in calorem naturalem reagunt, vt explicabimus in libro de anima. Porrò huiuſmodi mors dicitur in ampliori ſignificatione naturalis; prout opponitur morti, v. g. quę infertur ab extrinſeco occiſore, ſed non dicitur naturalis, niſi quatenus conſequitur ex neceſſitate naturę ad aliquid homini naturale, ad naturalem ſcilicet appetitum ciborum.

3 Prețer motum naturalem, et violentum datur etiam neuter, qui videlicet neque eſt cum poſitiua inclinatione, neque cum poſitiua contranitentia paſſi, talis eſt motus circularis reſpectu Cœlorum, et illuminatio reſpectu aëris ſi conſiderentur, vt corpora particularia. Porrò ad dignoſcendum vtrum aliquis motus ſit naturalis, violentus, vel neuter ſpectari debet inclinatio tòtius, tum quia in communi locutione dicimus hoc vel illud eſſe, homini, equè, etc. naturale, vel violentum, tum etiam, quia ex locutionibus Ariſtotelicis initio citatis, violentum dicitur reſpectu illius,

illius, qui cogitur, qui autem simpliciter dicitur cogi est totum; tum demum quia sicuti materia, & forma non sunt natura ex supra dictis, nisi prout sunt in composito, ita ille motus dicendus erit naturalis, vel violentus, qui est talis spectata inclinatione compositi. Neque obstat, quod violentum dicatur id, quod est tale respectu passi, nam nomine passi simpliciter loquendo non venit sola materia, sed totum, quia totum denominatur, & pati, & agere.

4 Quando in composito non datur nisi inclinatio innata nullum est dubium, quod ratio naturalis, vel violenti desumi debet penes illam; difficultas tamen est, quando in eodem toto datur duplex inclinatio, innata nimirum, & elicita, & vna alteri contrariatur; In hoc ergo casu distinguendum est, vel enim inclinatio innata nullo modo est subordinata elicitæ, & motus, qui fit conformis inclinationi innatæ, etiam si fit contra inclinationem elicitam, erit naturalis, si enim quis, v. g. nolit sibi crescere capillos, nemo dicet, quod augmentum capillorum sit motus violentus, etiam si contra inclinationem elicitam. Quod si inclinatio innata subordinetur, & subiaceat elicitæ, tunc motus, qui fit contra inclinationem elicitam, etiam si sit conformis innatæ erit violentus: si enim quis velit tenere bracchium eleuatum, & ab aliquo extrinseco bracchium contra talem inclinationē elicitam deprimatur, huiusmodi motus erit violentus. Ratio autem horum est, quia denominatio sumitur à potiori. Quando ergo dantur in eodem composito duæ oppositæ inclinationes, illa est potior, cui altera subordinatur, ergo motus dicetur naturalis, vel violentus, prout est conformis, vel difformis inclinationi potiori, cui alia subordinatur.

5 Etiam causa prima potest inferre violentiam creaturis, si enim Deus efficiat in creatura motum aliquem contrarium inclinationi inditæ à Deo ipsi creaturę, talis motus erit à principio extrinseco cogente passum ad motum, ad quem ex indita sibi natura passum resistit, ergo talis motus habebit quidquid requiritur ad rationem violenti. Verum quidem est nullam creaturam posse efficaciter diuinæ voluntati resistere. Sed hoc non facit quominus per inclinationem innatam, sibique inditam possit oppositum exigere; Nam per inclinationem innatam aliquid exigere nihil aliud est, quam quod aliquid sit soli naturæ bonum, oppositum verò malum; Sed non repugnat à Deo dari aliquid creaturæ, quod illi prout talis creatura est non sit bonum, sed malum, ergo non repugnat dari à Deo creaturæ aliquid, ad quod creatura per appetitum innatum intelligatur resistere, & quamuis magis subiaceat creatura Deo, quam quælibet inclinatio innata subiacere possit elicitæ, tamen motus, qui fit conformiter inclinationi elicitę, cui subiaceat innata repugnans, dicitur naturalis, quia est à principio intrinseco, motus verò qui est à Deo conformis voluntati Diuinæ, si sit difformis inclinationi innatæ creaturarum, dicitur violentus, quia est ab extrinseco.

6 Comparatio naturæ cum arte nihil habet peculiare disputationibus inseruiens præter ea, quæ sparsim diximus, ac dicemus. Solet hic disputari, quæ nam opera naturæ fieri possint per artem; & in specie quæritur de auro. Sed breuissimè: quamuis valdè difficile, ac damnosum sit verum aurum per artem efficere, non tamen dicendum existimamus, quod repugnet. Neque enim huiusmodi repugnantia apparet, vel ex parte materiæ de se capacis omnium formarum, vel ex parte loci, caloris, &c. omnia enim videntur suppleri posse per artem, sicuti supplentur, quando per artem fiunt animalia, & si per artem vnum metallum transmutatur in aliud, vt multi, ex experientijs docent, quid ni verti possit in aurum? Addimus non esse impossibile quod verum aurum fuerit ab aliquibus per artem effectum, vt testantur plures historiæ, viri que grauissimi, qui omnes mendacij non sunt tam facile redarguendi. De motu perpetuò dicimus non implicare speculatiuè loquendo, quod per artem fiat, vt costat ex varijs modis, qui ad illum efficiendum à varijs proponuntur, practicè tamen longè probabilius est, quod repugnet.

DISTINCTIO QVINTA.

De Causis in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Causa.

1 CAusam in communi nullibi ab Aristotele fuisse exactè definitam testantur communiter auctores; hinc variæ illius definitiones ab his afferuntur, ab illis impugnantur; primò enim si dicas causam esse id, ad cuius esse sequitur aliud, hæc definitio conueniet etiã ijs, quæ sunt merè principia, vel conditiones. Quod si dicas causam esse id, à quo aliud per se pendet statim quæritur quid sit per se pendere? & cur effectus magis per se pendeat à causis, quàm à conditionibus, sine quibus poni non potest? præterquamquod pendere, & causari vel sunt formaliter idem, vel difficilius intelligitur quid sit per se pendere ab alio, quam quid sit esse causam. Dices fortasse cum nonnullis causam esse id a quo aliud pendet, vt ab influente per se. Sed prætérquamquod influere non non conuenio nisi causæ efficienti; pendere, prout in hac definitione accipitur, videtur obscurius, quam causari. Respõdebis si influere, si lato modo accipiatur, conuenire cuicũq; causæ: Sed quid est influere strictè sumptũ non conueniens nisi efficienti, & influere in tanta solum latitudine acceptum, vt conueniat omni & soli causæ, non verò conditionibus, hoc enim est id, quod quærimus?

2 Sed his, alijsq; omissis, melius explicabitur, & definietur causa in communi, si dicamus esse id, quod determinat cum virtute alterum ad existendum, hæc enim definitio conuenit omni, & soli definito, & benè rem explicat; conuenit soli definito, quia non conuenit ijs, quæ sunt merè principia, determinare enim supponit indifferentiam ad existendum, vel non existendum in eo, quod determinatur. Ad rationem autem principij hoc non requiritur. Pater enim æternus est principium Verbi, quod non habet indifferentiam ad existendum, ideoq; ratio determinatiui excludit ea, quæ sunt merè principia, sed tamen est ratio generica, quia est communis causis, & conditionibus quibus omnibus conuenit tollere indifferentiam, quam effectus habet ad existendum; sed à causa tollitur indifferentia cum virtute, à conditionibus nequaquam. Adeoq; ratio virtutis est ratio differentialis in definitione causæ. Quod verò hæc definitio clarè rem explicet, probatur, quia, quid sit esse determinatiuum, omnes intelligunt; cum omnes nouerint, quid sit aliquid indifferens determinari, & satis receptum est, quod ratio determinatiui assumatur in definitionibus loco generis; modus enim definitur vltimum determinatiuum ad aliquam denominationem, species definitur determinatiuum potentiæ ad cognoscendum, impulsus, virtus determinatiua ad motum, &c. Neque dicas Verbum Diuinum esse determinatiuum respectu Christi Domini, nec tamen esse illius causam; nam etiam Verbum Diuinũ dici potest determinatiuum respectu Christi Domini in genere causæ formalis; Dixi *in genere causæ formalis*, seu reductiuè ad causam formalem; seclusa enim imperfectione partis, conuenit Verbo respectu Christi Domini quidquid perfectionis importatur à causa formali.

3 Porrò ratio virtutis propria cuiusque causæ explicatur per hoc, quod sit quid proportionali modo se habens ad virtutem, quam in nobis experimur in ordine ad motus, & actus, quos exercemus; hæc enim explicatio est per aliquid nobis immediatè per experientiam ita notum, vt non sit vlterius explicabile, omnes enim experimur in nobis virtutem ad exercendos motus locales, cognitiones, volitiones, &c. cum autem hæc virtus omnium maximè cadat sub nostram experientiam, benè possumus per analogiam ad istantiam explicare virtutes aliarum causarum.

4 Dices quid si, assereremus virtutem propriam causæ consistere in hoc, quod causa sit, quæ effectum exigit, conditio verò sit sola circumstantia, in qua effectus exigitur; Respondeo hoc non posse sustineri, materia enim organizata exigit animam rationalem, nec tamen est causa animæ rationalis; Quod si instes materiam dispositam esse respectu animæ rationalis non causam influentem, sed exigentem. Contra est, quia ex Aristotelis, & philosophorum sententia sicuti conceptus causæ non est restringendus ad solas causas influentes, ita non est ampliandus ad quidquid est exigitiuum alterius; Saltem enim malè loqueretur, qui materiæ organizatæ tribueret nomẽ causæ respectu animæ rationalis. Melior ergo erit explicatio allata à nobis, qui non tribuentes rationem causæ physicæ nisi causæ efficienti materiali, formali, & finali iuxta communem Philosophorum sententiam, assignauimus deinde definitionem, & conceptum, ita his quatuor communem, vt nulli præter illas conueniat.

5 Cuicunque ex his quatuor causis veram conuenire virtutem melius constabit, vbi de singulis disse-

differemus; interim vniuersaliter afferimus errorem esse omnem veram virtutem ad aliquid causandum causis secundis negare; nam præter auctoritates, quas passim in sacris Scripturis, & Patribus habemus tribuentibus causis secundis vim germinaudi, & producendi, à Tridentino sess. 6. can. 4. damnatur, *qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, sed veluti inane quoddam nihil omninò agere, mereque passiuè se habere*; Sed vt stemus in rationibus naturalibus, si causæ secundæ nihil agerent, non different viuentia à non viuentibus, non enim magis haberet equus, v. g. principium motus progressiui, neque magis vitaliter operaretur, dum ambulat, quam operetur lignum, dum ab alio trahitur, vterque enim motus æquè fieret merè ad præsentiam equi, & ligni. Præterea cur aliquando equus mouetur citius, aliquando tardius, si nihil ab equo producitur? nulla certè assignari poterit ratio, cur Deus ad præsentiam eiusdem equi nunc producat motum velociorem, nunc tardiorem, imò cur producat potius hic, & nunc motum quàm quietem. Demùm frustra rebus tùm animatis, tùm inanimatis datæ fuissent tot virtutes, tot potentiæ, & qualitates; Si enim nihil aliud facerent nisi præstare præsentiam, æquè sine tanta partium ætherogeneitate fieri à Deo posset nunc hoc, nunc illud.

6 Quamuis autem Deus possit se solo esse omnium causa, ex voluntaria tamen suæ bonitatis communicatione vult etiam causas secundas secum agere, non aliter ac licet posset solus existere, vult tamen etiam alia existere, & de eius esse participare; sicut enim existere non importat perfectionem infinitam, ita ad aliquid de nouo producendum non requiritur virtus infinita, cum inter esse, & non esse non intercedat distantia infinita, sed solùm quanta est perfectio rei, quæ de non esse extrahitur ad esse. Præterquamquod etiam si admitteretur ens, & non ens infinitè distare, adhuc posset res de non esse transferri ad esse, non virtute solius causæ secundæ, sed simul cum virtute infinita causæ primæ, cuius concursum immediatum infra probabimus ad omnem causarum secundarum actionem requiri.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit esse prius Natura.

1 ARistoteles 5. Metaph. cap. 11. post enumerata varia prioritatis genera quædam, ait, esse priora *secundum naturam, & substantiam, quæcunque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minime*, sed quia statim subdit, *qua diuisione vsus est Plato*, ideò non est cur hanc explicationem tanquam Aristotelicam defendamus cum ab Aristotele relata potius videatur, quàm approbata, & quidem non potest hæc explicatio sustineri; nam in sententia admittente seriem naturalem effectuum quoad indiuiduationem; Sicuti naturaliter hic Sol cum his circumstantijs non potest existere sine hac luce, ita hæc lux non potest existere sine hoc Sole cum his circumstantijs, & tamen hic Sol cum his circumstantijs est prior natura respectu huius lucis; quamuis autem inferius negaturi simus seriem, talis tamen debet assignari conceptus prioritatis naturæ, qui conueniat omni priori natura etiam admissa serie, sicut enim series ratione sui in omnium sententia non destruit, ita non constituit rationem causæ, & prioris natura. Sed prioritas naturæ æquè benè stat cum serie, ac cum negatione seriei; cum ergo series impertinenter se habeat ad prioritatem naturæ, illud, quod est prius, posse, vel non posse existere naturaliter sine posteriori, impertinenter etiam se habebit ad rationem prioris natura; Si verò loquamur in ordine supernaturali sicuti hic Sol potest diuinitus existere sine hac luce, ita hæc lux potest diuinitus existere sine hoc Sole. Quod si dicas lucem acceptam simul cum actione, per quam producitur à Sole, & per quam constituitur in ratione posterioris respectu Solis, non posse existere sine Sole. Contra est: quia eodem modo Sol acceptus simul cum actione productiua lucis, per quam constituitur in ratione prioris, non potest esse sine luce; Si verò reccurras ad dependentiam lucis à Sole, & independentiam Solis à luce, nihil explicabis; dependentia enim non est quid notius causalitate; ideòque prioritate naturæ, & causalitatis malè explicabis per dependentiam. Adde dari dependentiam à priori, & dependentiam à posteriori, nam connaturaliter tam Sol pendet à luce quàm lux pendet à Sole; licèt Sol pendeat à luce tanquam à posteriori, lux verò à Sole tanquam à priori, quid ergo erit pendere ab alio tanquam à priori, quid tanquam à posteriori? si confugiatur ad influxum prioris in posterius, non verò posterioris in prius: contra est, quia prioritas naturæ ex communi sententia conuenit etiam conditionibus, quæ non influunt.

2 Insistendo ergo ijs, quæ diximus cap. superiori afferimus prius natura, prout est commune causæ, & conditioni, esse determinatiuum extrinsecum alterius ad existendum, hoc enim sicuti est per se satis notum, ita omni, & soli priori natura conuenit, & primò quidem sicuti satis nobis innotescit, quid sit aliquid esse indifferens ad existendum, ita satis nouimus, quid sit esse determinatiuum, à quo tollitur talis indifferentia, vtrumque enim quisque nouit per analogiam ad suos actus; extrinsecum ergo determinatiuum alterius, ad existendum erit quidquid in ordine ad tollendam

indifferentiam alterius ad existendum, se habet proportionali modo, ac se habent nostræ potentiæ in ordine ad suos actus; hæ nanque ita determinant actus, vt non sint illorum formale, & intrinsecum determinatiuum, sed extrinsecum. Porrò allatum prædicatum omni, & soli priori natura conuenit; ita enim conuenit vnicuique causæ extrinsecæ tam creatæ, quam increatæ cuicunque conditioni habenti prioritatem naturæ, vt neque conueniat causis intrinsecis, quæ respectu totius habent solam rationem constitutiui, & determinatiui intrinseci, neque conueniat priori solum origine, si hæc prioritas in Diuinis admittatur, nam cum nulla detur in Diuinis indifferentia ad existendum, nullum dari poterit determinatiuum, & prius natura.

3 Ratio determinatiui extrinseci alterius ad existendum, quamuis per se satis nota, dici tamen, si restringatur ad creata, vlterius potest esse id, ex cuius existentis præuisione Deus aliquo modo dirigitur, vt velit existere alterum, hoc enim omni priori natura creato conuenit; Nam cum nihil creatum possit esse prius natura, & causalitate respectu alterius, nisi Deus velit alterum causari, neque potest Deus hoc velle, nisi præuideat quæcunque inter res existentes possint ipsum vel mouere, vel retrahere à volendo, quod alterum existat, & causetur; quæcunque sunt in creatis priora natura habent præuideri à Deo tanquam exigentia, vel retrahentia in ordine ad ponendum posterius, ideòque habent aliquo modo Deum dirigere ad volendum posterius, saltem tanquam motiua contempta, si videlicet nolit Deus operari propter talem causarum secundarum exigentiam. Hinc non solùm habent prioritatem naturæ illa, ex cuius exigentia Deus mouetur ad volendum aliud, sed illa etiam, quæ licet exigant, præuisa tamen contemnuntur, ita vt Deus operetur, sed non propter talem exigentiam, æquè scilicet operaturus, si talis exigentia non daretur. Quamuis autem hoc prædicatum quod conuenire diximus cuicunque priori naturà non sit physicum, satis tamen nobis innotescit ex simili prædicato, quod experimur in nobis, omnes enim experimur, quid sit ex præuisione, v. g. meriti dirigi ad conferendum præmium, ex præuisione morbi ad adhibendam medicinam, &c.

4 Ex his benè explicatur, quid sit pendere ab alio tanquam à posteriori, & per quid differant dependentia à priori, & dependentia à posteriori. Dependentia enim ab alio tanquam à priori est dependentia ab illo tanquam à præuiso vt existente, dependentia verò tanquam à posteriori est dependentia ab illo præuiso vt extituro; Si nimirum ita vnum sit connexum cum alio, vt non possit poni vnum nisi Deus præuideat se remanere obligatum ad ponendum aliud, & quia potest Deus remanere obligatus, vel essentialiter, vel solùm connaturaliter ad ponendum aliud, ideò potest vnum pendere ab alio tanquam à posteriori vel essentialiter, vel solùm connaturaliter; Sic corpus pendet essentialiter tamquam à posteriori ab aliqua vbicatione; Si enim Deus velit ponere corpus de se non alligatum vni loco, debebit illi necessariò dare aliquam vbicationem; Sol verò pendet tanquam à posteriori ab aliqua luce non nisi connaturaliter, Deus enim solum, vt connaturaliter operetur, debet posito Sole dare illi aliquam lucem. Porrò dependentia à posteriori differt à dependentia quam effectus habet à fine tanquam à priori per hoc, quod dependentia ab alio tanquam à posteriori, sit dependentia ab illo tanquam ab essentialiter, vel saltem connaturaliter extituro; Dependentia verò ab alio tanquam à fine ideò est dependentia à priori, quia est dependentia ab illo, non nisi tanquam ab intentionaliter existente, ita vt ab illo secundum existentiam realem in posteriori ponendam nullo modo pendeat; siue enim ad medicinam, v. g. sequatur realis existentia sanitatis, siue non, æquè medicina pependit à sanitate tanquam a fine, & tanquam à priori. Hinc ratio dependentiæ ab alio tanquam à fine præscindit à connexione cum existentia reali finis, cum è contra dependentia à posteriori importet necessariò connexionem saltem connaturalem cum posteriori secundum existentiã realem ipsius posterioris.

5 Ex dictis infertur quid sint, & quomodo sint distinguenda signa rationis, & signa naturæ. Primò enim loquendo de signis naturæ, quando aliqua plura ita existunt in eodem instanti reali, vt vnum sit determinatiuum alterius id, quod est determinatiuum dicetur existere in primo signo naturæ, quod si id, quod est determinatum sit etiam determinatiuum respectu alicuius alterius, dicetur existere in secundo signo naturæ, & sic deinceps, &c. Sic in eodem instanti reali sunt Sol, Lux, Calor, & Leuitas; Sed Sol est in primo signo naturæ, quia est determinatiuum lucis, lux verò est in secundo signo naturæ, calor in tertio, &c. Ex signis naturæ facta est distinctio actus primi proximi, & & actus primi remoti: actus primus proximus importat solùm id, quod intelligi debet immediatè præcedere effectum, sic calor se tenet in actu primo proximo respectu leuitatis, quia immediatè præcedit leuitatem tanquam causa illius; Lux verò, & multò magis Sol, se tenent ex parte actus primi remoti. Signa rationis non distinguuntur nisi per nostrum intellectum inter ea, quæ sunt realiter idem, ideòque vnum non est causa alterius, sed tamen sunt talia, vt si inter se realiter distinguerentur, vnum esset determinatiuum, & prius natura respectu alterius, sic inter intellectionem, & volitionem diuinam distinguimus signa rationis; licèt enim sint realiter idem, si tamen realiter distinguerentur, sicuti distinguuntur in nobis, intellectio esset determinatiuum respectu volitionis.

CA-

CAPVT TERTIVM.

An dari possit mutua prioritas naturæ.

1 CVM causæ aliæ sint necessariæ, aliæ liberæ, & aliæ ad causandum requirant existentiam realem, aliæ verò solam existentiam intentionalem, in singulis seorsim statuendum est, vtrum dari possit mutua naturæ prioritas, vel in eodem, vel saltem in diuerso genere causę. Primò ergo in causis necessarijs, quæ ad causandum requirunt existentiam realem, implicat mutua prioritas naturæ, tam in eodem, quam in diuerso genere causę. Probatur præcipuè ex conceptu prioritatis naturę explicato capite superiori; illud enim est per suam realem existentiam prius natura respectu alterius, quod existens est determinatiuum extrinsecum alterius ad existendum, tale scilicet, vt ex præuisione illius existentis aliquo modo dirigatur Deus ad volendam existentiam alterius, sed implicat Deum ex præuisione A, existentis moueri ad volendam existentiā B, & pro eodem instanti à pręuisione B, existentis moueri ad volendam existentiam A, ergo, &c. Maior est certa, quidquid enim sit vtrum per hoc bene, vel malè explicetur prioritas naturæ, hoc certè omni priori natura conuenit. Minor etiam per se patet, implicat enim in terminis, quod Deus videns A, existens pro hoc instanti, & quod ex eius præuisione moueatur ad ponendum B, tanquam medium vtile, vt existat A, pro eo instanti, pro quo ipsum A, est præuisum existens, hoc enim esset adhibere medium ad obtinendam existentiam rei iam positam pro eo instanti, pro quo præuidetur posita, quod idem est ac adhibere medium ad obtinendum finem iam possessum pro eo instanti, pro quo est possessus, quod est inprudentissimè agere. Neque dicas posse Deum vnico decreto velle, quod producantur duo, quę sint sibi mutuo priora, eo quod vnum sit mutuo medium vtile propter aliud, cōstat enim ex dictis, non posse duo decerni per vnicum decretum executiuum, & vnum esse prius natura respectu alterius, nam ad hoc vt vnum sit prius natura, debet esse vel causa, vel conditio, vtriq; autem, vt vidimus conuenit, vt sint id ex cuius existentis præuisione Deus dirigitur ad volendam existentiam alterius; aliter si duo sint simul decreta, nec vnum habeat rationem motiui respectu alterius neque habebit respectu illius rationem extrinseci determinatiui.

2 Impugnatur pręterea mutua prioritas, quia idem esset mediatè prius se ipso pro eodem temporis instanti, nam quod est prius priore se, est etiam prius se mediatè, pariter idem pro eodem instanti esset causa mediata sui ipsius, & daret sibi ipsi esse. Demum occluderetur via ad probandam primam causam improductam, facile enim dici posset dari duas, vel plures causas primas, quæ sint sibi inuicem causæ.

3 Quęcunque afferuntur ad probandam mutuam prioritatem dicenda sunt esse effectus simultaneos positos intuitu causæ, seu exigitiui communis. Hinc introductio formæ nouę, & expulsio veteris, sunt effectus simultanei, quia ratione connexionis, quam habent inter se, ponuntur simul natura, ex eo enim, quod pręuideatur ab auctore naturæ ignis, v.g. applicatus aquę frigidæ, & maiores esse vires ignis, quam aquę determinatur Deus tanquam auctor naturæ ad volendam simul introductionem caloris, & expulsionem frigoris.

4 Dices primò introductio peccati, vt colligimus ex Tridentino sess. 6. cap. 11. est prior destructione gratię, ergo etiam introductio caloris erit prior destructione frigoris. Respondeo, & primò, siuè dicatur, quod introductio caloris sit simul, siuè dicatur, quod sit prior destructione frigoris, nihil infertur pro mutua prioritate, diximus tamen hos esse effectus simultaneos; quamuis introductio peccati sit prior destructione gratię. Ratio autem disparitatis est, quia nihil aliud pręter introductionem peccati est assignabile, quod sit determinatiuum respectu expulsionis gratię, sola enim voluntas expedita, & libera ad peccandum, si actu non peccet, non meretur amissionem gratię, ideòque sola introductio peccati potest esse determinatiuum ad tollendam gratiam, è contra cum à causa necessaria habente omnia prærequisita possit Deus absque vllo inconuenienti determinari ad simul, & semel volendam introductionem vnius formę, & expulsionem contrarię non est cur non dicamus ita de facto contingere, præsertim cum alijs omnibus ita facilè omnia explicentur, vt mox videbimus.

5 Dices secundò si non introduceretur calor, non expelleretur frigus, & si non expelleretur frigus, non introduceretur calor; ergo inter hęc datur mutua prioritas. Respondeo nego consequentiam, nam pręter connexionem vnius cum alio, vel tanquam cum posteriori, datur etiam connexio, quam vocare possumus connexionem simultatis, ratione alicuius tertij, vel non potentis, vel nolentis producere vnum effectum sine alio. Sic in sententia admittente modum relationis superadditum, de duobus modis relatiui, v.g. similitudinis dici potest si non esset modus similitudinis A, non esset modus similitudinis B, & si non esset modus B, non esset modus A, nec tamen vnus modus est prior natura respectu alterius, sed sunt simul natura ratione connexionis cum tertio, cum completa scilicet ratione fundandi vtrunque modum, non potente producere vnum modum sine alio similiter ergo introductio vnius formę, & expulsio contrarię habent connexionē simultatis

cum

cum tertio, cum auctore scilicet naturæ, qui quando vult connaturaliter operari, non vult ponere vnum ex his effectibus sine alio, eo quod causa secunda habens omnia requisita ad introducendam aliquam formam simul, & semel exigat introductionem talis formæ, & expulsionem contrariæ. Hinc Aristoteles in prædicamentis cap. de simul docet dari aliqua, quæ conuertantur secundum existendi consequentiam, nec tamen vnum est causa alterius, sed sunt simul natura.

6 Idem dicendum est de ingressu venti, & de apertione fenestræ, de vbicationibus duorum baculorum inclinatorum, de duabus rotis, alijsque similibus; eodem enim modo dicendum est: ex eo quod præcesserit ventus cum tanto impetu maiori, quam sit resistentia fenestræ poni tanquam duos effectus simultaneos ingressum venti, & aperitionem fenestræ, seù talem vbicationem in vento, & talem vbicationem in fenestra, similiter ex eo quod præcesserit talis motus vtriusque baculi habentiũ impenetrabilitatem, & tantam grauitatem, ponuntur tanquam duo effectus simultanei, vbicationes vtriusque baculi; pariter ex tali connexione rotarum, & impetu vtrique impresso sequuntur tanquam duo effectus simultanei vbicationes fluentes vtriusque rotæ, neque verò vbicatio fluens vnius rotæ iuuat ad vbicationem fluentem alterius, si hoc enim esset etiam vbicatio fluens, & motus cuiuscunque partis designabilis in rota, iuuaret, & causaret motum alterius partis; cum de qualibet dici possit, quod si ipsa non moueretur, neque moueretur altera; solùm ergo ad motum vtriusque rotæ iuuat talis cõnexio, figura, aliæque conditiones vtriusque rotæ, ex quibus tanquam ex determinatiuo communi sequuntur tanquam effectus simultanei ambæ vbicationes fluentes; Idem applicandum duobus carbonibus ignitis, qui videntur se inuicem fouere, sed re vera solùm constituunt vnum maius, & fortius resistitiuum ambienti extrinseco frigido; ex eo autem quod vterque carbo simul habeat vires maiores, quam sint vires ambientis contrarij determinatur auctor naturæ ad taliter conseruandum vtrumque carbonem, tanquam duplicem effectum simultaneum. Quod si dicas à carbonibus ignitis calefieri aerem ambientem, & ab aere ambiente calefacto haberi determinatiuum ad conseruationem carbonum ignitorum; verum dices, sed hæc non sunt ad inuicem determinatiua pro eodem instanti; in primo enim instanti carbo ignitus conseruatus ad exigentiam suorum determinatiuorum calefacit aerem, sed calor productus in aere non potest esse determinatiuum ad conseruãdum carbonem ignitum nisi pro secundo instanti; sic in simili, actus est causa habitus, & habitus deindè est causa actus, at non est causa illius actus, à quo habitus fuit genitus, sed alterius.

7 Dices tertiò, Calor v.g. est dispositio ad formam ignis, & simul est proprietas ignis, ergo est simul prior, & posterior. Respondeo calorem, & eadem est ratio de alijs dispositionibus non esse dispositionem, nec priorem natura respectu ignis nisi pro primo instanti, seù minimo, in quo ignis producitur; post primum enim minimum incipit calor esse proprietas, ideò autem in prima ignis productione calor est mera dispositio, quia non conseruatur ad exigentiam ignis, qui non dùm est productus, sed potius ignis producitur ad exigentiam caloris, at post quam ignis est productus, cum calor incipiat conseruari ad exigentiam ignis, calor, qui erat dispositio euadit proprietas. Tota autem in hac re diuersitas habetur ratione diuersæ actionis conseruatiuè caloris iuxta dicta lib. 1. vbi de alligatione actionis ad fines, sicut autem benè intelligimus, quod idem calor secundum suam entitatem inuariatus in vno minimo conseruatur per vnam actionem in alio minimo per aliam, ita nulla est difficultas in hoc, quod nunc ratione vnius actionis sit dispositio, nunc ratione alterius sit proprietas.

8 Ad probandam mutuam prioritatem in causis liberis physicis hoc argumentum solet afferri: possum facere talem actum; si mouebo dexteram, mouebo sinistram, & si mouebo sinistram, mouebo dexteram, ergo in hoc casu motus dexteræ determinabit motum sinistræ, & motus sinistræ determinabit motum dexteræ. Sed contra est, quia ex vi præcisa huius actus neque sequetur motus dexteræ, neque motus sinistræ, ideòque vt aliquis sequatur motus, necesse est, vt detur aliquod aliud motiuum, quod hic, & nunc impellat me ad mouendum, vel dexteram, vel sinistram, quod motiuũ simul cum memoria decreti facti de non mouenda vna manu sine alia, determinabit me ad ponendũ motum tam dexteræ, quã sinistræ, tanquam duos effectus simultaneos. Sed dices, quid si faciam hunc actum: non mouebo dexteram, nisi dependenter à motu sinistræ? Respondeo, hunc actum implicare, nam mouere dexteram dependenter à motu sinistræ, est mouere illam ex præuisione motus positi in sinistra, & mouere sinistram dependenter à motu dextræ est mouere sinistram ex præuisione motus positi in dextera; implicat autem, quod ex præuisione motus positi in sinistra mouear ad ponendum motum in dextera, & rursus ex præuisione motus positi in dextera mouear ad ponendum motum in sinistra; neque enim possum moueri ad ponendum id, quod iam fuit positum pro eo instanti, pro quo fuit positum.

9 Superest de causis liberis moralibus, cuiusmodi est meritum respectu præmij, quod dicitur causa libera per denominationem à libera voluntate, quæ à merito liberè mouetur, dicitur verò causa moralis, quia meritum non physicè, sed moraliter mouet uoluntatem; In his ergo causis repugnare etiam videtur mutua prioritas pro eodem instanti, cum enim meritum causet vt præuisum realiter existens, implicat, quod meritum præuideatur realiter existens, & ex tali præuisione moueatur præmians ad conferendum præmium per quod ipsum meritum realiter existat pro eo instanti, pro quo præuisũ fuit existens. Adde de ratione premij esse, vt per illud præmiatus fiat ditior, ideòque non potest in

præmium

præmium dari id, dependenter à quo meritum præuidetur existens. Sed hoc exactius esset examinandum, cùm multa ex Theologicis obijci possint.

10 In causis, quæ ad causandum non requirunt existentiam realem datur mutua causalitas secùdum diuersum statum, & tempus; idem enim prout intentionaliter existens est causa alicuius, à quo secundum existentiam realem recausatur, sic finis intentionaliter existens causat media, à quibus deindè accipit realem existentiam.

CAPVT QVARTVM.

An dari possint duæ causæ totales respectu eiusdem effectus.

1 DARI plures causas, quarum quælibet sit in suo genere totalis est certum, vt enim fiat compositum quodlibet materiale concurrere debet materia tanquam causa totalis in genere causæ materialis, & forma tanquam causa totalis in genere causæ formalis. Dubitatur ergo de duabus causis; quæ in eodem genere, & pro eodem instanti sint totales respectu eiusdem effectus, sed ad euitandam æquiuocationem, nomine causę totalis non intelligimus hic causam, quæ sola sit causa, eo quod excludat consortium alterius cuiuscunque causæ, sic enim certum est implicare causam totalem, quæ excludat omnem aliam causam, & simul aliquã causam includat. Quare nomine causæ totalis venit causa, quæ non modo in actu primo sit sufficiens se sola ponere effectum, sed etiam in actu secundo totaliter, seù per concursum de se solo sufficientẽ ponat effectum, & huiusmodi causa quæritur: vtrum possit admittere consortium alterius causæ, quæ pariter per concursum in actu secundo totalem simul ponat eundem effectum. Quod enim duæ causæ solùm totales in actu primo attemperent suum concursum, & per influxum partialem concurrant, nullum est dubium.

2 Vt verò per singula genera causarum discurramus dicendum primò est, neque diuinitus posse eundem effectum pendere à duplici causa totali materiali, vel formali; causa enim materialis, & formalis sunt causæ intrinsecæ, quatenus ex illis constituitur intrinsecè compositum. Implicat autem idem compositum, quod prout tale adæquatè componitur, & constituitur ex hac materia, & forma, componi etiam ex alia materia, & forma, & remanere idem, quolibet enim intrinseco constitutiuo variato necesse est etiam variari constitutum.

3 A duabus causis totalibus totaliter influentibus non potest idem effectus naturaliter pendere; cum enim vna actio totaliter sit sufficiens, & quidquid præstari potest à duabus, habeatur per vnam; hæ duæ causæ totales sunt frustraneæ; natura autem nihil facit frustra. Adde experientiam, qua constat duas quaslibet causas, quotiescunque simul concurrunt, vel plus agere, vel si agunt idem vel illud ponere cum maiori conatu, vel cum maiori celeritate, quod signum euidens est, naturam nihil in causando admittere superfluum. Neque dicas duplicem actionem totalem esse vtilem ad hoc vt vna deficiente adhuc effectus per aliam actionem totalem conseruetur in esse. Nam deficiente vna actione totali non posset alia remanere, nisi remaneret etiam causa talis actionis; si ergo remanet causa talis actionis, satis est, quod tunc incipiat totaliter agere, quando talis actio totalis est necessaria absque eo, quod antea etiam simul cum alia actione totali totaliter influeret.

4 Possunt diuinitus dari duæ causæ efficientes totales, quæ duplici actione totali simul producant eundem effectum; tum quia nulla in hoc est repugnantia; tùm quia si potest idem corpus habere miraculosè duas vbicationes adæquatas, cur non idem effectus duas actiones totales? vna enim ex illis esset quidem superflua in ordine naturali, in ordine tamen supernaturali inseruiret ad manifestandam Diuinam omnipotentiam. Præter quam quod aliqua esset excogitabilis peculiaris illarum vtilitas, quę ab vna tantum non haberetur; per duplicem enim dependentiam totalem effectus redderetur pro aliquo casu magis indefectibilis; sublato enim vno agente cum suo influxu totali, adhuc effectus conseruaretur in esse per actionem alterius agentis etiam eodem modo influentis, quo influebat prius. Neque dicas ex hoc sequi, quod naturaliter etiam posset dari duplex actio totalis, vt enim constat ex dictis num. 3. in ordine naturali satis est, si tunc solùm agens incipiat totaliter influere, quando cessat actio alterius causæ, at in ordine supernaturali daretur hæc vtilitas duarum actionum totalium respectu effectus, quod si sublata vna causa, & actione totali, nollet Deus concurrere cum alia causa, quæ remaneret, ad actionem diuersæ rationis ab ea, ad quam concurrebat prius, adhuc effectus conseruaretur in esse, ideòque si prius concurrisset solùm per modum causæ partialis, & per actionem indiuisibiliter pendentem ab vtraque causa, procul dubio effectus non conseruaretur in esse, ergo pro aliquo casu miraculoso duplex actio totalis aliquam effectui vtilitatem affert, imò aliquam etiam vtilitatem afferret vtrique agenti totali neutrum enim esset otiosum, sed vtrumque aliquid ageret. Neque verò similiter inferas posse etiam naturaliter dari duas causas totales, nam in ordine naturali non satis est, quod duę causæ occupentur, & agant, sed requiritur præterea, quod per suas actiones aliquid plus vtilitatis pro casibus naturalibus habeatur à duabus, quam ab vna.

6 Dices

6 Dices primò mutua natura prioritas implicat, vt capite ſuperiori dictum eſt, quia implicat dari medium vtile, ad hoc vt exiſtat aliquod pro eo inſtanti, ſeù ſigno naturę, pro quo præuiſum eſt exiſtens, ergo pariter implicabunt duæ cauſæ totales, quia implicat dari duas actiones totales vtiles ad ponendum eundem effectum. Reſpondeo negando conſequentiam, duæ enim actiones totales ambæ ſunt vtiles, cum dependenter ab vtraque verè ponatur effectus, licet neutra ſit determinatè neceſſaria, ſed alterutra ſufficiens ad poſitionem effectus, vtraque verò neceſſaria ad talem manifeſtationem Diuinę omnipotentiæ, at ſi daretur mutua prioritas adhiberetur tanquam medium, ſeù tanquam cauſa, vel conditio vtilis, id, quod verè non poteſt vllo modo eſſe medium vtile ad effectum, ſi enim hic præuidetur pro hac circumſtantia temporis iam exiſtens, nullum medium conferre quidquam poterit ad faciendum, quòd pro hac circumſtantia temporis exiſtat, & per conſequens non poteſt à Deo prudenter operante adhiberi tanquam vtile, & tanquam cauſa, vel conditio id, quod verè non eſt vtile. Hinc neque ad manifeſtandam ſuam omnipotentiam, poteſt hoc à Deo fieri, cum operatio imprudens repugnet Deo, neque poſſit ab eo adhiberi ad manifeſtandam ſuam omnipotentiam. Adde, ſi libet, vtilitates illas, quas in cauſis totalibus inuenimus numero ſuperiori, nullam reperiri poſſe in mutua prioritate.

7 Dices ſecundò à duabus cauſis totalibus effectus penderet, & non penderet, illiſque indigeret, & non indigeret; penderet, & indigeret, quia actio eſt dependentia, & indigentia effectus à cauſa, non penderet, neque indigeret, quia ſi vna actio non adſit, adhuc effectus præſiſtit in eſſe. Reſpondeo, ſi per dependere intelligas recipere influxum, ſicuti ab vtraque cauſa totali effectus reciperet influxum, ita ab vtraque penderet; ſi verò per pendere intelligas indigere neutra effectus determinatè indigeret, ſed vtraque indigeret ſolùm indeterminatè, & diſiunctiuè, licet autem in ordine naturali ita effectus indigeat actione illa per quam fit, vt ſi ea ſublata non ſubrogetur alia debeat effectus periret, in ordine tamen ſupernaturali poſitis duabus actionibus totalibus poteſt in effectu reſpectu talium actionum non dari huiuſmodi indigentia; ſimiliter vtraque actio totalis transferret effectum de potentialitate in actum, ideòque vtraque haberet eſſentiam actionis, ita tamen, vt ſi vna tantum ex illis adeſſet, idem faceret, quod facit vtraque.

8 Vt autem decernamus de duabus cauſis totalibus finalibus, diſtinguendum eſt inter varios effectus cauſæ finalis, cum enim ex dicendis, vbi de cauſa finali, effectus finis ſint amor finis, conſultatio, electio, poſitio mediorum, &c. Diuerſimodè de his diſcurrendum eſt, primò enim idem amor finis non poteſt pendere à duplici cauſa, & fine totali, cum enim amor duplicis finis habeat prout talis eſt de ſua eſſentia intrinſecè tendere in tales fines, non poteſt neque diuinitus eſſe hic amor, abſque eo, quod tendat in vtrumque finem, amor enim, qui ſolum tenderet in alterutrum ex illis finibus eſſentialiter ab illo differret. Idem dicendum de conſultatione, & electione mediorum; nã neque diuinitus poteſt eſſe conſultatio, & electio horum mediorum propter duos fines, abſque eo, quod per actus intentionales conſultatiuos, & electiuos intrinſecè attingantur duo fines. Actus enim conſultatiuus de medijs propter ſanitatem, & recreationem ſimul, & actus talium mediorum propter vtrumque finem electiuus eſſentialiter differunt ab actibus intrinſecè nõ attingentibus vtrũque finem, ſed conſultatiuis, & electiuis mediorum propter vnicum finem. In ordine igitur ad hos effectus cauſæ finalis neque diuinitus dari poſſunt duæ cauſæ totales per duplicem cauſalitatem, & motionem totalem; cum enim cauſalitas cauſæ finalis, vt infra dicemus, ſit motio metaphorica, in amore autem finis in conſultatione, & electione mediorum, motio intentionalis, per quam fiunt huiuſmodi actus eſſentialiter habeat attingere intrinſecè totam rationem bonitatis, & finis, à qua cauſatur, variato fine non poteſt remanere eadem motio.

9 De poſitione mediorum, altero effectu cauſę finalis, qui pendet à fine mediante motione voluntatis, dicendum eſt, quod licet ratione ſui præcisè pendere etiam naturaliter poſſit à duplici fine, ac motiuo adæquato, & à duplici adæquata, & totali motione, ſi tamen accipiatur poſitio mediorum ſimul cum tali motione non poſſit eadem à duplici fine adæquato pendere. Prima pars huius propoſitionis probatur, quia eadem ambulatio eodem prorſus modo poni poteſt, vel propter talem ſanitatem, vel propter ſanitatem ſimul, & recreationem, ideòque eadem ambulatio pendere poteſt à duplici fine, & motione totali, ſiuè enim detur in voluntate vnica motio, & vnicus actus, quo dicat: volo talem ambulationem propter ſanitatem, ſiuè ſimul cum hac motione detur etiam alia, qua dicat: volo talem ambulationem propter recreationem, ſiuè detur vnica ſimplex motio æquiualens illis duabus diſtinctis, qua dicat volo talem ambulationem, & propter ſanitatem, & propter recreationem æquè ambulationem volitura propter alterutrum ex his finibus, æquè ſequitur talis ambulatio, ergo eadem poſitio mediorum ſpectata præcisè ratione ſui pendere poteſt à duplici motiuo, & motione adæquata. Neque dicas quando adſunt duo motiua adæquata voluntatem ab vno moueri adæquatè ab alio conditionatè, ità vt habeat actum, quo v.g. dicat, volo ambulationem propter ſanitatem, itaut ſi non ambularem propter ſanitatem, adhuc ambularem propter recreationem, nam contra eſt quia hoc aſſumitur gratis, imò contra experientiam, qua experimur nos æquè ab vtroque motiuo affici, tum quia non eſt maior ratio, cùr ab vno ex illis duobus motiuis moueatur voluntas abſolutè, ab alio ſolùm conditionatè, cum ambo ſimul tempore, & natura voluntati repreſententur, & ab vtroque voluntas ęquè afficiatur. Secunda pars poſitæ propoſitionis conſtat

ex dictis

ex dictis numero superiori; cum enim non possit eadem motio pendere à duplici fine totali, neque positio mediorum accepta simul cum tali motione potest à duplici fine totali pendere. Quare cum causalitas finis respectu mediorum sit eadem actio, qua ponuntur media ab efficiente, sed prout determinato, ac moto à bonitate finis, si neque diuinitus possunt, vt vidimus, respectu eiusdem motionis dari duo fines totales, neque diuinitus possunt respectu eiusdem effectus dari duæ causalitates finales totales, cum causalitas finalis respectu mediorum, prout talis est, includat non solam actionem, qua ponuntur ipsa media, sed etiam motionem voluntatis, dependenter à qua ponitur talis actio

CAPVT QVINTVM.

De relatione transcendentali causæ ad effectus:

1 EX conceptu relationis trascendentalis explicato lib. primo, vbi de prædicamento relationis, & ex his, quæ diximus hoc libro, vbi de respectu materiæ ad formas, satis constat quamlibet causam tam creatam, quam increatam transcendentaliter referri ad quemlibet ex suis effectibus possibilibus determinatè, & in particulari, cum sit potens producere quemlibet ex suis effectibus determinatè, & in particulari. Addimus hic quamlibet causam ex eo etiam capite referri ad suos effectus, quod si intelligatur impossibilitari quilibet effectus, intelligi etiam debeat ex loco intrinseco imposibilitari ipsa causa, prout causa est, nam quilibet effectus in particulari secundum perfectionem quam accipit à sua causa præcontinetur in illa, ergo quicunque effectus intelligatur impossibilitari, intelligi debet impossibilitari causa, prout causa est, seù prout continens perfectionem illam, quam potest dare effectui, sic si intelligatur impossibilitata spiritualitas Angeli, debet etiam intelligi ex loco intrinseco imposibilitata spiritualitas Dei, in qua tanquam in virtute continetur spiritualitas Angeli. Confirmatur quælibet creatura est participatio diuinæ essentiæ communicantis suum esse creaturis, quæ in Deo tanquam in suo toto præexistunt; ergo implicare quamlibet creaturam est implicare aliquid Dei.

2 Probatur ab aliquibus nostra conclusio ex eo, quod posse à Deo produci creaturas sit essentiale ipsi Deo, quod deficeret, si creaturæ repugnarent. Sed hæc probatio non vrget aduersarios, possunt enim respondere, quod posse à Deo produci creaturas non sit adæquatè aliquid absolutum in Deo, sed quid conditionatum, si videlicèt creaturæ non implicent, sicuti hoc quod est posse ab igne proxime produci calorem in ligno est quid Partialiter conditionatum, si nimirum hoc lignum sit igni applicatum. Respondent tamen ex hoc sequi, quod causa neque ad suos effectus in communi trascendentaliter referatur nisi conditionatè, quod reputant esse magnum absurdum, sed absurditas huius sequelæ probanda esset, cum non desint, qui omnem eius absurditatem negent.

3 Alij probant conclusionem à nobis positam ex eo, quod si repugnaret Petrus, v. g. conuenirent Deo duo contradictoria; si enim, inquiunt, Petrus esset ens, & non ens, Deo conueniret coexistere, & non coexistere Petro, nam primò, quod Deus coexisteret Petro, patet, esset enim simul tempore Deus, & Petrus, qui supponitur esse imposibilitatus, sed simul, etiam Deus Petro imposibilitato non coexisteret, si enim Petrus esset imposibilis, esset ens, & Petrus, & simul esset nō Petrus, seu negatio Petri, ergo Deus coexisteret negationi Petri, ergo Deus non coexisteret Petro, coexistere enim negationi Petri, & non coexistere Petro, sunt propositiones æquipollentes, sed simul etiam, vt diximus, Deus coexisteret Petro, ergo coexisteret, & non coexisteret Petro, sed hoc argumentum ex nullo capite quidquam probat. Primò enim, si quid probaret, probaret connexionem essentialem Dei cum creaturis, non quatenus est causa potens illas producere, sed quatenus ens est, quod non facit ad rem præsentem, æquè enim de quolibet ente probari hoc argumento potest, quod si daretur imposibile illi coexisteret, & non coexisteret. Secundò quando argumentamur ex aliqua suppositione imposibili, non debet destrui suppositio semel posita; si enim illa destruatur, sicuti inferri poterit quodlibet, ità in bona forma nihil potest inferri, in casu igitur nostro suppositio facta est, quod Petrus sit simul ens, & non ens, ità vt neque ens destruat non ens, neque non ens destruat ens, at in obiectione allata hæc suppositio destruitur, quando enim dicitur Deus coexistit negationi Petri, ergo non coexistit Petro, destruitur suppositio facta, quod simul stet Petrus, & negatio Petri, ideòque ex eo quod Deus coexistat Petro, & negationi Petri, non potest inferri, quod non coexistat Petro, quamuis enim nulla facta suppositione coexistere negationi Petri, & non coexistere Petro sint æquipollentes, non tamen sunt tales in suppositione facta, ideòque simpliciter negandum est ex eo, quod Deus coexistat negationi Petri, quod non coexistat Petro, solùm ergo efficaciter probatur conclusio argumento posito, num. 1.

4 Dices, Si Deus referretur transcendentaliter ad creaturas possibiles dependeret ab illis, nec magis esset necessarius, quā creaturæ possibiles. Respōdeo ex eo, quod imposibilitata creatura imposibilitetur Deus, non sequitur, quod Deus pendeat à possibilitate creaturæ, cum enim possibilitas crea-

turæ nihil realiter sit præter omnipotentiam Dei, sicuti Deus non pendet à sua omnipotentia, ita non pendet à possibilitate creaturarum, quamuis impossibilitata creatura præcontenta in omnipotentia Dei impossibilitetur ipse Deus. Hinc nullum est inconueniens, quod non sit magis necessarius Deus, quam creaturæ possibiles secundum esse necessarium, quod habent, hoc enim non est quid à Deo distinctum. Quod verò impossibilitata musca impossibilitetur ex loco intrinseco Deus, non verò homo, v. g. hoc non arguit imperfectionem, sed perfectionem maiorem in Deo, quam in homine, quia scilicet Deus, & non homo præcontinet perfectionem muscæ. Hinc non quidquid refertur ad aliud ab illo pendet, solum enim quod refertur, & perficitur ab alio, ab illo quoad talem perfectionem dependet, at quod refertur tanquam potens dare alteri perfectionem, ab illo non pendet.

DISTINCTIO SEXTA.

De Causis in particulari.

Causa præcipuè diuiditur in efficientem, materialem, formalem, & finalem, de singulis disseremus, incipiendo ab efficiente, à qua incipit actionis executio.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens, & de immediato concursu causæ primæ ad effectus causarum secundarum.

1 DEfinitur causa efficiens ex Arist. tum 2. Physic. tex. 31. tum 5. Metaph. tex. 2. Principium primum, subintellige cum virtute, vnde mutatio & quies: ponuntur loco generis particulæ illæ *primum principium cum virtute*, per quas conuenit cum omnibus veris causis, quibus omnibus, vt supra diximus, inest ratio virtutis. Non conuenit hæc definitio soli causæ efficienti increatæ, nam etiam causa creata efficiens est primum principium non absolutè, sed in genere causæ effectiuæ per talem mutationem, seù actionē per quam est efficiens, vt innuitur per alias particulas, *vnde mutatio, & quies.* Vide ea quæ diximus hoc lib. dist. 2. c. 1. n. 2. vbi hoc fusius explicatur. Particula *Vnde* est propria ratio differentialis causæ efficientis, sicut enim particula *propter quid* designat causam finalē, particula *Ex quo* causam materialē, & particula *per quod*, seù *per quam*, causam formalem, itá particula *vnde*, seù *à quo*, significat propriam consecutionem, & dependentiam effectus à causa efficiente. Demum nomen mutationis accipiendum hic est latè, prout comprehendit quamcunque actionem, vt hoc modo allata definitio conueniat etiam agenti per creationem.

2 Sub hac definitione non fuit ab Aristotele comprehensa sola causa efficiens Physica, sed etiam moralis, neque sola causa efficiens principalis, sed etiam instrumentalis, vt constat ex exemplis, quæ loc. cit. 2. Physic. affert Arist. ait enim *Semen, medicus, & consultor, & omninò ipsum faciens, omnia sunt, vnde principium mutationis, aut statis.* Sed dubitatur quomodo causæ instrumentali conuenire possit esse primum principium, cum supponat efficiens principale, quod est prius instrumentali. Respondendum tamen est nomine causæ efficientis intellectam ab Arist. fuisse causam efficiētem, prout completam per sua omnia instrumenta, & dispositam per suasionem consultoris, &c.

3 Causa efficiens alia est in actu primo, & hæc est ipsa entitas causæ, quatenus habet virtutem producendi effectum, alia est causa in actu secundo, & hæc est entitas causæ, prout actu producit effectum. Rursus; alia est causa efficiens increata, alia creata, alia Physica, seu quæ per realem influxum dat esse effectui, alia moralis, atque ita vocatur non solum illa, quæ causat actus in genere moris, sed etiam illa, cui in prudenti hominum existimatione tribuitur effectus, perinde ac si illum Physicè causasset, vel quæ ex libera hominum institutione, vel ex pacto mouet agens ad operandum. Demum alia est causa principalis, alia instrumentalis, de quibus inferius.

4 Interim circa causam primam quæritur vtrum possit aliquis effectus poni à causis secundis sine immediato concursu causæ primæ. Ad quod respondendum est, tam de facto, quam de possibili implicare creaturam, quæ in operari non indigeat immediato Dei concursu in ordine ad quemcumque effectum; Et quidem quod de facto ad omnes causarum secundarum operationes Deus immediatè concurrat, probatur auctoritate Sacrarum litterarum, & Sanctorum Patrum apud Scholasticos passim, qui oppositæ opinioni graues censuras inurunt. Quod verò etiam de possibili oppositum implicet, præter alias rationes, quæ ab alijs afferuntur probatur sic. Nulla creatura præcontinere potest omnem perfectionem effectus, quicunque tamen ille sit, ergo nullla potest sine immediato

Dei

Dei concursu producere vllum effectum. Consequentia est certa; est enim primum principium notum lumine naturæ. Quod nemo dat quod non habet. Antecedens, in quo est difficultas probatur; præcontinentia alia est formalis, alia virtualis, atque hæc alia est infinita, & increata, alia finita, & creata; est autem hoc discrimen inter pręcontinentiam virtualem infinitam, & finitam, quod effectus in se formaliter existens non est quid perfectius se ipso, prout virtualiter pręcontento in potentia infinita; imò est quid illa longè imperfectius, at quilibet effectus in se formaliter existens est quid perfectius præcontinentia virtuali finita, seù est quid perfectius se ipso, prout existente solùm in potentia, & virtualiter pręcontento in causa finita; longè enim ęstimabilior est plăta, v.g. secundum formalem suam existentiam, quam secundum solam potentialitatem, quam habet in terra, & in semine; quo enim aliquid plus habet de actualitate, & minus de potentialitate eò est æstimabilius; nam sicuti potentialitas dicit carentiam illius, ad quod est potentialitas, ita actualitas excludit omnem carentiam illius, respectu cuius est actualitas. Hoc posito terra non producit plantam nisi prout præcontinet virtualiter, & in potentia plantam, ergo si terra prout talis dat plantæ esse actuale, & formale, dat plantæ id, quod ipsa terra non præcontinet, dat enim plantæ esse formale, & actuale longè perfectius quam merum esse potentiale plantæ in terra præcontentum, ergo ad dandum plantæ esse formale, requiritur, quod simul cum terra concurrat alia causa, quæ præcontineat omnem perfectionem formalis actualitatis, quam planta recipit. Hæc autem non potest esse nisi solus Deus. Solus enim Deus ita potest omnia, vt esse potentiale creaturarum præcontentum in Deo sit perfectius quolibet esse actuali creaturarum, hoc autem nulli causæ creatæ potest conuenire, cum enim quælibet causa creata non sit causa vllius effectus, nisi prout illum præcontinet in potentia, prout talis est essentialiter minus perfecta, & æstimabilis, quam esse formale effectus.

5 Dices à causa vniuoca præcontineri formaliter omnem perfectionem effectus, ignis enim A, v. g. continet omnem perfectionem ignis B, Sed contra, quia causa vniuoca æquè perfecta, ac effectus, vel causa æquiuoca perfectior effectu non sunt causæ effectus, formaliter loquendo, secundum alia prædicata, vel æquè perfecta, vel perfectiora effectu, sed solùm secundum prædicatum præcontinentiæ, & secundum esse potentiale, quod effectus habet in causa prædicatum autem, seù esse potentiale effectus, quod præhabetur in causa creata etiam vniuoca, est imperfectius, quam esse formale eiusdem effectus, & solùm in Deo oppositum accidit. Confirmatur ignis A, dat esse igni B, non quia habet quomodocunque tale esse, & talem perfectionem, sed quia tale esse est potens producere ignem B, si enim ignis A, haberet omnes suas perfectiones absolutas sine prædicato potētiæ productiuæ ignis B, non posset producere ignem B, ergo id quod formaliter est causa ignis B, est potentia productiua, quæ est in igne A, ratione esse potentialis ignis B, quod pręcontinetur in igne A, & quod prout tale est imperfectius esse formali eiusdem ignis B.

6 Ex hoc infertur nullum poni posse effectum à causis secundis absque eo quod Deus ad illum concurrat eadem actione, qua concurrunt causæ secundæ, primò enim, si alia esset actio causæ secundæ, alia causæ primæ daretur aliquod ens modale, actio scilicèt causæ secundæ, ad quod causa prima non concurreret immediate. Secundò quia aliter, vel effectus poneretur per duas actiones, vel effectus dependeret à causa secunda per actionem superadditam, à causa verò prima dependeret se ipso: duplex actio frustra multiplicatur, sicut enim, vt dicemus, idem modus est actio respectu efficientis, & sustentatio respectu materiæ, quia simul, & immediatè concurrunt ad idem, ita cum ad quemlibet effectum concurrat simul, & immediatè causa secunda, & causa prima, frustra ponuntur duæ actiones distinctæ. Quod verò effectus sine actione superaddita pendeat à Deo, dici non potest, nam plures effectus, qui de facto pendet à Deo simul, & causa secunda possent pendere à solo Deo, ergo si à solo Deo penderent diuersimodè, & maiori influxu ab illo penderent, quam pendeant, quando simul cum causa prima concurrit etiam causa secunda; Hic ergo influxus causæ primæ nunc maior, nunc minor in eandem entitatem effectus, explicari non potest sine actione, per quam ab ipso etiam Deo effectus pendeat.

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum causa prima determinet ad indiuiduationem effectuum.

1 SVB alijs terminis hæc quæstio proponitur dum quæritur: Vtrum detur series naturalis effectuum quoad indiuiduationem. Hoc est vtrum in qualibet causa detur talis virtus, quæ in his circumstantijs loci temporis, &c. Petat connaturaliter producere hunc potius numero effectum, quam alium, an verò causa secunda cum quibuslibet circumstantijs non exigat de se hunc potius effectum in indiuiduo quam alium, sed ideò hic & nunc producat tale indiuiduum, quia determinatur à causa prima præstante concursum ad hoc potius indiuiduum, quam ad aliud. Hoc vltimum dicendum existimamus, & probatur ex eo, quod respectu ignis A, v. g.

v. g. non est peculiare bonum ignis B, potius, quam ignis C. cum enim supponantur differre solo numero entitatiuè, hoc est mere per hoc, quod vnum non sit aliud, iuxta dicta lib. 1. vbi de differentia specifica, non debet in igne A, dari exigentia potius ad ignem B, quam ad ignem C; exigentia enim peculiaris, vt sit prudens, debet esse de peculiari aliquo bono, cum ergo nullum supponatur peculiare bonum in vno indiuiduo, quam in alio, non debet in causa secunda etiam prout affecta his circumstantijs dari exigentia huius potius indiuidui, quam alterius, talis enim exigentia imprudens non potest esse naturalis, & sanè cur voluntas, v. g. in his circumstantijs exigere debet actum amoris A, intensum vt quatuor, potius quam actum amoris B, intensum pariter, vt quatuor, si vterque in quibuscunque circumstantijs æquè perficit voluntatem, & æquè est meritorius.

2 Dices primò indiuiduationem ignis B, esse igni A, peculiare bonum, quia igni A, est melius esse determinatum ad producendum hic & nunc hanc indiuiduationem ignis B, quam esse indeterminatum, & indigere determinatione causæ primæ. Sed contra, quia causam secundam non indigere determinatione causæ primæ est maior perfectio; quæ esset positiuè probanda; & malè præterea hæc assseritur fuisse illi ab auctore naturę data per medium irrationabile, per exigentiam scilicet peculiarem alicuius, quod non est peculiare bonum. Porrò ipse Deus potest inter indiuidua æqualis bonitatis eligere quod maluerit, non aliter ac potest eligere bonum minus relicto maiori, sicut enim si Deus non eligeret bonum minus relicto maiori, nullus sequeretur effectus, quia nullum est bonum, quo maius à Deo fieri non possit, ita si Deus non determinaret ad indiuiduationem, quamuis æqualis bonitatis cum alio nullus sequeretur effectus, quia quælibet indiuiduatio habet alias numero sincathegorematicè infinitas, & æquè bonas, quæ omnes collectiuè poni non possunt.

3 Dices secundò, negata serie maior perfectio ponitur in causis secundis, quam admissa; admissa enim serie datur causis secundis virtus ad vnum, ea verò negata datur illis virtus ad infinita indiuidua. Sed contra quia siue admittatur, siue negetur series æquè causa est potens producere quodlibet indiuiduum eiusdem speciei, tota autem diuersitas inter vtramque sententiam consistit in hoc, quod qui admittunt seriem, volunt causam secundam de se potentem producere quodlibet indiuiduum eiusdem speciei determinari à circumstantijs, qui verò negant seriem, aiunt causam secundam determinari à Deo, quod profectò est congruentius, cum circumstantijs, entitatibus scilicet modalibus loci, & temporis danda non sit vis determinandi virtutem causæ; ex alibi enim sæpè dictis non est tribuendum modis nisi id, quod est necessarium ad hoc, vt sint vltimum determinatiuum ad talem denominationem, propter quam sunt à natura instituti. Hinc negata serie nulla sequitur læsio libertatis maior, quam ea admissa, quam enim determinationem vna sententia tribuit causæ primæ, alia tribuit circumstantijs, sed re vera in neutra sententia libertas læditur, quia vltima indiuiduatio non continens peculiarem bonitatem, vel malitiam neque merens peculiare præmium, aut pænam neque ab intellectu cognoscitur, neque voluntati proponitur; & quia indiuiduatio nullam continet peculiarem malitiam, ideò Deus determinans ad meram indiuiduationem peccati non est causa peccati, sed est sola causa secunda, à qua tota malitia determinatur.

4 Dices tertiò, Causa secunda determinat ad speciem effectus, ergo etiam ad indiuiduationem, quæ est identificata, cum prædicatis specificis effectus. Respondeo. Nego consequentiam, ex eo enim quod indiuiduatio sit à prædicatis specificis indistincta sequitur solùm, quod non possit causa influere, nisi in totam entitatem effectus, cæterum potest causa secunda determinare ad rationem specificam non ad indiuidualem effectus, quatenus exigit determinatè rationem specificam, vt potè sibi peculiariter bonam, non verò exigit hanc determinatam rationem indiuidualem, vt potè sibi non peculiariter bonam; Hinc Deus dicitur determinare ad indiuiduationem effectus, non ad speciem quia ad volendum effectum in specie mouetur ab exigentia causæ secundæ, seu ex eo quod effectus secundum rationem specificam sit peculiare bonum causæ secundæ, ad volendum verò effectum secundum hanc rationem indiuidualem determinatur à sua mera libertate absque vllius rei creatæ exigentia. Neque verò hoc existimandum est parum philosophicum, sicut enim dicimus absque vllius rei exigentia Deum fuisse motum ad creandum mundum, quia nullum ante illius creationem inuenire erat exigitiuum, ita cum nullum inueniamus in causis secundis exigitiuum indiuiduationis, dicendum est determinatiuum haberi solùm à causa prima.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum in agente requiratur existentia, & distinctio ab effectu.

1 OMne agens immediatum, quando agit, habere debet actualem existentiam, cum enim agens determinet cum virtute effectum ad existendum, nõ est intelligibile quomodo possit nunc profluere virtus vlla ab eo, quod actu nunc non existit, si enim nunc nullã habet existentiã, quomodo poterit in ordine ad vllũ prędicatũ dare existentiã effectui. Causa quidẽ mediata, vel meræ conditiones non est necesse, quod habeant actualem existentiam, causa enim

enim mediata determinat per aliquid ab ipsa prius determinatum; conditiones verò determinant per hoc, quod cognitæ moueant agens ad operandum, ideòque sicuti solùm mouent intentionaliter agens, ita satis est, quod habeant solùm existentiam intentionalem.

2 Idem non potest se ipsum actione primò productiua producere. Primò, quia de ratione effectus est esse indifferentem ad existendum, & non existendum, ergo dari debet aliquid distinctum, à quo talis differentia tollatur; effectus enim indifferens ad existendum non est liber in ordine ad acquirendam sibi existentiam, cum libertas requirat existentiam, ergo non poterit ipse sibi tollere hāc indifferentiam, sed solùm ab alio determinari poterit ad existendum. Secundò, prius est rem existere, quam operari, ergo antequam res operetur dando sibi existentiam debet existere. Tertiò, nihil potest esse prius natura se ipso neque potest sibi dare, quod non habet. Dixi idem non posse se ipsum actione primò productiua producere, quia vtrum idem existens per vnam actionem à sua causa adæquata, & distincta, possit pro eodem instanti producere se ipsum per aliam actionem secundariam, est quæstio quæ agitatur à Theologis in materia de Eucharistia.

3 Accidens non potest actione vniuoca agere in se ipsum, itàut vna forma accidentalis in subiecto, in quo inest, aliam formam accidentalem sibi similem, & vniuocam producat; hoc autem constat experientia, qua frigus v.g. in nullo subiecto intendit se ipsum, sed intenditur vel ab extrinseco, vel à forma substantiali, quando hæc non habet frigus in gradu sibi debito, si enim quando aqua v.g. recuperat, & intendit frigus in gradu sibi debito, talis intensio haberetur à frigore præexistente in ipsa aqua sequeretur quod substantia æquè nullo modo esset operatiua, cum enim ad producendum frigus in extraneo subiecto nullo modo concurrat substantia aquæ, sed solum frigus in illa existens, vt probauimus in libro de generatione si substantia aquæ neque in se produceret frigus, & reliquas suas proprietates, substantia aquæ nullo modo actiua esset accidentibus imperfectior. Neque dicas recuperationem frigoris haberi partim à substantia aquæ, partim à frigore in illa præexistente, sicuti, enim admittere debemus, quod substantia aquæ sit productiua frigoris intensioris, cum à frigore remisso non possit produci frigus intensum, ita tu, qui aliam vis inuehere concausam illam positiuè proba. Accedit auctoritas Aristotelis, qui primò de generat. tex. 48. ait *si à simili pati aliquid possibile est & ipsum à se ipso*; quibus verbis ex eo quod nihil pati possit à se ipso infert quod neque simile agere possit in simile.

4 Neque pariter forma vlla substantialis potest producere in subiecto, in quo inest aliam formā substantialem sibi similem, nam si forma A, produceret in subiecto, in quo inest formam B, hæc produceret formam C, & sic in infinitum, cum enim sint formæ vniuocæ dispositiones pro vna forma essent etiam dispositiones pro alia, ideòque in subiecto æquè semper disposito, nulla esset ratio, cur sola forma A, v g. produceret similem formam B, & statim deindè cessaret actio. Quod si dicas primam formam destrui postquam produxit secundam, & secundam postquam produxit tertiam. Contra est, quia non debet quicquam destrui quoties nihil illi contrarium aduenit, & malè res essent constitutæ si per hoc præcisè; quod darent esse alteri, deberent destrui.

5 Quælibet res exigitiuè est causa partialis suæ conseruationis, quando connaturaliter conseruatur ex eo enim quod in instanti antecedenti præextitit, & nullum aduenit contrarium exigitiuum destructionis determinatur auctor naturæ ad illam pro instanti sequenti conseruandam.

6 Quod si quæras vtrum magis, vel minus requiratur in re conseruanda, quam in illa primò producenda. Respondendum erit cum distinctione, si enim in conseruatione cessent aliqua contraria, quæ superanda fuerunt in prima rei productione plus requiritur ad rem primò producendam, quam ad illam coseruandam, ex natura verò rei si cætera sint paria non plus requiritur ad primam cuiusque effectus productionem, quam ad illius conseruationem. Hinc meritò SS. Patres passim docent conseruationem creaturarum esse continuatam productionem, nec minus esse conseruare mundum, quam fecisse. Ratio autem est, quia quod res præextiterit nihil facit ad hoc vt res existat nunc. Neque dicas plus requiri ad attollendum sursum pondus, quam ad illud iam sublatum detinendum in aere pendulum, est enim manifesta disparitas, nam quando pondus sursum attollitur, non modo impeditur, ne sibi producat impetum deorsum, sed etiam illi violēter imprimitur impetus sursum, quod si, vt dicebamus, non sit nisi detinendum pendulum, non plus requiritur ad illud prima hora, quam secunda detinendum. In casu nostro, cum idem omnino præstandum sit in productione, ac in conseruatione rei, non plus requiretur ad illam, quam ad istam.

7 Idem non potest se ipsum formaliter, & immediatè destruere, nihil enim potest producere actionem destructiuam sui pro eo instanti, pro quo talem actionem destructiuam produciт, tum quia formalis destructio non est actio positiua, sed est cessatio ab actione, seu carentia actionis conseruatiuæ; ergo si nihil potest conseruare se ipsum, neque poterit cessare ab actione conseruatiua, tùm quia etiam si actio formaliter destructiua esset positiua actio, pro eo instanti, pro quo aliquid poneret actionem destructiuam sui deberet existere, ergo pro tali instanti non posset ab ea actione destrui, implicat enim, quod pro eodem instanti habeat esse requisitum ad ponendam actionem, & quod simul à tali actione eius esse destruatur. Mediatè, ac dispositiuè potest idem destruere se ipsū, sed neque hoc directa, & ex primaria destructionis intentione; nemo enim intendens in malum operatur, sed operatur solùm intendens per se, & directè aliquid bonum, ex quo indirectè, & ex secun-

secundaria intentione sequitur malum. Hinc ipsa etiam natura vniuersalis, non intendit per se vllius naturæ particularis destructionem propter malum destructionis, sed intendit per se bonum generationis, sed quia hoc haberi naturaliter non potest sine destructione, ideò hæc non intenditur nisi indirectè.

CAPVT QVARTVM.

An, & quæ dissimilitudo inter agens, & passum requiratur ad agendum.

1 PRæsens quæstio procedit de similitudine intensiua, & graduali, ad quam primò dicimus in agentibus per qualitates corruptiuas simile non agere in simile. Probatur tùm ex Aristotele primo de generatione textu 46. & sequen. vbi negat actionem similis in simile in qualitatibus corruptiuis habentibus contrarium, tùm experientia, qua constat duo æquè calida approximata non se magis calefacere; tùm ratione, quia aliter possent sibi mutuò calorem in infinitum augere. Secundò, quia non est maior ratio cur A, v.g. agat in B, sibi simile, quam è contra. Quod si dicas vtrumque agere dicas etiam necesse est, quod partes alicuius diuisibilis, & extensi in se inuicem agant, ideòque partes ligni bipalmaris calidi, v. g. vt quatuor agent ad inuicem intendendo in se calorem, quod est contra experientiam, & contra finem, & bonum naturæ;agens enim tenderet ad dissimiliandum sibi passum prius accidentaliter, deindè verò substantialiter; & à passo tandem taliter dissimilato ipsum agens destrueretur.

2 Dices primò, saltem si agens sit simile passo in intensione, sed dissimile in densitate poterit in illud agere. Si enim agens densius agit citius, & ad maiorem distantiam, cur non etiam poterit agere, & producere plusquam habet in se. Respondeo agens densius posse agere citius, & ad maiorem distantiam, quia ex hoc nullum malum agenti sequitur, sed bonum; at si aliquid densius ageret in sibi simile rarius.magnum ipsi agenti sequeretur malum, dissimilando enim sibi passum prius accidentaliter, & deindè substantialiter ageret contra naturæ finem, & à passo ipso tandem agens posset destrui. Porrò ratio, cur plures partes agentis citius agant est, quia omnes simul exerunt vires, & sicuti virtus vnita fortior est in superando contrario, ita etiam est celerior in producendo id,quod cæteroqui potest producere. Quod verò plures partes agentis, v. g. calidi ad maiorem distantiam agant, ratio est, quia cum quælibet pars producat calorem in orbem, quo plures sunt partes agentis, eo per plures lineas calor in orbem diffunditur quatum quælibet aliquid vincit de contrario ideòque efficit, vt alia quælibet linea caloris à contrario minus debilitata possit longius extendere suam actiuitatem. Demum agens densius validiorem causat sensationem,quam rarius æquè intensum, quia quando agens est densius, plures partes agentis applicantur vni parti passi. Verum quomodocunque supponatur esse agens, nunquam poterit agere in simile, illudque sibi dissimilare propter rationes allatas.

3 Dices secundò, dum ignis, v.g.palmaris agit omnes illius partes agunt, adeòque etiam primus semipalmus remotior à passo agit, & transmittit suum calorem in passum, sed hoc fieri non potest absque eo,quod calor transeat per secundum semipalmum passo proprinquiorem,ergo primus semipalmus intendit similem calorem secundi semipalmi. Respondeo maiorem esse veram, omnes enim partes ignis palmaris agunt, quia si illa solùm pars ageret,quæ esset immediatè applicata passo, cum nulla sit pars ita immediate,in qua non sit designabilis vna immediatior alia, dicendum necessariò est, quod aliqua pars etiamsi sit minus immediata agat; quod si aliqua agit, cur non omnes? Stante præsertim experientia, qua constat ab igne, v.g. palmari validiorem profluere actionem, quam à digitali æquè intenso. Minor tamen obiectionis est falsa; Si enim à semipalmo remotiori transmitteretur calor per alium semipalmum propinquiorem, non modo simile ageret in simile, sed idem ageret in se ipsum; Imò, si supponatur totus palmus ignis esse calidus, vt octo in secundo semipalmo ignis daretur calor plusquam, vt octo. Dicendum ergo est quamlibet partem ignis agere in passum, etiam si nihil agat in partibus similibus intermedijs, nam non propterea vlla sequitur actio in distans, vt dicemus capite sequenti.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

An, & quæ approximatio agentis ad passum requiratur ad agendum.

1 AD hoc, vt sequatur actio non est necesse, quod agens sit immediatè applicatum passo immediatione suppositi, cum enim passum quantitatiuum sit indiuisibile in infinitum nulla est assignabilis pars passi ita proxima agenti, vt in illa non sit designabilis vna pars, quæ agenti immediatior sit quam alia, si ergo agens in aliquam partem passi agit aget in vnam illius medietatem sibi non mediatè applicatam immediatione suppositi; Satis ergo erit ad agendum, quod agens sit immediatè applicatum passo immediatione virtutis, seù qualitatis productæ in medio, siuè sit eiusdem, siuè diuersæ rationis cum eo, quod producit in remoto, aliquando enim medium est incapax recipiendi effectus aliquos, quorum tamen subiectum remotum est capax, sic aer medius inter solem, & terram ratione suæ incapacitatis non recipit à Sole qualitates omnes, quas recipit terra; multa enim à sole saltem tanquam causa partiali generantur in terra, quæ non generantur in aere; adhuc tamen ista non generantur à Sole agente indistans, sed applicato terræ immediatione virtutis productæ in aere intermedio, licet diuersæ rationis ab ea, quam producit in aere. Sed neque semper necesse est, quod omne agens producat aliquid in medio, agens enim partiale, quod simul cum alio agente partiali sibi contiguo, vel continuo constat vnum agens totale potest agere in passum nihil agendo in agente partiali intermedio, vt experientiæ, & ratio manifestè ostendunt, plus enim incalescit lignum à magno incendio, quam à tenui ignis superficie, ergo id, quod producit calorem non sunt solùm partes extimę ignis immediatius applicatæ ligno, sed etiam partes intimæ, & remotiores; atqui partes intimæ non possunt quidquam producere in partibus extimis, si enim supponatur esse ignis in omnibus sui partibus æquè calidus, similis calor partium intimarum ignis non potest agere, & intendere similem calorem partium extimarum eiusdem ignis, & tamen partes etiam intimæ agunt in lignum, quod non tantum, vel certè non tam citò incalesceret, si essent sibi applicatæ solæ partes extimæ, ignis ergo agens partiale agit in passum remotum, etiam si nihil agat in aliud agens partiale intermedium; & sanè cum omne agens quantitatiuum sit diuisibile in infinitum, nulla est assignabilis pars agentis ita proxima passo, vt in illa non sit designabilis vna pars immediatior, alia remotior, ergo quæcunque pars dicatur agere semper aget secundum aliquid à passo remotum, quod in partem immediatiorem agere non potest, ne simile agat in simile.

2 Ex his ergo infertur posse sequi actionem, quoties inter agens, & passum mediat, vel illud agens partiale, vel aliud passum, in quo agens producat aliquid saltem diuersæ rationis. Quod si nulla huiusmodi detur applicatio agentis ad passum sequi naturaliter actio non poterit, ideòque cũ communi sententia dicimus non posse naturaliter dari actionem in distans, & præter auctoritatem & experientiam ratio est, quia agens naturale, ad hoc vt posset agere, debuit ità institui, vt esset determinatum ad vnum; neque enim agens necessarium posset liberè se determinare ad hunc potius modum agendi, quam ad alium, ergo non potuit agens naturale institui cum indifferentia ad agendum, vel in passum approximatum, vel in remotum, ergo cum determinatione ad agendum, vel in vtrumque, vel in alterutrum; atque non cum determinatione ad agendum simul in passum approximatum, & remotum, quia hoc excedit vires agentis naturalis, præsertim cum subiecta non approximata sint plurima, in quæ omnia non potest simul tempore virtus limitata operari, ergo institui debuit agens naturale cum limitatione, & determinatione ad agendum, vel in passum approximatũ, vel in aliquod passum remotum, ergo limitari, & determinari debuit ad agendum in id, quod ipsi agenti futurum erat maius bonum, sed maius bonum agenti naturali est agere in passum approximatũ quam in aliquod remotum quacunque tandem remotione distet, ergo virtus agentis naturalis institui debuit determinata, & limitata ad agendum solum in partem approximatam, minor subsumpta probatur. Omne agens naturale; dempto impulsu est institutum, vt agat in orbem, vel certè ad aliquã latitudinem, vt constat tum experientia, tum quia cum non esset maior ratio cur ageret ad hanc potius lineam, quam ad aliam institutum fuit vt ageret sphæricè, & ad quamcunque lineam; hoc posito manifestè infertur agenti sphæricè maius bonum esse agere in passum approximatum, quam in passum remotum, nam circa passum approximatum efficit sphęram actionis breuiorẽ, ideòque validiorem ad obtinendum suum finem, & cum minori periculo, quod à contrario vincatur, ergo dicendum est agens naturale ita fuisse institutum, vt eius virtus esset limitata, & determinata ad agendum in passum approximatum, ita vt prius se extenderet ad partes remotiores, quam circa partes proximiores egisset quantum hic, & nunc spectata passi resistentia, alijsque circumstantijs agere posset.

3 Dixi agens naturale, dempto impulsu agere sphæricè, vel certè ad aliquam latitudinem: licet enim magnes ex vna tantum parte attrahat ferrum illud tamen ad se trahere potest ex pluribus lineis intra

intra aliquam latitudinem. Solus ergo impulsus agit ad vnam lineam, quamuis enim de se sit indifferens ad quamcunque lineam, posita tamen eius determinatione ad hanc lineam, non agit nisi ad illam. Quod verò impulsui agenti ad vnam lineam melius sit agere in passum approximatum, quam in remotum, probatur, quia impulsus agit in extraneum subiectum, vt tollat impedimentum sui motus, vt suo loco probauimus, sed id quod impedit motum corporis impellentis non est passum remotum, sed approximatum, ergo impulsus institui debuit, & limitari ad producendum alium impulsum in passum approximatum.

4 Dices melius fuisset negare actionem in distans ex eo, quod si agens naturale posset agere in distans, posset agere ad quamcunque distantiam, sed contra primò, quia hoc non reputabitur absurdum ab his, qui illam admittunt; dicent enim, v.g. quod siuè Petrus vulneratus existat Neapoli, siuè in Indijs æquè curari possit per vnguentum armarium, & addere possent, tunc tantum agens non posse agere ad quamcunque distantiam, quando eius virtus exhauritur in medio. Quod si eius virtus in medio non exhauriatur, dicent posse agens agere ad quamcunque distantiam: Non maioris est roboris ratio illorum, qui dicunt nō posse dari actionem in distans, ex eo quod agens à qualitate producta in medio iuuari debeat ad similem qualitatem producendam in subiecto remoto, nam contra est primò, quia non omnis qualitas diffusa per medium est actiua, vt suo loco de luce probabimus. Contra secundò, quia si ad aliquam qualitatem in passo approximato producendam non indiget agens consortio alterius qualitatis concausæ, cur illa necessariò indiget ad agendum in passo remoto.

5 Experientiæ, quæ afferuntur ad probandam actionem in distans, vel accidunt solùm intra aliquam, vel etiam ad quamcunque distantiam, in experientijs primi generis dicendum est nullam interuenire actionem in distans, vel ex hoc ipso, quod tales effectus non accidant, nisi intra certam ac determinatam distantiam, nam cur v.g. ferrum trahitur à magnete solùm in tanta distantia, & non minori, nisi quia virtus à magnete per medium diffusa, dum sensim exhauritur ad tantam distātiam peruenit, non ad maiorem? Præterea, cur quo ferrum est magneti vicinius eo maiori vi trahitur, nisi quia virtus tractiua per medium diffusa in minori distantia est validior?

6 Aliæ afferuntur experientiæ effectuum, ab agente ad quamcunque distantiam remoto. Venenum enim relictum ab Araneo Apuliæ tandiù durare dicitur, quamdiù viuit Araneus, qui venenum reliquit. Similiter nasi Tropeæ resecti exarescunt quando moritur ille, ex cuius carne facti fuerant, quamuis longissimè distet. Demùm sæpè dùm Pater morbo afficitur, vel moritur. Similia quoque patitur filius, quantumlibet distans. Sed respondendum est sæpè multos effectus similes eodem tempore pluribus inter se loco distinctis euenire posse ex eo, quod cum similes habeant corporis affectiones ab ijsdem causis vniuersalibus eadem patiuntur. In causas igitur vniuersales refundi potest, quod Pater, & Filius simile habentes temperamentum similia eodem tempore patiantur; in easdem referri debent, quæ de araneo Apuliæ, & nasis Tropeę resectis dicuntur, si tamen omnia sunt vera, quando enim Araneus, & is, ex cuius carne resectus est nasus, naturali morte moriuntur, deficere etiam potest virtus nasi, & veneni habentium similes qualitates; dixi *quando naturali morte moriuntur*, si enim violenter aliqua patiatur filius distans à Patre, nulla est ratio naturalis, cur similia patiatur Pater, ideòque si quid simile accidat, in Angelos bonos, vel malos refundi poterit. Dixi pariter *si omnia quæ de Araneo dicuntur sunt vera*. Primò enim valdè difficile videtur, quod tunc præcisè venenū cesset, quando Araneus moritur, si enim Araneus post inflictum venenum statim occideretur, nullum ex eo detrimentum vulneratus sentiret, quod videtur falsum. Secundò vis veneni durat ad multos annos, ad quos non est probabile, quod viuat Araneus. Tertiò non apparet quomodo fieri potuerit talis experientia, quis enim adnotare potuit Araneum vulnerantem, eumque tanto tempore exactè obseruare.

7 Potest tamen per Diuinam potentiam dari actio in distans; quia nulla in hoc apparet contradictio, limitatio enim causæ determinatæ ad agendum in passum approximatum suppleri potest à Deo, sicuti suppleri à Deo potest limitatio corporis naturaliter determinati ad existendum in vno tantum loco, ad hoc vt miraculosè existat in pluribus.

8 Dices, vt causa agat nūc debet existere nunc, ergo, vt agat hic debet existere hic. Sed disparitas est, quia causa, quæ extitit, sed non existit hodiè, si heri non dedit non potest hodie dare alteri existētiā, quam nō habet, tam enim hodie nihil existit de eo, quod nunquā extitit, quā de eo quod extitit heri, sed hodie non existit, ideòque si id, quod nunquam extitit, non potest dare alteri existentiam, neque poterit id, quod extitit, sed non existit; at quod non hic, si existat alibi, verè existit, ideòque dare potest alteri existentiam si suppleatur à Deo defectus applicationis ad passum. E contra, quia causa non coexistens passo nihil habet, deberet Deus supplere non modo aliquid, sed deberet supplere totum dando scilicet de se solo existentiam effectui. Obijci etiam solet auctoritas S. Pauli, qui Actorum 17. infert Deum non longè esse ab vno quoque nostrum, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Sed respondetur ibi Apostolum loqui de præsentia intentionali respectu nostræ cognitionis, quod nimirum ex vita, & motu, quem habemus venire possimus in cognitionem existentiæ Dei, vt colligitur ex his, quæ subdit. Ait enim nos attrectare Deum, quod non potest intelligi nisi de attrectatione metaphorica per cognitionem.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Qua ratione decrescat actio intrà Sphæram actiuitatis.

1 EA, quæ agunt sphæricè constat experientia intra sphæram suæ actiuitatis agere vniformiter difformiter, & in ijs suæ spæræ partibus minus, quæ sunt ab agente remotiores. Quæritur ergo qua lege, & proportione fiat huiusmodi decrementum, & præcipuè hoc examinatur in lumine, & speciebus, in quibus vt potè carentibus contrario melius apparet quid ex natura rei contingat præscindendo ab accidentibus, ratione maioris, vel minoris contrarij, in infinitum variabilibus. Primo igitur decrementum non fit in proportione arithmetica, vt docet manifesta experientia, quia ad sensum patet longè maiora esse decrementa circa initium sphæræ actiuitatis, quã circa finem, si enim cartam lucernæ propius admoueas, & eam postea ad duos palmos remoueas, magnum aduertes in luminis intensione decrementum, si verò cartam ad quadraginta, vel quinquaginta pedes remoueas, ibiq; denuò eius illuminationẽ obserues, cartam appropinquando, & remouendo per duos palmos, vix quidquam discriminis inter has duas illuminationes deprehendes. Præterea sint duæ lucernæ, quarum quælibet extendat illuminationem solùm ad decem palmos, atq; ita collocentur, vt vna distet ab alia per decem palmos, ibiq; desinat illuminatio vnius, vbi incipit illuminatio alterius; hoc posito in toto spatio intermedio deberet esse æquale lumen. Si enim fit decrementum per partes æquales in primo palmo ab vna lucerna producentur septem gradus luminis, & ab alia producetur vnus, ergo in primo palmo erunt octo gradus luminis, in secũdo palmo ab vna producentur sex, ab alia duo, ergo etiã in secundo palmo erũt octo gradus, & sic de cæteris, hoc autem est falsũ, vt constat tum immediatè ad sensum, tũ quia si disponãtur in orbẽ plures carbones, & in aliqua parte medij ponatur, v. g. scorpio, hic sistet tandem in medio, nec nisi quia ibi sentit minorem calorẽ.

2 Contrà decrementum in proportione geometrica obijci solet, quod nunquàm finiretur sphæra actiuitatis, si enim in primo palmo sit intensio, vt octo, in secundo, vt quatuor, in tertio, vt duo, &c. cum possit fieri diuisio in medietates, & medietates medietatum in infinitum, nunquam dabitur sphæræ finis. Verum si in qualitatibus admittatur minima naturalis intensio, quando ad eam fuerit deuentum, finita erit sphæra actiuitatis. Meliùs ergo reijcitur tale decrementum ex eo, quod agens plus de sua qualitate produceret in remoto, quàm in proximo. Ex vltima enim 12. Euclidis sphæræ sunt in triplicata ratione suorum diametrorum, ideòq; si intelligantur duæ sphæræ, in quibus semidiameter secundæ se habeat ad semidiametrum primæ, vt duo ad vnum, tota moles primæ sphæræ se habebit ad totã molem secundæ, vt octo ad vnum. Quod si sit vnica sphæra habens semidiametrum duorum palmorum, tota sphæræ moles centro propinquior habens pro semidiametro vnum palmum, se habebit ad aliam à centro remotiorem, vt vnum ad septem; ab octo enim detrahi debet id, quod de se affert portio sphæræ correspondens primo palmo. Hoc posito si in primo palmo sphæræ propè luminosum, principale supponatur esse lumen, vt octo, in secundo palmo iuxta decrementum geometricum erit lumen vt quatuor; atqui plus est in singulis partibus sphæræ se habentis vt septem producere quatuor gradus luminis, quàm in singulis partibus sphæræ se habentis vt vnum producere octo gradus luminis, ergo iuxta decrementum in proportione geometrica agens plus produceret in remoto, quàm in proximo, quod in lumine ex eo præsertim dici non potest, quod lumen diffusum per medium nullo modo concurrit ad lumen productum in remoto.

3 Melius ergo dicetur intensio decrescere prout crescit extensio subiecti, in quo producitur qualitas, vt autem hoc explicetur, sit subiecta figura repræsentans sphæram actiuitatis corporis lucidi A, diuidatur autem semidiameter A, B, in octo, vel nouẽ partes æquales, tum sinixtro lateri adscribãtur numeri exponentes proportionem sphærarum, triplicatam videlicet, vt diximus supra, proportionis diametrorum, eosdemq; comitentur differentiæ; quibus ad inuicem se excedunt. Iam, si eædem differentiæ inuerso ordine iuxta dexterum latus distribuantur, vbi est minima extensio erit maxima intensio, & vbi est maxima extensio erit minima intensio. In primò enim palmo sphæræ, vbi est minima extensio ponitur intensio 169. partium luminis hæ autem luminis partes vniformiter difformiter distributæ per totam sphæram actiuitatis, ibi sunt pauciores, & minus intensæ, vbi extensio est maior, ideòq; in vltimo palmo sphæræ, vbi extensio est maxima; intensio est minima; nimirum vt vnum; neq; ibi in qualibet parte illius vltimi palmi est intensio vt vnum, sed solùm initio palmi incipit esse vt vnum, deinde verò semper est minor, donec in fine palmi, adeòque in fine totius sphæræ deueniat ad intensionem adeò minimam, vt minor naturaliter dari non possit. Imaginare aquam fluminis, quæ si quoad partes, & molem non sit maior in alueo latissimo, quàm in alueo angusto, eò decrescet profunditas aquę quo crescit aluei latitudo,

adeòque vbi alueus est minimè latus, ibi profunditas aquæ erit maxima,& vbi alueus est maximè latus, ibi aquæ profunditas erit minima.

4 Porrò sic explicata proportio decrementi actiuitatis optimè respondet experientijs, illiq; præcipuè, quòd prima decrementa sint semper maiora, quàm posteriora, vt enim exposita figura constat in secundo palmo decrescunt gradus 42. in tertio 36.in quarto 30.atqui longè sensibilius,& maius est decrementum 42. partium intra vnum palmum, quam intra vnum pariter palmum decrementum partium 36.& maius decrementum partium 36. quàm 30. & sic deinceps ergo, &c. quod si vlterius quæras,qua proportione decrescat intra latitudinem vnius palmi partes illæ 169 vsque ad partes 127. dico decrescere simili proportione, ideòque spatium illud palmare diuidendum vlterius erit in alias, v. g. partes æquales, adeòut in parte à centro remotiore vbi est maior extensio, ibi sit minima illarum partium intensio, vbi verò est minima extensio, ibi sit maxima illarum intensio. Demum ne mireris fuisse à nobis diuisam intensionem in plures partes, & gradus quam octo, cum enim quilibet gradus ex illis octo,in quos communiter fit diuisio,sit in infinitum diuisibilis possumus, quādo opus est, instituere diuisionem in plures partes minores, & minores.

5 Infertur ex dictis ea, quæ agunt sphæricè debere agere vniformiter difformiter, itaut statim incipiat actionis decrementum, & nunquam saltem producant in alieno subiecto quantum habent in se, cum enim statim incipiat sphæræ dilatatio, statim etiam debet incipere decrementum, alioquin plus qualitatis in alieno subiecto agens produceret, quàm habeat in se, cum ergo in qualibet parte distinguibili extranei subiecti aliquid extensionis crescat, minui necessariò debuit aliquid intensionis. Hoc non accidit in formis substantialibus, forma enim substantialis producere potest aliam formam substantialem æque perfectam, atue ita institui debuit à natura, ne statim omnes formæ substantiales in species imperfectiores, & imperfectiores degenerarent, quod tamen non sequitur in qualitatibus; nam licet ignis, v g. in ligno sibi applicato non producat tantum caloris, quantum habet in se, adhuc tamen potest producere tantùm caloris, quantum satis est ad hoc, vt lignum vertatur in ignem æquè perfectum, ac sit ignis producens, quia ad primam ignis generationem non requiritur calor in summo, neque tantus calor, quantus est in igne generante, sed sufficit aliquid minus, quamquam postquam ignis generatus est, hic per emanationem producit in se reliquos gradus caloris, qui substantiæ ignis debentur.

CAPVT SEPTIMVM.

De Reactione.

1 DAri reactionem in qualitatibus contrarijs secundum eandem contrarietatē, & secundum eandem partem subiecti constat experientia,quando enim, v.g. ferrum candens immersum in aquam illam calefacit,& ab illa refrigeratur, fit reactio secūdum eandē contrarietatem caloris, & frigoris, & secundum eandē ferri candentis partem,quæ ita aquam calefacit,vt simul ab aqua refrigeretur. Secundò, Idem ratione probatur; cum enim ex dicendis virtus actiua qualitatis,cuiusq; passi, licet modicè intensa, tota tamen agat indiuisibiliter,qualitas verò existens in agente nō resistat nisi diuisibiliter, semper datur aliqua particula qualitatis in agēte, quæ de se seorsim, & diuisibiliter resistens habeat minorem virtutem,quam sit tota virtus actiua passi agentis indiuisibiliter, ideòq; hæc poterit in agente destruere aliquid qualitatis, non nisi diuisibiliter resistentis, ita tamen vt interim passum longè plus de sua qualitate deperdat per actionem agentis contrarij. Porrò ita actiuitas, & resistentia qualitatum contrariarum institui debuit à natura,vt per actionem,& reactionem ex elementis generarentur mixta; si enim elementum potentius,nihil agendo repateretur, debilius totaliter transmutaretur in fortius, & nihil vnquam tertium mixtum ex vtroque generaretur.

2 Dixi qualitates agere indiuisibiliter resistere verò diuisibiliter, quamuis enim eadem qualitas sit formaliter actiua, & formaliter resistitiua, tota tamen qualitas, quæ est in subiecto secundum totam suam intensionem vna eademque actione communi, & à tota qualitate agente indiuisibiliter pendente, agit in passum, cum enim admissa præsertim graduum homogeneitate, omnes gradus qualitatis sint æquè potentes agere, & non sit maior ratio cur agat potius hic, quam ille omnes in actu secundo agent indiuisibiliter, at non resistunt in actu secundo nisi diuisibiliter, quamuis enim omnes gradus simul in actu primò exigant conseruari, vt propterea eò plus in actu secundo de qualitate conseruetur, quo plures antea fuerunt gradus exigentes conseruationem. In actu tamen secūdo resistunt diuisibiliter, eo quod conseruatio vnius non dependeat à conseruatione alterius, sed possit destrui vnus gradus conseruatis alijs, ideòque omnes quidem gradus exigunt conseruari, sed non exigunt conseruari simul, sed plus vel minus pro ratione contrarij magis, vel minus validi. Hoc autem æquè dicendum est, siuè asseratur qualitas conseruari à subiecto effectiuè, siue solùm exigitiuè, siuè etiam neque effectiuè, neque exigitiuè, vt accidit quando qualitas, licet subiecto

inde-

indebita, in illo tamen per aliquod tempus conseruatur etiam ad præsentiam contrarij agentis. Ad rem enim præsentem perinde est. Hinc quamuis in aliquo sensu maior dici possit tota virtus resistitiua, quam tota virtus actiua subiecti, eò, quod subiectum agens semper plus de sua qualitate conseruet in se, quam producat in alio, spectando tamen modum, quo in actu secundo agit, diuersum à modo, quo in actu secundo resistit, dicendum est minorem esse virtutem actiuam virtute resistitiua ex eo quod virtus actiua non agens nisi indiuisibiliter vincere possit contrarium, virtus verò resistitiua non resistens nisi diuisibiliter vincatur à contrario. Vt verò ex hoc saluetur præcipua obiectio contra reactionem.

3 Dices primò dum ignis, v.g. agit in aquā virtus resistitiua ignis est maior virtute actiua ipsius ignis, sed virtus actiua ignis est maior virtute actiua aquæ, quia alioqui in illam non ageret, ergo virtus resistitiua ignis est maior virtute actiua aquæ, ergo aqua non potest reagere in ignem. Quod verò virtus resistitiua ignis sit maior virtute actiua ipsius ignis probatur, quia ignis plus conseruat de suo calore, quam producat in aqua Sed ex dictis respondetur virtutem resistitiuam ignis esse maiorem virtute actiua eiusdem ignis, si spectemus præcisè id, qnod à virtute resistitiua conseruatur, & id quod à virtute actiua producitur, at si spectemus modum, quo virtus resistitiua in actu secundo resistit, & modum, quo virtus actiua in actu secundo agit, hęc erit maior, quam illa, virtus enim resistitiua resistit diuisibiliter, actiua verò indiuisibiliter agit. Hinc cum virtus diuisibiliter resistens sit in infinitum diuisibilis, & possit de illa minus semper, ac minus petire nullum est agens, quod in agendo non repatiatur.

4 Dices secundò, si daretur reactio pars repassa moueretur simul duobus motibus contrarijs quod est absurdum; sit enim ignis bipalmaris agens in aquam, qui solùm secundum primum palmū immediatius aquæ applicatum repatiatur, & recipiat aliquid frigoris, hic primus palmus, vtpotè pars repassa recipit frigus ab aqua, sed simul recipit calorem à secundo palmo ignis sibi applicato, qui est pars repassa, ergo pars repassa, seù primus palmus ignis simul frigesit, & calesit. Respondeo partem ignis repassam pro primo instanti solùm ab aqua frigesieri absque eo, quod simul ab alio palmo ignis non repasso, & applicato calefiat. Si enim à parte non repassa calefieret, vel aqua introducens frigus nihil caloris destrueret in igne, & excederetur naturalis latitudo intensionis, vt octo, quod est absurdum; vel aqua producens frigus destrueret aliquid caloris, & simul aliquid caloris a parte non repassa produceretur, & neq; hoc dici potest, idem enim gradus caloris in eodem instanti destrueretur simul, & produceretur. Quare dicendum omninò est, quod cum pro eodem instanti non possit in primum palmum ignis agere, & aqua simul, & secundus palmus ignis, si supponatur aqua esse pro hoc instanti validior, & reagere in partem repassam, dicendum, inquam est, quod pro hoc instanti secundus palmus ignis, quamuis primo applicatus nihil agat; Sed tunc solùm possit incipere actionem, quando deperdito aliquo gradu caloris in parte repassa, hæc facta est parti non repassæ dissimilis.

5 Dices tertio si inter calidum, & frigidum mediet aliquid aeris, calidum aget in frigidum; dū frigidum reaget in calidum, ergo simul in aere intermedio producetur, & per illum transmittetur calor, & frigus, ideòque aer intermedius mouebitur simul duobus motibus contrarijs. Sed vt responsio melius proponatur, supponamus calidum, frigidum, & aerem intermedium esse tria tantùm minima, hoc posito cum minimo aeris sit applicatum, tam minimum calidi, quam minimum frigidi, vel calidum, & frigidum supponuntur esse paris actiuitatis, vel disparis; si paris, nihil in minimo aeris producetur, cum enim vnum minimum secundum se totum non possit simul recipere calorem à calido, & frigus à frigido neque possit minimum naturale secundum vnam sui partem potentialem calefieri, secundum aliam frigefieri, & cæteroqui ratione paris actiuitatis non sit maior ratio, cur potius agat calidum, quam frigidum, neutrum aget. Quod si supponatur vnum ex illis, v.g. calidum esse validius, hoc solùm producet aliquid caloris in minimo aeris, & simul aer reaget in calidum, sed interim frigidum nihil frigoris poterit producere in aere, sed impediet ne plus caloris in aere intermedio destruatur, vt in simili diximus supra de parte non repassa. Porrò aer reagens in calidum non reagit in illud suo tantùm frigore, sed etiam frigore frigidi sibi applicati, cum quo constituit vnum reagens totale, plus enim aer intermedius reagit in calidum, dum habet sibi applicatum aliud frigidum, quam si hoc applicatum non esset, ideòque quamuis frigidum nihil agat in aerem intermedium, cum frigore tamen aeris intermedij constituens vnum reagens totale reagit in calidum; Sed similiter calor, qui est in eodem aere intermedio, constituens vnum agens totale cum calore calidi sibi applicati agit in frigidum. Neque enim vllum est inconueniens, quod idem aer ratione sui caloris constituat vnum totum cum calore alterius calidi, & ratione sui frigoris constituat vnum totum cum frigore alterius frigidi.

6 Est autem aduertendum, quod non omnes gradus qualitatis, qui sunt in agente agunt in actu secundo, cum enim actio, non possit profluere nisi ab agente, quod actioni coexistat, si pro instanti pro quo fit actio, aliquid qualitatis actiuæ in agente destruitur ab ea parte qualitatis quæ destruitur, non potest profluere actio, sed solùm ab alijs. Verùm quamuis gradus ille, qui destruitur, non agat, per hoc tamen, quod simul cum alijs præextiterit in subiecto, exigit vt minus de tali qualitate destruatur à reagente, quam si non præextitisset. Sicut enim non potest actio profluere ab eo

V 2 quod

quod actioni non coexistit, ita aliquid, per hoc quod praextitit, potest esse determinatiuum ad hoc vt magis de qualitate sibi simili conseruetur in subiecto.

7 Quæ hucusque de reactione diximus, æque verificantur, siue qualitas resistat per hoc, quod à subiecto merè exigitiuè, siue per hoc quod etiam effectiuè conseruetur, hac tamen in re dicimus aliquando qualitatem conseruari in subiecto per aliquod tempus etiam si à subiecto neque effectiuè, neque exigitiuè conseruetur, atque ita accidit qualitati in subiectum violenter introductæ: Quando tamen qualitas est subiecto connaturalis, debet saltem conseruari ad exigentiam illius; sicut enim qualitas subiecto indebita ad illius exigentiam destruitur, ita qualitas subiecto connaturalis ad illius exigentiam conseruabitur; Neque ex hoc sequitur mutua causalitas, idem enim calor, v. g. qui cum priori parte fluente suæ actionis conseruatiuæ fuit dispositio, & prior natura respectu ignis, v. g. potest cum alia parte posteriori suæ actionis conseruatiuæ esse proprietas, & natura posterior eodem igne. Quod si qualitates subiecto connaturales ad illius exigentiam conseruantur, non est cur non vlterius afferamus ab illo etiam effectiuè conseruari; illarum enim rerum effectiuam conseruationem refundimus in solam causam primam, quarum causam secundam efficienter conseruatiuam non inuenimus; Cum ergo in qualitatibus subiecto connaturalibus inueniamus causam secundam potentem conseruare, nimirum ipsum subiectum, non est cur sicuti illi tribuimus virtutem reproductiuam suæ qualitatis deperditæ non etiam illi tribuamus vim suæ qualitatis conseruatiuam; si enim hanc illi deneges, quomodo virtutem reproductiuam probare poteris.

8 Hinc ratio à priori afferri poterit cur passum difficilius deperdat vltimos gradus qualitatis sibi connaturalis, quam primos; quamuis enim ita debuerit institui à natura, vt nimirum vltimi gradus vtpote magis necessarij validius conseruarentur, & hoc pacto diutius etiam conseruarentur ipsæ formæ substantiales, vlterior tamen ratio à priori est, quia quò plus frigoris in aqua, v. g. destruitur eò hæc in paucioribus frigoris gradibus conseruandis occupatur, ideòque posteriores gradus, vtpote pauciores, validiori influxu conseruabit. Neque verò huius rei ratio benè refunditur in reactionē, dicendo, quod ideò in aqua difficilius destruantur posteriores gradus frigoris, quam priores, quia ignis magis semper, ac magis ab aqua repatiens semper est in agendo debilior. Nam contra est primò, quia sicut ignis sensibiliter non repatitur ita minor eius actiuitas in ordine ad posteriores gradus frigoris in aqua destruendos, non deberet esse sensibilis. Contra secundò, quia flamma ignis semper mutatur, & priori repassæ semper succedit noua non repassa, ideòque virtus nouæ flammæ paris virtutis cum priori, pari facilitate deberet destruere vltimos gradus frigoris, immò etiam facilius cum quò plus de frigore destruitur, eò magis decrescat virtus resistitiua. Melior ergo est ratio, quam assignauimus, quæ etiam ostendit, cur citius agens recuperet primos gradus suæ qualitatis deperditos, quam posteriores, quò enim plus aqua, v. g. de frigore recuperat, & conseruat, eo minores habet vires ad illos vltimos gradus qualitatis sibi reproducendos, ideòque sicuti quò plures gradus suæ qualitatis deperdit, eò validius alios pauciores conseruat, ita quò pauciores habet gradus quos conseruet, eò est expeditior, & validior ad gradus deperditos sibi reproducendos. Sed hæc dicta sint solùm de qualitatibus corruptiuis, de lumine enim, impetu, & speciebus dicetur suo loco.

CAPVT OCTAVVM.

De Causa materiali, & formali.

1 COnsiderari potest materia, vel vt causa extrinseca formæ, vel vt causa intrinseca compositi. Quoad primū dicendum est materiam esse veram causam extrinsecam formarū materialium, illasq; cum vera virtute determinare ad existendum. Probatur tum authoritate omnium ferè scholasticorum tùm quia aliter se habet materia respectu animæ rationalis, ac respectu formarum materialium, ergò si respectu animæ rationalis se habet vt mera cōditio, respectu formarum materialium erit plusquam conditio, ideòq; erit vera causa; aliter cur forma rationalis creabitur non verò forma materialis, cum vtraque ponatur ad exigentiam materiæ dispositæ? Certè huius rei aliud discrimen afferri non potest, nisi quia forma materialis, quæ de potentia materiæ educitur, fit per concursum, & virtutem materiæ; Anima verò rationalis nequaquam. Quod si dicas discrimen afferri posse ex eo, quod actio creatiua animæ rationalis non sit affixa, & alligata materiæ, sicuti est alligata actio eductiua formæ materialis verum dicis, sed hinc inferimus à materia exerceri in formam materialem veram virtutem passiuam; ideò enim actio eductiua existere non potest extra materiam, quia est actuale exercitium sustentationis, quo materia tanquam vera causa sustentat formam; alioqui nulla esset ratio, cur actio sustentatiua non posset existere sine materia si non secus, ac creatiua merè poneretur ad exigentiam materiæ dispositæ.

2 Causalitas causæ materialis in actu secundo est sustentatio, modus non realiter, sed solū formaliter distinctus ab actione efficientis, tum quia actio, & passio sunt realiter idē, tum quia sicuti quando duo agentia simul concurrunt ad vnum effectum concurrunt vna eademque actione communi

vt su-

vt supra probauimus, ita cum simul concurrat causa efficiens, & materialis concurrent eodem influxu, qui simul erit actiuus, & passiuus, & prout profluit ab agente erit actio prout profluit à materia erit sustentatio. Differt autem causa materialis, seù subiectiua ab efficiente per hoc, quod causa subiectiua prout talis exigat intimè vniri illi, quod materialiter causat, & ratione talis vnionis intrinsecè mutari, seù perfici. Dixi primò causam materialem ratione sustentationis exigere vniri. Neque enim sustentatio est ipsa formalis vnio materiæ cum forma; cum enim sustentatio sit identificata cum actione, & duratione accidentali, nihil accidentale potest habere rationem formalis vnionis, sed solùm exigere vnionem; hinc non implicat formam aliquam sustentari à materia, nec tamen illi vniri, non enim implicat, quod Deus deneget materiæ vnionem, quam ratione sustentationis, non nisi connaturaliter exigit. Dixi secundo, Causam materialem ratione vnionis exigere, vt intrinsecè mutetur, & perficiatur per id, cui vnitur, licet enim vnio hypostatica profluat efficienter à Verbo Diuino, cum opera ad extra sint communia toti Trinitati, & ratione talis vnionis exigat esse, vbi est humanitas, non tamen Verbum Diuinum est causa materialis respectu vnionis hypostaticæ, quia per vnionem hypostaticam intrinsecè non mutatur, neque perficitur. Hinc sustentatio potest secundum aliqua non verò secundum omnia suppleri à Deo, cum Deus mutari intrinsecè non possit per receptionem nouæ perfectionis. Cæterùm quoad reliqua suppleri à Deo potest in genere causæ efficientis; Imò de facto supplet defectum materiæ, dùm sine illius concursu conseruat accidentia Eucharistica extra subiectum.

3 Sustentatio non conuenit soli materiæ, sed cuilibet alteri causæ subiectiuæ, cuiusmodi est res quælibet saltem respectu suæ vbicationis, quæ sustentatur à re per talem vbicationem vbicata. Porrò forma non est vllo modo causa extrinseca respectu materiæ, tùm quia nulla est necessitas inuehendi vllam causalitatem formæ respectu materiæ, tum quia cum implicet mutua causalitas, si materia est causa formæ, non potest forma esse causa materiæ.

4 Tam materia, quam forma sunt veræ causę intrinsecæ respectu totius, ex supradictis enim causa, vt sic est id, quod determinat cum virtute aliud ad existendum, ergo causa intrinseca erit id, quod intrinsecè determinat aliud ad existendum, tanquam intrinseca virtus illius; sic autem se habent materia, & forma respectu totius, sunt enim intrinseca illius virtus, adeòque illud cum virtute intrinsecè, & intransitiuè determinant ad existendum.

5 Dices materia, & forma non habent prioritatem naturæ, neque suum principium respectu totius: non dicunt relationem ad totum, neque à toto distinguuntur, ergo non sunt veræ causæ totius. Respondeo prioritatem naturæ non conuenire nisi causis extrinsecis, habent tamen causæ intrinsecæ rationem principij, ideòque aliquam prioritatem respectu totius, sed hæc non est nisi prioritas, à subsistendi cõsequentia, quatenus scilicet non valet inferre; Est materia, & forma, ergo est totũ, sicuti valet inferre est totũ, ergo est materia, & forma; quod si materia, forma, & vnio neq; prioritatẽ à subsistendi consequentia habent respectu totius, nil mirum, vnio enim ex mox dicendis, est causalitas qua materia, & forma causant totum. Causalitas autem, vt diximus agentes de actione, sicuti non habet prioritatem naturæ respectu effectus, ita neque est necesse, quod respectu illius habeat prioritatem à subsistendi consequentia. Demum causa intrinseca satis est, quod inadæquatè distinguatur à toto, & quod inadæquatè ad totum referatur. Quatenus scilicet quęlibet ex his causis intrinsecis distinguitur ab alia concausa intrinseca, & ad illam refertur.

6 Causalitas, qua materia, & forma causant intrinsecè, & in actu secundo totum, est vnio; per vnionem enim materia, & forma potentes intrinsecè causare, & componere totum, reducuntur in actum, actu illud componentes. Ideò autem earum causalitas non est sustentatio, quia posito, quod materia sustentet formam, adhuc non habetur formaliter compositum, sed solùm exigitiuè, ex dictis enim sustentatio non est nisi exigentia vnionis.

7 Dices primò. Ea ratione causat effectum, qua causat causalitatem effectus, sed materia causat vnionem sustentando vnionem, ergo si vnio esset causalitas, qua materia causat totum, materia sustentaret totum, quod est falsum. Respondeo vnionem esse causalitatem materiæ respectu totius, non quatenus à materia sustentatur, sed quatenus est id, quo materia componit totum, nam si vnio non sustentaretur à materia, sicuti non sustentatur à forma, sed crearetur à Deo, adhuc esset causalitas materiæ respectu totius; materia ergo prout sustentans vnionem est causa extrinseca illius, prout verò materia est causa intrinseca totius, non alio modo dici potest causare vnionem causalitatem totius, nisi quatenus vnio est id, quo ipsa materia vnitur formæ, & constituit totum.

8 Dices secundò. Causalitas est natura posterior causa, cuius est causalitas, ergo vnio erit natura posterior forma, cuius est causalitas, atqui hoc ex alibi dictis est falsum, ergo, &c. Respondeo causalitatem extrinsecam debere esse natura posteriorem causa extrinseca, causalitatem verò intrinsecam posse esse simul natura, sicuti simul natura diximus esse formam, & vnionem. Ratio autem disparitatis est, quia causalitas intrinseca non necesseriò est quid profluens à causis intrinsecis sed solùm, est id, quo causæ intrinsecæ componunt totum, ad hoc autem, vt patet, non requiritur, quod huiusmodi causalitas sit natura posterior ipsis causis intrinsecis.

10 Ex dictis

9 Ex dictis infertur primò, Benè definiri causam materialem, id, ex quo inexistente aliquid fit. Causa verò formalis benè definitur: ratio ipsius quodquid erat esse rei, ex supra enim dictis, forma est pars principalior compositi, ideòque quodquid rei. Infertur secundo causalitatem intrinsecam tàm materiæ, quàm formæ non posse à Deo suppleri, implicat enim, quòd sine materia, & forma equi, v. g. fiat equus.

CAPVT NONVM.

De Causa finali.

1 Finis præter alias diuisiones diuiditur in finem *cuius*, & finem *cui*, sed ex vtroque coalescit vnus integer finis, qui definitur id, cuius gratia aliquid fit, aut est. Fini intentionaliter existenti conuenit vera ratio causæ Physicæ. Imò ab Aristotele causa finalis dicitur prima causarum, ideò enim efficiens taliter operatur, ideò talis est causa materialis, & formalis, quia talis est finis; Et eos dicimus operari sine causa, qui operantur sine fine. Conuenit fini tota definitio veræ causæ à nobis distinctione superiori allata. Finis enim determinat cum virtute effectum ad existendum, sed cum virtute, & bonitate habente existentiam non realem, sed intentionalem, & sane si potentia loco motiua determinat cum virtute ad motum localem corporis, bonitas finis existens intentionaliter in cognitione dicenda etiam erit determinare cum virtute ad motionem metaphoricam, & allicientiam potentiæ appetitiuæ, quæ à bonitate finis mouetur tanquam ab habente virtutem ad mouendum, & alliciendum, quomodocunque tandem dicatur hoc fieri. Porrò ità finis est vera causa Physica, vt dici etiam possit in aliquo sensu moralis, prout scilicet nomine causæ moralis venit causa, quæ importat ordinem ad voluntatem, & includit illius allicientiam.

2 Causalitas finis in actu primo non est cognitio, sed bonitas ipsius finis. Causalitas enim in actu primo est potentia, & virtus causandi, sed sola bonitas finis est virtus finaliter potens causare, quia sola est id, cuius gratia effectus, & media conducentia ad finem possunt causari, ergo sola bonitas finis est causalitas finis in actu primo, ideòque cum cognitio, neque partialiter sit id cuius gratia mouemur ad operandum, cognitio neque partialiter erit causalitas finis in actu primo. Verum quando dicimus virtutem causatiuam finaliter haberi in sola bonitate finis, non in cognitione, fit sensus formalis, vt enim diximus libro primo agentes de ente rationis, in ipsa entitate cognitionis repræsentantis bonitatem finis, formaliter distinguimus, id quod se habet in intellectu subiectiuè, & id quod se habet obiectiuè, prædicata enim communia cognitionis dicuntur esse in intellectu subiectiuè, ipsa verò bonitas finis dicitur se habere obiectiuè in intellectu, seu tanquam obiectum expressum per cognitionem, & repræsentatum intellectui. In ipsa ergo bonitate finis habetur virtus causatiua finaliter, cognitio verò non est nisi mera conditio applicans bonitatem finis; hinc licèt variata cognitione varietur motio potentiæ appetitiuæ, non tamen propterea cognitio est plusquam conditio, nam etiam variata approximatione agentis ad passum variatur effectus, nec tamen approximatio est plusquam conditio. Et sanè id, quod causat finaliter est id, cuius gratia, seu ad quod obtinendum adhibentur media, atqui non adhibentur media ad obtinendam cognitionem, hæc enim iam possidetur, sed media adhibentur solùm ad obtinendam bonitatem finis, quamquam non secundum statum intentionalem, sed secundum statum realem, ergo sola bonitas finis habebit vim causatiuam.

3 Dices cognitio de bonitate finis est loco realis existentiæ finis, sed realis existentia finis non se habet vt conditio, sed vt id cuius gratia, ergo neque cognitio se habebit vt conditio. Respondeo maiorem non esse in omnibus veram, realis enim existentia finis est id cuius gratia, seu ad quod obtinendum aliquid fit, cognitio verò, seù intentionalis existentia finis, nullo modo est id ad quod obtinendum aliquid fit, quamuis ergo entitati cognitionis conuenire dicatur aliquod aliud genus causandi motionem potentiæ appetitiuæ, quod nihil facit ad rem præsentem, certè illi non conuenit ratio causandi finaliter, quia nullo modo ad illam obtinendam mouemur.

4 Bonitas finis potest esse, vel bonitas honesta, vel bonitas delectabilis, bonitas enim vtilis, prout talis, cum habeat solùm rationem medij, non potest esse bonitas finis. Potest etiam bonitas finis esse vel realis, vel ficta, & impossibilis existimata tamen vt possibilis; si enim possumus bonitatem impossibilem cognoscere, vt probauimus vbi de ente rationis, & per errorem existimare possumus, talem bonitatem esse possibilem, cur non etiam poterimus illam amare? Sic Rusticus amat, & optat, v. g. esse Angelus. Et sanè ad rationem causæ finalis nihil aliud requiritur, nisi quod ita intentionaliter existat, vt sit id, cuius obtinendi gratia secundum statum realem mouemur ad adhibenda media, siue deinde secundum statum realem obtineantur, siue non, sed bonitas impossibilis potest intentionaliter existere; etsi existimetur possibilis eius obtinendi gratia secundum statum realem, moueri possumus ad operandum, ergo nihil illi deerit ad veram rationem causæ finalis.

Porrò

Portò ficuti quando intellectus cognoscit impossibile, verè illud cognoscit, non autem cognoscit solùm possibile substitutum loco impossibilis, vt probauimus vbi de ente rationis, ita dùm voluntas amat aliquid impossibile, verè dicenda est illud amare, & non bonitatem possibilem, quam alias experta sit, substitutam loco bonitatis impossibilis.

5 Dices si quis mihi persuadeat maiorem futuram delectationem in venatione cerui, v.g. quam in venatione chimeræ debeo relinquere venationem chimeræ, & optare venationem cerui, ergo signum est, quod quando mouebar à delectatione in venatione chimeræ, non mouebar ab illa nisi secundum rationem communem talis delectationis. Respondeo antecedens esse falsum, cum possimus pro libito relicto maiori bono appetere minus, sed esto sit verum, adhuc non sequitur, quod quando volebam venationem chimeræ, verè illam non amarem, ex hoc enim sequeretur, quod nullum bonum finitum à nobis amaretur, quia dato quocunque bono finito, potest proponi maius, quod minori præponatur.

6 Amor finis, consultatio, electio, positio mediorum, imò, & possessio, gaudium, & fruitio finis sunt effectus finis. Primò, quia hi omnes actus non ponuntur temerè, ergo ponuntur propter finem, & gratia finis, ideòque sunt effectus finis. Secundò, quia si petatur cur amem sanitatem, cur consultem, eligam, & ponam media pro acquisitione sanitatis, & cur deindè illam cum gaudio & fruitione possideam, respondebo propter bonitatem ipsius sanitatis. Demum causa finalis est causa vniuersalissima, quæ cum reperiatur in omnibus operationibus saltem agentium intellectualium in omnibus his actibus, quos enumerauimus reperietur.

7 Dices effectus finis sunt etiam ea, quæ ponuntur ad ipsum finem consequendum, sed possessio finis non ponitur ad ipsum finem possidendum, ergo non est effectus finis. Respondeo possessionē finis poni propter ipsum finem possidendum intransitiuè, atq; hoc esse satis; sicut enim qui amat propter bonitatem, quæ est in ipso amore, exercet amorem propter amorē tamquam propter finem intransitiuè, ità possessio finis est propter bonitatem, quæ est in ipsa bonitate finis intransitiuè efficaciter intentā in efficaci intentione finis, in qua sicuti virtualiter intenduntur cætera propter finem, ita ipsa possessio finis intenditur propter se.

8 Prima cognitio de bonitate finis non est propter finem ab ipso cognoscente formaliter intentū, neque enim potuit intendere, & velle bonitatem finis ante primam cognitionem de tali bonitate: Adhuc tamen hæc cognitio est propter finem intentum ab auctore naturæ, qui instituit vt cognitiones de bonitate finis in nobis naturaliter insurgerent ad hoc, vt ab illis determinaremur ad huiusmodi bonitatis assecutionem. Cum verò cognitiones aliæ sint speculatiuæ habentes modum tendendi enunciatiuum, aliæ practicæ habentes modum tendendi præceptiuum, ambæ in nobis insurgunt propter finem, illæ quidem propter bonum veritatis, quam continent, hæ verò propter bonum operis quod habent pro fine.

9 Causalitas causæ finalis in actu secundo est motio metaphorica, seù eadem actio, qua effectus finis ponuntur ab efficiente, accepta simul cum motione potentiæ appetitiuæ, dependenter à qua ponitur talis actio, siuè deindè motio sit distincta, siuè sit indistincta ab actione efficientis, in aliquibus enim effectibus causæ finalis eorum causalitas habetur per aliquid simplex, in alijs verò habetur per complexum duorum, nam amor finis, ex dictis, est effectus finis causatus à bonitate finis per motionem metaphoricam identificatam cum actione productiua ipsius amoris, siuè distincta, siuè indistincta ab amore per quam efficienter ponitur à voluntate, at causalitas, qua causatur ambulatio, v.g. à bonitate sanitatis est actio, per quam à potentia loco motiua ponitur ambulatio, sed accepta simul cum motione potentiæ appetitiuæ; Sicut enim actio de se præcisè sumpta est causalitas efficientis, ita eadem actio prout includens motionem potentiæ appetitiuæ, dependenter à qua ponitur, est causalitas causæ finalis in actu secundo; Ideò autem non dicimus causalitatem causæ finalis in actu secundo esse solum actum potētiæ appetitiuæ, quia causalitas in actu secundo debet esse talis vt ea posita, neque diuinitus possit non poni effectus. talis autem est respectu ambulationis non sola motio interna potentiæ appetitiuæ, sed actio, qua ponitur ambulatio includens ipsam internam motionem metaphoricam potentiæ appetitiuæ. Quæ quidem dicitur motio metaphorica ducta metaphora à motione locali; Verùm sicuti est metaphorica motio, ita per illam non metaphorica, sed vera causalitas causæ finalis in actu secundo constituitur.

10 Omnia agentia tam cognoscitiua, quam non cognoscitiua agunt propter finem, sed cognoscitiua agunt propter finem intentum appetitu illicito non cognoscitiua verò propter finem intentū appetitu innato. Et quidem hæc etiam verè dicenda sunt agere propter finem, finis enim definitur esse id, cuius gratia aliquid fit, aut est, gratis autem restringitur hæc definitio ad illud solùm, quod fit gratia alterius intenti appetitu elicito, cum benè possit ita extendi, vt omne illud habeat rationem finis, cuius gratia appetitu elicito, vel innato intenti aliquid fit. Adde operationes etiam agentium non cognoscitiuorum esse propter finem appetitu elicito intentum ab auctore naturæ intendentis in eorum operationibus hos, vel illos fines.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

De Causa principali, & instrumentali.

1 Causa instrumentalis præcipuè diuiditur in artificialem, naturalem, & obedientialem, atque hæ rursus in alias plures subdiuiduntur, hinc non nisi difficile assignatur conceptus aliquis cuicunque causæ instrumentali communis. Docent aliqui causam instrumentalem esse, quæ non agit nisi mota; sed contra est primò, quia accidentia sunt instrumenta substantiæ, nec tamen dum agunt vllum motum recipiunt, semen à planta recisum est instrumentum plantæ, & operatur absque motu plantæ, & in artificialibus incus immota est instrumentum fabri. Contra secundò, quia aliquæ causæ principales recipiunt ab alijs motum. vinum enim, piper, &c. calefaciunt stomacum vt causæ principales, & tamen à calore stomachi debent excitari.

2 Neque rectè dicitur causa instrumentalis esse, quæ producit effectum se nobiliorem, primò, quia sol etiam si ab intelligentia non moueretur, sed moueretur ab aliqua virtute motiua sibi indita, adhuc tanquam causa principalis generaret hominem nobiliorem se. Secundo humanitas Christi Domini fuit instrumentum miraculorum ignobiliorum ipsa humanitate: Tertiò instrumenta artis sunt nobiliora forma artificiali, quam producunt, cum hæc sit accidens, illa verò sint substantia. Quod si dicas causam principalem esse, quæ habet proportionem cum effectu, contra est, quia accidentia, dum tanquam instrumenta substantiæ producunt substantiam, cur non habent proportionem cum substantia? si dicas, quia indigent substantia. Contra est quia neque substantia habebit proportionem cum substantia, quia ad illius productionem indigent accidentibus. Demũ non benè asseritur causam instrumentalem esse illam, cui nulla formalitas respondet in effectu, nulla enim esset causa creata instrumentalis respectu vllius effectus, cum semper sit reperibilis aliqua formalitas in effectu correspondens simili formalitati existenti in causa.

3 Dicendum igitur est: causam instrumentalem distingui à principali per hoc, quod ex Arist. 1. de parte Anim. cap. vltimo. *Instrumentum omne rei alicuius gratia* fit, hoc est, vt colligitur ex exemplis, quæ ibi affert, quod causa instrumentalis nullo modo sit gratia sui, sed gratia tum operis quod fit, tum causæ principalis; è contra causa principalis, licet ordinetur ad opus, attamen quatenus talis, habet rationem finis, cui opus factum est bonum naturaliter debitum; Exempla, quæ ibi affert Arist. sunt duo, alterum de corpore, & membris, quæ sunt instrumenta animæ alterum de serra, tam autem serra est gratia operis, & opificis, quam membra gratia animæ, & officiorum, vt ibi ait Arist. Hæc explicatio conuenit omni causæ instrumentali tùm artificiali, tùm naturali, qualia sunt accidentia in productione substantiæ, tùm etiam obedientiali, quæ essentialiter ordinatur ad sequendum imperium Dei volentis illam eleuare ad actus supernaturales.

4 Dices primò, non minus in ordine naturali, quam in supernaturali creaturæ omnes operantur ad gloriam Dei, tanquam finis cui, ergo si ratio causæ instrumentalis in hoc consisteret, neque in ordine naturali vlla daretur causa principalis præter Deum. Respondeo non deesse, qui dicant omnes causas secundas esse instrumenta Dei, qui solus sit causa principlalis. Verùm sicuti præter causam primam dantur etiam causæ secundæ, quæ participant veram rationem causæ ita præter causã principalem vltimam, quam vocare possumus primò principalem, dantur etiam causæ secundæ principales, quas appellare possumus secundò principales, & verè principales, quia verè participãt rationem finis, *cui*, non aliter ac verè participant rationem virtutis; Sicut enim rationem virtutis communicare Deus voluit creaturis, ita rationem finis *cui* voluit etiam illis pro sua bonitate communicare, quamquam sicuti Deus est prima virtus, ita etiam est vltimus finis *cui*.

5 Dices secundò, intellectus, & voluntas in productione actuum supernaturalium sunt causæ instrumentales, & tamen operantur in bonum sui, intellectui enim, & voluntati sunt boni actus fidei charitatis, &c. Respondeo ideò has potentias respectu horum actuum non esse causas principales, quia actus supernaturales non sunt bonum illis naturaliter debitum, quod ad rationem causæ principalis diximus requiri;

6 Dices tertiò, Accidentia, dum producunt accidentia sibi similia in specie, vt dum v. g. calor producit calorem, operatur in bonum sui, est enim bonum calori propagare se in specie, & tamen sunt causæ instrumentales. Respondeo aliquos docere accidentia in productione accidentium esse causas instrumentales, alij verò docent esse causas principales, vt vtraq; sententia concordetur, considerari debet calor v.g., vel prout talis æqualitas est, vel pro vt est entis ens, & producit calorem tanquam inseruientem igni in ordine ad producendum alium ignem; Si consideretur primo modo, dici poterit causa principalis, cum calor productus sit bonum caloris producentis, quem in specie propagat, si verò consideretur secundo modo erit causa instrumentalis.

7 Causa instrumentalis non datur solùm respectu causæ efficientis, nam si accidentia communia recipiun-

recipiuntur in materia mediante quantitate, vti verè dicemus recipi, materia, vt potè substantia, erit causa principalis materialis, quantitas verò causa materialis instrumentalis.

CAPVT VNDECIMVM.

De Causis per accidens.

1 Causa per accidens alia est ratione causæ, alia ratione effectus. Illa est, quæ denominatur causa alicuius effectus, non ex eo, quod illum cùm virtute determinet, sed Propter accidentalem coniunctionem cum vera causa talis effectus, sic dùm musicus ædificat, ars musicæ est causa per accidens respectu ædificationis, & est causa per accidens ratione ipsius causæ, seù ratione accidentalis coniunctionis cum causa. Causa per accidens ratione effectus est, quæ efficit per se, & ex primaria intentione aliquem effectum, cum quo per accidens coniungitur alius effectus, eo quod talis effectus non fuerit ab operante primariò intentus. Sic fodiens vineam est causa per accidens inuentionis thesauri, sed causa per accidens ratione effectus, quia cum effectu fossionis, intento per se primariò, coniungitur inuentio thesauri per se primario nõ intenta. Sic pariter, qui confert alicui dignitatem dicitur esse causa per acidens laboris, qui ad dignitatem consequitur, si in collatione dignitatis non intendit talem laborem. Porrò effectus aliquis potest per accidens cum alio coniungi merè contingenter, vt inuentio thesauri, cum fossione vineæ, vel ex necessitate materiæ, sed præter intentionem operantis, vt labor consequens ad dignitatem cum dignitate.

2 Causa per accidens effectuum merè contingentium est duplex, casus videlicet, ac fortuna; Casus est causa per accidens effectuum rarò contingentium in agentibus propter finem sine electione sic, si regula cadens frangat alicui caput, dicitur casus, & huiusmodi effectus dicuntur casuales, fortuna est causa per accidens effectuum rarò contingentium in agentibus operantibus propter finem cum electione, ideòque inuentio thesauri à fodiente operante cum electione, dicitur fuisse ex bona fortuna. Ex huiusmodi effectibus nihil sequitur contra Diuinam prouidentiam, effectus enim, qui sunt fortuiti, & casuales respectu creaturarum quibus simpliciter loquendo, & communiter illi tribuuntur sunt præuisi, & voliti à Deo, vel directè, vel indirectè.

3 Monstrum est effectus per accidens secundariò solùm intentus à natura, quæ cum in talibus circumstantijs habere non possit effectum perfectum, intendit secundariò, & per accidens, ex accidentali scilicet defectu, vel exuberantia materiæ effectum imperfectum. Definitur monstrum ex Arist. 1. de generatione anim. cap. 5. *effectus naturalis à recta, & solita secundum speciem dispositione degenerans*, dicitur *effectus naturalis*, quia deffectus, qui sunt in artefactis non dicuntur simpliciter monstra, imò communiter non dicuntur monstra, nisi nascantur per partum dicitur *degenerans*, & quidem simpliciter, per modicam enim aberrationem, v. g. in vno digito non dicitur monstrum additur, *à recta, & solita secundum speciem dispositione*, quia error, ac deflexio debet esse insolita, ideòque Pigmei non sunt appellandi monstra in ea regione, vbi omnes ita nascuntur.

4 Datur fatum, non iuxta acceptionem veterum, sed secundum difinitionem Boetij, qua dicitur esse. *Immobilis dispositio, per quam Diuina prouidentia suis quaque nectit ordinibus*, ex qua definitione constat fatum duo includere seriem scilicet, seù ordinem causarum secundarum, & dispositionem, seù prouidentiam Dei cuncta ad suum finem infallibiliter dirigentis. Sicut enim Deus ordinat effectus necessarios per suas causas necessarias, ita ordinat effectus contingentes per suas causas contingentes, & liberos per liberas, nullã tamen illis inferendo necessitatem, & quia ex his causis semper sequitur effectus præuisus, ideò fatum dicitur inhęrens, & immobile. Cum ergo fatũ importet aliquid creatũ, & aliquid increatum, non erit nisi quæstio de nomine petere vtrũ fatum detur in Deo an in causis creatis Verum quidem est magis inualuisse, vt nomine fati veniat ipsa series, & ordo causarum secundarum, sed sicuti in creatis non datur nisi exigentia, vt ex his causis sequantur hi effectus, ita tota immobilitas, & eorum firma sequela, non habetur, nisi dependenter à voluntate Dei, ex cuius præuisione, & libera præordinatione effectus causarum necessariarum denominantur simpliciter ex fato, & necessariò sequuturi, effectus verò causarum liberarum denominantur sequuturi ex fato, non necessitate antecedenti, & simpliciter, sed solùm necessitate consequenti, & secundum quid.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De Proprietatibus Corporis naturalis.

De tempore, loco alijsque proprietatibus corporis naturalis diximus alibi. Solùm hic superest, vt aliquid innuamus de motu in communi, qui est præcipua rerum naturalium proprietas. De motu (inquam) in communi, quia de varijs motuum speciebus, partim dictum est, patim dicetur in sequentibus.

CAPVT VNICVM.

De Motu in communi.

1 DAri motum certo certius est,& tanquã principium doctrinæ à physica supponitur. Definitur motus ex Aristotele 3.physicorum textu 6. *Actus entis in potentia prout in potentia*. Dicitur *actus*, quia motus siuè localis, siuè alius quicunque aliquo modo saltem imperfectè actuat subiectum. Dicitur *entis*, & quidem existentis, sed existentis *in potentia*;hoc est existentis cum potentia, & capacitate ad habendum aliquid aliud, & cum priuatione illius. Additur loco differentiæ *prout in potentia*, quia motus, de se formaliter relinquit subiectum cum priuatione termini quæ in subiecto præerat; hæc enim per motum formaliter non tollitur, cum motus de se formaliter non fit nisi tendentia, & via.

2 Hæc definitio etiam in sententia Aristotelis comprehendit quemcunque motum tam instantaneum, quam successiuum, quamuis enim solus motus successiuus relinquat subiectum pro aliquo instanti reali cum carentia termini,quia tamen motus instantaneus non est de se formaliter terminus, ideò non est cur particulæ illæ prout inpotentia explicari non possint, ita vt motus saltem formaliter, & quantum est de se relinquat subiectum cum carentia termini. Quod verò etiam in sententia Aristotelis allata definitio comprehendat tam motus instantaneos, quàm successiuos, probatur, quia si potuit Aristoteles hac definitione comprehendere omne id, cui propriè conuenit nomen motus, cur dicendum est, quod noluerit, cum præsertim loco citato, vndè hæc definitio desumpta est, agat de motu in communi. Adde inter motus hic ab Aristotele definitos numerari generationem, & quidem substantialem, quæ sine addito dicitur generatio; generatio autem substantialis est motus instantaneus. Verùm quidem est Aristotelem in alijs deindè locis accipere rationem motus prout conuenit soli motui successiuo, sed hoc non facit quominus hic definitione communi cuicunque motui potuerit quemcunque motum definire.

3 Motus est quid à mobili, & vtroque termino distinctum propter indifferentiam, quam habet mobile ad hunc motum, vel negationem illius, vt constat ex alibi dictis. Hoc superadditum non recipitur in motore, prout talis est, sed in mobili, actio enim, & passio est in passo, vt alibi probauimus. Dixi non recipi in motore prout talis est, si enim motor sit etiam passum, qualis est intellectus respectu intellectionis, quam elicit, motus recipietur in illo, quamquam non in illo prout motor, sed prout passum est.

6 Motus diuersificatur specie entitatiua ad quamlibet varietatem, vel modi tendendi, vel rei cuiusque, cui essentialiter alligetur; ex dictis enim libro primo ad differentiam specificam entitatiuã satis est quodlibet prædicatum entitatiuum positiuè à nobis dessignabile, vt diuersum, qualibet autẽ diuersitas motus, vel in modo tendendi celeriori, vel tardiori, vel in alligatione ad diuersum terminum subiectum, efficiens, spatium, &c. constituit prædicatum à nobis dessignabile, vt diuersum ideòque constituit prædicatum speciẽ entitatiua diuersum; imò constituit prædicatum diuersum etiam specie scientifica, diuersus enim modus tendendi, & diuersa motus alligatio à physica, vel Metaphysica considerat. Neq; obstat quod aliquorum motuum diuersitas specifica desumatur nõ nunquam ab Auctoribus, vel solùm ex termino ad quem, vel solùm ex alio capite, nam ad diuersitatem specificam scientificam non est necesse, quod talis differentia à qualibet scientia consideretur, sed satis est si consideretur ab vna; benè ergo potest accidere, quod diuersitas specifica aliquorum motuum in consideratione, v.g. physica desumatur solùm penes terminum ad quem; sed hoc non facit quominus diuersitas specifica in consideratione aliarum scientiarum, desumi etiam possit aliundè.

7 Contrarietas motuum desumitur, vel ex principio, vel ex termino; hinc motus naturalis,& violentus sunt contrarij in principio, quia ille est à principio inclinante, hic à principio contraniteente. Ex termino desumitur motus contrarietas, vel quia motus est ad qualitatem contrariam illi,

ad quam est alius motus, vel quia est ad terminum oppositum localiter alteri. Motus ad substantiã non habet contrarium ratione termini præcisè, cum vna substantia non sit ratione sui, sed solùm ratione dispositionum, & accidentium contraria alteri; hinc motus ad substantiam non contrariè, sed contradictoriè opponitur motui ad negationem substantiæ: motus ad quantitatem, seù molem non habet propriè loquendo contrarium, aliquo tamen modo motus per augmentum dici potest opponi motui per decrementum, quatenus per illum res fit magna, per hunc parua.

8 Potest idem subiectum simul tempore moueri pluribus motibus non contrarijs, sic qui ambulat per niues simul mouetur localiter, & alteratur per frigefactionem. Supernaturaliter non repugnat, quod idem subiectum simul moueatur pluribus motibus contrarijs; si enim non repugnant supernaturaliter simul esse in eodem subiecto qualitates, & vbicationes contrariæ, neque repugnabunt simul esse motus ad illas. Naturaliter autem sicuti termini contrarij non possunt simul esse in eodem subiecto, ita neque possunt simul esse motus ad illos, ideòque non potest naturaliter idem subiectum simul tempore moueri pluribus motibus contrarijs. Hinc si duo agentia contraria, ignis v. g. & aqua eidem parti passi simul, & æquè applicentur, & sint æqualis virtutis, neutrum aget; si sint virtutis inæqualis, aget solùm validiùs, sed non nisi secundùm illum excessum, secundùm quem à contrario non impeditur. Sic si duo equalis roboris nitantur trahere idem mobile in partes oppositas, nullus in mobili sequitur motus; Si verò sint virtutis inæqualis, vnum trahet, sed non nisi secundùm excessum illum, secundùm quem ab illo non retardatur. Si quis intrà nauim ambulet, v. g. versus Orientem dum nauis mouetur versus Occidentem non mouetur, nisi vnico motu realiter, causato tamen à duplici impulsu, sed vnicus ille motus est diuersus ab illo, quo moueretur, si non fuisset nisi vnicus impulsus. Dixi non moueri nisi vnico motu realiter, vna enim est realiter loquendo linea metaphysicè, & imaginariè concepta per respectum ad puncta imaginaria fixa, quamuis per intellectum possimus in ordine ad spatium, & puncta realia designare plures lineas physicas, ratione quarum possit talis motus in communi modo loquendi dici multiplex.

DISTINCTIO OCTAVA.

De Mundo, & Cœlo.

Explicatis ijs, quæ pertinent ad corpus naturale in communi progredimur ad singulas illius species; exordimur autem cum Arist. à Cœlo, sed prǽmittenda sunt aliqua de Mundo, corpora omnia naturalia continente.

CAPVT PRIMVM.

De Mundo.

MVndus sic dictus ab elegantia describitur libro de Mundo capite secundo. *Compages è Cœlo, Terraq; coagmentata, atq; ex ijs naturis, quæ inter ea continentur.* Est ergo mundus ens per aggregationem, sed ordinatam, cuius materia proxima sunt corpora, ex quibus constat, forma verò, horum corporum situs, & ordo. Non est nisi vnicus, quod tamen non benè probatur, vel ab vnitate primi motoris, vel ex eo quod tota materia insumpta fuerit in hoc mundo, non enim Deus eget materia ad creandum; Neque ex eo; quod ipse sit vnus, eius omnipotentia coarctatur ad vnius mundi creationem. Quare vnitas mundi no potest probari nisi per reuelationem, ex eo scilicet quod sacræ litteræ semper loquantur de Mundo in singulari, & ex eo quod Christus Dominus miserit Apostolos ad omnes gentes, & in omnem Terram, eorum sonus exierit, cum tamen constet eos huiusmodi fines non fuisse prætergressos.

2 Mundus est perfectus, primò quia à perfectissimo conditore summè liberali, ac bono, & per potentiam, sapientiam, & ideam perfectissimam operante prodire non poterat nisi Mundus perfectus. Secundò quia Genesis primo habemus *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Tertiò magna rerum varietas, pulchritudo, excellentia, & ordo Mundi perfectionem testantur. Quod si alicui nonnulla in Mundo videntur inutilia, suam coarguat ignorantiam, quæ non assequitur fines illos, ad quos omnia in numero, pondere, & mensura à supremo Opifice fuerunt ordinata. Ipsa etiam monstra Mundi perfectionem augent, dum augent varietatem, & sua deformitate conferunt ad pulchritudinem vniuersi, quæ maximè in varietate consistit. Demum

Creaturarum inęqualitas, earumque corruptio confert ad Mundi perfectionem, corruptio enim trahens generationem facit rerum varietatem, & creaturarum perfectiorum pulchritudo imperfectioribus permixta magis emicat, non aliter, ac colorum splendor inter vmbras.

3 Potuit tamen Mundus fieri perfectior, vt enim probauimus lib. 1. vbi de infinito, data quacumque perfectione creata dari potest maior. Dici tamen potest mundus cum aliqua limitatione perfectissimus, perfectissimus nimirum in ordine ad finem, quem Deus sibi liberè proposuit, in quo sensu dici etiam potest à Deo semper fieri id, quod est melius. Quare supposito fine manifestandi gloriam suam tãtum, & non plus non potuit Deus ad hoc assequendum adhibere media, & mundum perfectiorem; hinc licet Mundus non sit simpliciter perfectissimus, meritò tamen diximus esse perfectum, prout perfectum dicitur opus illud, cui nihil deest in ordine ad suum finem, sic domus perfecta dicitur, quæ habet omnia requisita ad commodam habitationem, licet potuerit fieri perfectior.

4 Certum ex fide est Mundum in tempore conditum à Deo fuisse, atque iuxta communiorem Patrum, Theologorum, & Astronomorum sententiam apud Clauium in sphæra, verno tempore, dùm Sol ingreditur signum Arietis. Addimus non potuisse esse ab æterno neque secundum entia successiua, neque secundum permanentia. Non secundum entia successiua primò, quia fuisset positum infinitum actu, infiniti scilicet dies, infinitæ generationes, quod libro primo probauimus repugnare. Secundò si potuit aliquis homo, v. g. ab æterno moueri, potuerunt etiam duo ponamus ergo, quod Deus ab æterno creauerit duos homines, vnum duplo velociorem alio in currendo, qui ab æterno cucurrerint per lineam rectam versus eandem partem, ac tandem hodie ambo quiescant hoc posito. Ambo necessariò conficere debuerunt spatium infinitum, neque enim per motum cuiuscumque velocitatis, æterno tempore continuatum, conficitur spatium merè finitum, ergo cursor duplo velocior antecederet tardiorem spatio infinito, cum enim ille supponatur duplo velocior tardiore, antecedere necessariò debet tardiorem tanto spatio, quantum tardior confecit; Sed tardior, vt diximus, conficere debuit spatium infinitum, ergo cursor velocior antecedit tardiorem spatio infinito, ergo inter velociorem, & tardiorem intercipitur spatium infinitum clausum duobus terminis, quod est absurdum. Tertiò demus fuisse à Deo creatum hominem in superficie terræ, qui æterno motu gyrauerit ipsius terræ superficiem, quo posito peto, vel est assignabilis aliqua terræ pars in qua hic homo fuerit primò creatus, & motus, vel non; Si est assignabilis, assignari poterit principium in æternitate, & prima pars motus æterni; Si non est assignabilis in nulla terræ parte erit primò creatus, sed solùm conseruatus contra suppositum. Neque dicas non posse assignari primam creationem distinctam ab omni conseruatione, nam hoc à me non petitur; Peto enim solùm, vt assignetur pars terræ habens suam extensionem, in qua hic homo non existit merè conseruatus, sed etiam primò creatus, quamquam per creationem non distinctam ab omni conseruatione. Quartò de essentia motus successiui est importare prius, & posterius, ergo de ratione motus est importare aliquid, quod sit in tempore, quod enim habet aliud prius se non est ab æterno; quamuis autem qualibet parte posteriori determinatè accepta, illa non sit necessariò requisita ad essentiam motus de essentia tamen motus successiui prout talis est importare aliquid posterius, quod non potest esse ab æterno, ergo motus successiuus saltem secundum omnia sua intrinsecè constitutiua non potest esse ab æterno.

5 Quod verò Mundus neque secundum entia permanentia potuerit esse ab æterno probatur, quia vel durasset per durationem successiuam, & hæc implicat, vel per durationem permanentem, & hanc etiam communior sententia docet implicare, præterquam quod si homo, v. g. duratione permanenti durasset ab æterno, vel potuisset saltem diuinitus ab æterno moueri, vel non, si potuisset redeunt omnia argumenta facta contra motum localem ab æterno, si non potuisset debuisset antequã posset moueri, expectare fluxum totius æternitatis, & neque diuinitus posset moueri, nisi prius per totam æternitatem stetisset immotus; Creaturæ igitur essentialiter subiectæ mutationi repugnare dicenda est æternitas à parte ante, licet illi non repugnet æternitas à parte post, per æternitatem enim à parte post nunquam attingitur actu nisi finitum, per ęternitatem autem à parte ante attingeretur actu infinitum rei creatæ repugnans. Hinc quamuis ab æterno fuerit in Deo potentia ad creandum Mundum, æterna tamen eius potentia nunquam habuit pro obiecto nisi aliquid in tẽpore, ita tamen vt Mundus, quem creare solùm potuit in tempore potuerit creare in tempore priori semper, ac priori in infinitum.

6 Cum etiam infinitum, in extensione implicet, debet mundus esse finitæ, & figuratæ extensionis, probabiliter autem est figuræ etiam quoad conuexitatem sphæricæ. Dixi probabiliter, quia nulla apparet ratio, quæ hoc efficaciter ostendat. Primò enim motus diurnus Cœlorum ad modum sphæræ non militat pro Cœlorum conuexitate. Secundò figura sphærica est omnium figurarum tam planarum, quam solidarum perfectissima, sphæra enim vnica superficie concluditur omnes eius partes à medio vniformiter distant, in suis reuolutionibus semper eundem locum occupat, non habet neque principium, neque finem, & est omnium figurarum sibi isoperimetrarum, hoc est æqualem ambitum habentium maximè capax, vt demonstrant mathematici, sed sicuti mundus est ita perfectus, vt tamen fieri potuerit perfectior, ita quomodo efficaciter probari potest, quod illi data

fuerit

fuerit figura omnium perfectissima. Tertiò adduntur sacrarum litterarum testimonia, nam Ecclesiast. 24. habetur, *gyrum Cæli circuiui sola*, siuè vt est in græco *rotundaui*, Iob. 9. dicitur, *sub quo curuantur, qui portant orbem, &c.* Sed hoc explicari potest vel de concaua Cæli superficie, vel de gyro latè sumpto, pro quocunque scilicet termino vndequaque claudente aliquod spatium, sic dicitur quis gyrasse totam vrbem, etiam si sit quadrata. Quare hæc, aliaque, quæ afferuntur argumēta, non nisi probabiliter suadent conuexam totius mundi visibilis superficiem esse rotundam. Dixi mundi visibilis superficiem, ab empireo enim, quod per reuelationem nouimus præscindimus.

CAPVT SECVNDVM.

De Systemate, seù Ordine locali partium Mundi sublunaris.

1 TErra omnium elementorum grauissima faciens simul cum nostratibus aquis vnum globum, sita est in medio vniuersi; primò quia hic locus eius grauitati debebatur: Secundò, quia in quauis mundi plaga vnà Cœli medietas, & sex tantùm signa Zodiaci videntur. Tertiò, quia in quauis terræ superficie stellæ firmamento affixę apparent eiusdem magnitudinis, quando ad Meridianum peruenerint, seclusis vaporibus, & nebulis. Quarto probatur ex eclypsibus lunaribus, quæ ideò accidunt, quia terra inter solem, & lunam interponitur, non posset autem in qualibet eclypsi lunari terra esse inter solem, & lunam, si terra non esset in mundi centro, vt patebit si describentur duæ diuersæ eclypses lunares, in quibus illuminationes solis, & vmbræ à terra proiectæ decussentur.

2 Spectata præcisè elementorum grauitate deberet totus terrę globus aquis leuioribus circumfundi, & ita de facto fuit prima, & secunda mundi die, donec die tertia ingentes cauitates in terra operirentur, in quibus congregatę sunt aquæ, & terra apparuit arida, ex aqua, & terra factus est vnus globus, non mathematicè, & perfectè, sed solùm physicè rotundus, tùm vt montium, valliū, & camporum varietas, & vtilitas haberetur, tum ne venti nimium terram peruerterent. In tanta terrarum vastitate camporum humilitas, & montium altitudo non tollit in terra physicam rotunditatem, vt patet primò in eclypsi lunari, in quo à terrę globo semper proijcitur vmbra rotunda. Secundò, quia si quis existens sub ęquinoctiali percurrat indirectum terra, vel mari versus orientem trecenta milliaria experiētur oriri solem citius tertia parte horæ, idque vbique terrarum, cuius ratio est, quia cum trecentis milliaribus terrestribus respondeant quinque gradus in æquinotiali, quorum quindecim ascendunt supra horizontem singulis horis, hinc fit vt singulis trecentis milliaribus tertia horę parte sol citius oriatur, ergo terra ab oriente in occidentem est rotunda, sed etiam est rotunda ab Austro in Aquilonem, quia si quis pergat ab Austro in Aquilonem, siuè terra, siue mari per sexaginta milliaria, eleuabitur illi polus articus supra horizontem per vnum gradum, ergo terra cum aqua ex omni parte faciunt globum saltem physicè rotundum. Tertiò probatur ex fine, vt enim erecti insisteremus, & nostrorum corporum longitudo esset in linea directionis, & perpendiculari, ità vt caput Cœlum pedes centrum aspicerent, debuit ex terra, & aqua fieri globus rotundus. Quartò probatur peculiariter de aqua, tùm quia nautis accedentibus ad terram prius apparent mōtium summitates, deindè verò paulatim eorum medię partes, quod aliundè, quam ex rotunditate oriri non potest, tum etiam quia nulla pars maris, & aquę potest esse alia eminentior, si qua enim esset eminentior, cum sit liquida, statim ad partem humiliorem deflueret, vt magis centro appropinquaret. Quare cum omnes ęquè partes à mundi centro aquę distent debent se in figuram rotundam conformare.

3 Terrę totius superficies quamuis geometricè non rotunda paulatim tamen in dies ad perfectā sphæricitatem reducitur, terræ enim partes altiores semper magis, ac magis deprimuntur, & humiliores attolluntur hinc Iob. 14. dicitur *alluuione terra consumitur*. Hinc antiqua ædificia ad mōtium radices extructa, nunc vel omninò, vel maxima ex parte sepulta sunt; & nouam Romam veteri superædificatam habitamus.

5 Terram ambit aer, qui in tres regiones, infimam, mediam, & supremam diuiditur infima, quæ scilicet est propè nos, eo vsque dicitur se extendere, quousque radij solares à terra reuerberati extendunt suam reflexionem, sed contra est primò, quia radij solares à corpore lunari reflectuntur vsque ad nos, imò adhuc vlterius eorum reflexio protenderetur, si longius terra distaret, ergo etiam si terra non sit tàm apta ad reflectendum lumen solare, sicuti est luna, nullo tamen modo probabile est, quod radij solares à terra non reflectantur nisi ad quo, vel tria milliaria supra terram, quæ est maxima infimæ regionis altitudo. Contra secundò quia valdè probabile est radios solis à terra reflecti vsque ad lunam, atque ex hoc haberi lumen lunæ secundarium, cum ergo infima regio aeris diuidi à media non possit per reflexionem radiorum solarium quomodocunque acceptorum, dicendum est diuidi per reflexionem radiorum solarium prout non impedientium coactionem nubium, & in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, dùm primò Meteororum cap. 4. docuit fieri nubium


magis vicina centro vniuersi, quàm grauiora, hic ergo corporum locus vocari posset proprius, quatenus scilicet ex illo corpora non exigunt moueri, sed proprius per accidens, ratione scilicet aliorum accidentium, quæ saltem primariò non sunt ordinata ad motum localem, in quocunque ergo loco proprio corpora sint constituta; supponamus hic, quod non grauitent se se non imprimant sibi impetum, & contranisum, per quem à tali loco nitantur recedere.

6 Hoc posito intelligatur ad faciliorem explicationem dicendorum totus terræ globus esse perfectè sphæricus totusque ex auro solido, & homogeneo, atque ita collocatus, vt eius centrum congruat centro vniuersi, stabit profectò hic globus omninò immotus, cum non habeat quicquam leuius se in specie, quod sit magis, vel æquè vicinum centro vniuersi. Quod si huic globo aureo ex vna illius parte super imponatur lapis sphæricus decem v. g. librarum, non propterea globus aureus inclinabit ad motum, cum enim non propterea fiat habens infra se, vel ad latus mediatè, vel immediatè aliquid leuius in specie, non debet vllo pacto inclinare ad motum. Solus ergo lapis globo aureo superimpositus ratione suæ grauitatis inclinare posset ad motum, cum enim habeat ad latus circum circa aerem leuiorem, ideòque æquè vicinum centro vniuersi deberet descendere, ad hoc, vt illum totum suprà se constitueret, sed quia lapis à duritie globi aurei impeditur, nè descendat, & à suarum partium siccitate detinetur, nè suprà globum aureum ita defluat, vt totus aer leuior constituatur suprà, hinc lapis stat immotus, & immotus etiam stat globus aureus, nam si moueri deberet, vel ideò quia ipse de se inclinaret ad motum, vel quia ab extrinseco impelleretur, non primum, quia non habens infra se, vel ad latus aliquid leuius est in loco per se proprio, in quo supponimus, non grauitare, non secundum, quia nullum adest extrinsecum potens impellere, nisi lapis decem librarum, sed hic non sufficit ad imprimendum impetum tanto globo, &c. solùm ergo moueri posset globus aureus à tali pondere superimposito, quod vincere posset resistentiam totius globi subiecti, & quia nulla pars globi subiecti inclinat ad motum, tale requireretur extrinsecum impellens, quod cuilibet parti globi subiecti posset imprimere impetum, aliter ille nullo pacto moueri poterit, mutatio ergo centri grauitatis nihil confert ad motum talis globi, cum enim mutatio centri grauitatis nō efficiat, quod illa habeat aliquid leuius infra se, vel ad latus, neque efficiet, quod globus aureus desinat esse in proprio loco, vt propterea exigat moueri. Oppositum accidit in duobus globis æquilibratis in bilance, cum enim quilibet ex illis habeat infra se aerem leuiorem quilibet ratione sui exigit motum deorsum, in tantùm autem quandiù sunt in æquilibrio neuter descendit, quia cum grauitas vtriusque sit æqualis, nec sit maior ratio, cur vna præualeat, neutra descendit; statim autem ac per minimum aliquod grauitatis additamentum ex parte vnius globi tollitur impedimentum paritatis, globus grauior descendit, non quod impetus toti globo descendenti imprimatur à modico illo grauitatis additamento, sed quod à modico illo grauitatis additamento sublata grauitatis æqualitate, totus ille globus, qui descendit, imprimat sibi impetum deorsum, & globo descendenti, quē superat, imprimat impetum sursum.

7 Quod diximus de globo aureo taliter collocato dicendum omninò est de globo terræ, qui de facto datur, neuter enim potest secundum se totum moueri nisi ab habente grauitatem, vel impetū maiorem, quàm sit grauitas globi mouendi, si enim partes omnes globi terræ antè superimpositionem lapidis erant in loco, vel per se vel per accidens proprio, in quo propterea non grauitabant, per vnius lapidis additionem non desinunt esse in loco per se, vel per accidens proprio, nam corpora, quæ prius nō habebant alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, per talis lapidis superimpositionem non constituuntur suprà corpora leuiora, ergo hæc non desinunt esse in loco per se proprio, illa verò corpora, quæ habebant quidem alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, sed habebant aliqua accidentia duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum non exigebant motum per vnius labidis superimpositionem, neque amittuūt talia accidentia, neque à grauitate vnius lapidis possunt illa omnia superari, ergo per superimpositionem lapidis reliqua corpora saltem maxima ex parte persistunt in loco per se, vel per accidens proprio, in quo proindè non grauitant: Dixi corpora saltem maxima ex parte persistere in proprio loco, quia si aliquod corpus contiguum lapidi superaddito fieret exigēs motum, & aliqualiter deprimeretur, hoc nihil faceret ad rem præsentem, quia non propterea vnus lapis esset satis ad efficiendum, quod reliqua omnia corpora desinerent esse in proprio loco.

8 Hoc posito sic arguo. Si totus terræ globus per lapidis superimpositionem deberet moueri, vel ideò, quia solus lapis additus imprimeret impulsum reliquę moli terræ, vel ideò quia per additionem lapidis reliqua tota terræ moles determinaretur ad imprimendum sibi aliquem impetum, & motum. Primum dici non posse per se patet. Solùm ergo fingi potest, quod vel tota terræ moles, vel saltem hemisphærium illud, ex cuius parte lapis est superpositus per additionem huius noui pōderis determinetur ad imprimendum impetum, & sibi, & alteri hemisphærio. Sed hoc dici non potest, nam tunc solùm determinari potest corpus graue ad producendum in se impetum, quando non est in loco per se proprio, & per aliquam variationem factam desinit esse in loco per accidens proprio, vt euenit in globo æquilibrato in bilance, sed per additionem lapidis non desinit reliqua terræ moles esse in loco per se, vel per accidens proprio, ergo per talem additionem non debet inclinare ad motū, ergo si à lapide addito non potest impelli, neque possunt destrui accidentia, ratione quorum detinebatur in loco per accidens proprio, persistet immotum.

9 Quæ hucusque diximus de globo terrę, quando ex vna illius parte fit aliquod additamentum applicanda proportionaliter sunt, quando aliquid ex eodem globo detrahitur. Sit enim centrum vniuersi A, cui cum suo pariter centro H, congruat globus terrę A. D. E. G. H. si ex hoc globo terræ intelligatur detracta portio D. E. illæ solùm partes ex reliqua terra poterunt inclinare ad motum, & grauitare, quę per talem detractionem fiunt habentes aërem leuiorem infrà se, vel ad latus, sed sola portio terræ clausa inter duos circulos, seù superficies D. F. E. G. I. H. æqualis in crassitie ipsi D. F. & reliquo globo designato per F. G. I. circumposita fit habens aërem leuiorem D. E. infrà se, vel ad latus, igitur sola hæc portio poterit grauitare, hæc enim sola est à centro vniuersi A, remotior, quàm aër D. E. quem propterea non habet suprà se, vti habere deberet, igitur sola hæc terrę portio poterit grauitare, sed hęc terrę portio non est sufficiens ad mouendū globum terræ intimum D. F. G. igitur per talem detractionem non sequetur motus in globo I. F G, sed sequi solùm poterit motus in partibus huic globo intimo F. G. I. circumfusis, nisi ab alijs accidentibus impediatur, ideòque si hæ sint fluidæ debebunt ita se circà reliquum orbem conglobare, vt quælibet ex illis sit centro vniuersi A, vicinior, quàm aër.



10 Dices posita coniunctione lapidis cum reliqua terra secuturum motum virtute totius aggregati, non aliter, ac posita coniunctione vnius vnciæ cum globo centum librarum, quod prius æquilibratum non mouebatur sequitur motus vi totius aggregati ex centum libris, & vncia. Sed contra est, quia, vt diximus, est manifesta disparitas cum globis æquilibratis. Quando enim corpus aliquod non est in loco per se propriò, sed proprio solùm per accidens tunc si tollatur accidens illud, ratione cuius detinebatur in loco proprio per accidens, totum corpus proprio nisu tendit in locum sibi debitum, hinc pondus centum librarum æquilibratum cum sit in loco per accidens proprio merè ratione æqualitatis, si accidens æqualitatis tollatur, totum inclinat ad motum; at si lapis superimpositus, neque facit, quòd reliquus globus desinat esse in loco per se proprio, neque tollit accidentia, duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum detinetur in loco per accidens proprio, non est cur ratione coniunctionis cum aliquo inclinante ad motum, totus debeat inclinare ad motum, quod manifesta experientia confirmatur; situla enim plena aqua, quò plus extrahitur ex aqua plus grauitat, quia statim ac incipit secundùm aliquam sui partem emergere, statim incipit grauitare tota solùm illa portio aquæ, quæ supereminet cæteris aquæ partibus iacentibus horizontaliter; sicut ergò quamuis pars aquæ, quæ eminet sit continuata cum parte, quæ non eminet, non tamen hinc sequitur, quòd etiam pars, quæ non eminet debeat grauitare, quia pars, quæ non eminet per coniunctionem cum alia, non desinit esse in proprio loco, sed in ordine ad grauitandum se habent, ac si essent duo corpora distincta, ita in toto globo terræ illa solùm pars inclinabit ad motum, quæ non est in proprio loco, & quamuis vna cum alia continuetur, tamen sicuti continuatio non efficit, quod pars, quæ erat in proprio loco desinat esse in proprio loco; ità neque continuatio efficiet, quod talis pars inclinare debeat ad motum.

11 A primo igitur ad vltimum, vt corpus, quod est in proprio loco moueatur requiritur corpus, quod possit imprimere impulsum toti illi corpori, quod à proprio loco est dimouendum, quod confirmatur ex eo, quòd si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, ad hoc, vt in aquam demergatur, debet illi superimponi corpus, tantæ grauitatis, vt possit imprimere impetum toti illi corpori secundùm quamlibet sui partem leuiori, cum enim hoc secundum nullam sui partem inclinet, imò resistat ad motum infrà aquam, cuilibet parti debet imprimi impulsus ab extrinseco ad hoc, vt descendat, vt manifestè patet in vesica inflata, quæ non nisi magna vi detrudi potest in aquam. Dixi si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, sæpè enim modicum ponderis additamentum demergit in aquam corpus, quod prius non demergebatur; sed hoc accidit, quia non omnes talis corporis partes erant leuiores aqua in specie, sed multæ erant grauiores, quæ non poterant descendere, quia impediebantur à leuioribus, cum quibus constituebant vnum totum leuius, non aliter ac lamina ærea de se grauior aqua simul cum aëre quem continet intra aggerulos, quos attollit, constituens vnum totum leuius aqua, aquæ supernatat; vbi verò partes grauiores ratione ponderis additi vincunt partes leuiores, illico, & sibi, & leuioribus impulsum imprimunt, & omnes simul descendunt. Cæterùm si supponantur singulę partes esse leuiores aqua in specie, quales sunt singulæ partes aëris inclusi in vesica; sicuti earum nulla inclinat, imò quælibet resistit ad motum deorsum, ita cuilibet, ad hoc, vt in aqua descendat, imprimi debet impulsus ab extrinseco, non aliter ac lapis è terra, vbi est tanquàm in proprio loco, dimoueri, & attolli non potest, nisi à potente imprimere impulsum singulis illius partibus grauioribus aëre, in quo est attollendus.

12 Dices vesica paris grauitatis in specie cum aqua, si impleatur aqua, non grauitabit, neque demergetur, ad hoc autem, vt simul cum aqua, quam continet demergatur, non requiritur corpus grauius vesica simul, & aqua, quæ in vesica continetur, sed à modicissimo pondere superimposito vesica simul cum aqua demergitur, ergo &c. Respondeo ad hoc, vt vesica simul cum aqua demer-

magis vicina centro vniuersi, quàm grauiora, hic ergo corporum locus vocari posset proprius, quatenus scilicet ex illo corpora non exigunt moueri, sed proprius per accidens, ratione scilicet aliorum accidentium, quæ saltem primariò non sunt ordinata ad motum localem, in quocunque ergo loco proprio corpora sint constituta, supponamus hic, quod non grauitent se se non imprimant sibi impetum, & contranisum, per quem à tali loco nitantur recedere.


6 Hoc posito intelligatur ad faciliorem explicationem dicendorum totus terræ globus esse perfectè sphæricus, totusque ex auro solido, & homogeneo, atque ita collocatus, vt eius centrum congruat centro vniuersi, stabit profectò hic globus omninò immotus, cum non habeat quicquam leuius se in specie, quod sit magis, vel æquè vicinum centro vniuersi. Quod si huic globo aureo ex vna illius parte super imponatur lapis sphæricus decem v. g. librarum, non propterea globus aureus inclinabit ad motum, cum enim non propterea fiat habens infra se, vel ad latus mediatè, vel immediatè aliquid leuius in specie, non debet vllo pacto inclinare ad motum. Solus ergo lapis globo aureo superimpositus ratione suæ grauitatis inclinare posset ad motum, cum enim habeat ad latus circum circa aerem leuiorem, ideòque æquè vicinum centro vniuersi deberet descendere, ad hoc, vt illum totum suprà se constitueret, sed quia lapis à duritie globi aurei impeditur, nè descendat, & à suarum partium siccitate detinetur, nè suprà globum aureum ita defluat, vt totus aer leuior constituatur suprà, hinc lapis stat immotus, & immotus etiam stat globus aureus, nam si moueri deberet, vel ideò quia ipse de se inclinaret ad motum, vel quia ab extrinseco impelletur, non primum, quia non habens infra se, vel ad latus aliquid leuius est in loco per se proprio, in quo supponimus, non grauitare, non secundum, quia nullum adest extrinsecum potens impellere, nisi lapis decem librarum, sed hic non sufficit ad imprimendum impetum tanto globo, &c. solùm ergo moueri posset globus aureus à tali pondere superimposito, quod vincere posset resistentiam totius globi subiecti, & quia nulla pars globi subiecti inclinat ad motum, tale requireretur extrinsecum impellens, quod cuilibet parti globi subiecti posset imprimere impetum, aliter ille nullo pacto moueri poterit, mutatio ergo centri grauitatis nihil confert ad motum talis globi, cum enim mutatio centri grauitatis nõ efficiat, quod illa habeat aliquid leuius infra se, vel ad latus, neque efficiet, quod globus aureus desinat esse in proprio loco, vt propterea exigat moueri. Oppositum accidit in duobus globis æquilibratis in bilance, cum enim quilibet ex illis habeat infra se aerem leuiorem quilibet ratione sui exigit motum deorsum, in tantùm autem quandiù sunt in æquilibrio neuter descendit, quia cum grauitas vtriusque sit æqualis, nec sit maior ratio, cur vna præualeat, neutra descendit; statim autem ac per minimum aliquod grauitatis additamentum ex parte vnius globi tollitur impedimentum paritatis, globus grauior descendit, non quod impetus toti globo descendenti imprimatur à modico illo grauitatis additamento, sed quod à modico illo grauitatis additamento sublata grauitatis æqualitate, totus ille globus, qui descendit, imprimat sibi impetum deorsum, & globo descendenti, quẽ superat, imprimat impetum sursum.

7 Quod diximus de globo aureo taliter collocato dicendum omninò est de globo terræ, qui de facto datur, neuter enim potest secundum se totum moueri nisi ab habente grauitatem, vel impetũ maiorem, quàm sit grauitas globi mouendi, si enim partes omnes globi terræ antè superimpositionem lapidis erant in loco, vel per se vel per accidens proprio, in quo propterea non grauitabant, per vnius lapidis additionem non desinunt esse in loco per se, vel per accidens proprio, nam corpora, quæ prius nõ habebant alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, per talis lapidis superimpositionem non constituuntur suprà corpora leuiora, ergo hæc non desinunt esse in loco per se proprio, illa verò corpora, quæ habebant quidem alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, sed habebant aliqua accidentia duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum non exigebant motum per vnius labidis superimpositionem, neque amittunt talia accidentia, neque à grauitate vnius lapidis possunt illa omnia superari, ergo per superimpositionem lapidis reliqua corpora saltem maxima ex parte persistunt in loco per se, vel per accidens proprio, in quo proindè non grauitant: Dixi corpora saltem maxima ex parte persistere in proprio loco, quia si aliquod corpus contiguum lapidi superaddito fieret exigẽs motum, & aliqualiter deprimeretur, hoc nihil faceret ad rem præsentem, quia non propterea vnus lapis esset satis ad efficiendum, quod reliqua omnia corpora desinerent esse in proprio loco.

8 Hoc posito sic arguo. Si totus terræ globus per lapidis superimpositionem deberet moueri, vel ideò, quia solus lapis additus imprimeret impulsum reliquę moli terræ, vel ideò quia per additionem lapidis reliqua tota terræ moles determinaretur ad imprimendum sibi aliquem impetum, & motum. Primum dici non posse per se patet. Solùm ergo fingi potest, quod vel tota terræ moles, vel saltem hemisphærium illud, ex cuius parte lapis est superpositus per additionem huius noui põderis determinetur ad imprimendum impetum, & sibi, & alteri hemisphærio. Sed hoc dici non potest, nam tunc solùm determinari potest corpus graue ad producendum in se impetum, quando non est in loco per se proprio, & per aliquam variationem factam desinit esse in loco per accidens proprio, vt euenit in globo æquilibrato in bilance, sed per additionem lapidis non desinit reliqua terræ moles esse in loco per se, vel per accidens proprio ergo per talem additionem non debet inclinare ad motũ, ergo si à lapide addito non potest impelli, neque possunt destrui accidentia, ratione quorum detinebatur in loco per accidens proprio, persistet immotum.

9 Quæ

9 Quæ hucusque diximus de globo terræ, quando ex vna illius parte fit aliquod additamentum, applicanda proportionaliter sunt, quando aliquid ex eodem globo detrahitur. Sit enim centrum vniuersi A, cui cum suo pariter centro H, congruat globus terræ A. D. E. G. H. si ex hoc globo terræ intelligatur detracta portio D. E. illæ solùm partes ex reliqua terra poterunt inclinare ad motum, & grauitare, quę per talem detractionem fiunt habentes aërem leuiorem infrà se, vel ad latus, sed sola portio terræ clausa inter duos circulos, seù superficies D. F. E. G. I. H. æqualis in crassitie ipsi D. F. & reliquo globo designato per F. G. I. circumposita fit habens aërem leuiorem D. E. infrà se, vel ad latus, igitur sola hæc portio poterit grauitare, hæc enim sola est à centro vniuersi A, remotior, quàm aër D. E. quem propterea non habet suprà se, vti habere deberet, igitur sola hæc terrę portio poterit grauitare, sed hęc terrę portio non est sufficiens ad mouendũ globum terræ intimum D. F. G. igitur per talem detractionem non sequetur motus in globo I. F G. sed sequi so'ùm poterit motus in partibus huic globo intimo F.G.I. circumfusis, nisi ab alijs accidentibus impediatur, ideòque si hæ sint fluidæ debebunt ita se circà reliquum orbem conglobare, vt quælibet ex illis sit centro vniuersi A, vicinior, quàm aër.



10 Dices posita coniunctione lapidis cum reliqua terra secuturum motum virtute totius aggregati, non aliter, ac posita coniunctione vnius vnciæ cum globo centum librarum, quod prius æquilibratum non mouebatur sequitur motus vi totius aggregati ex centum libris, & vncia. Sed contra est, quia, vt diximus, est manifesta disparitas cum globis æquilibratis. Quando enim corpus aliquod non est in loco per se propriò, sed proprio solùm per accidens tunc si tollatur accidens illud, ratione cuius detinebatur in loco proprio per accidens, totum corpus proprio nisu tendit in locum sibi debitum, hinc pondus centum librarum æquilibratum cum sit in loco per accidens proprio merè ratione æqualitatis, si accidens æqualitatis tollatur, totum inclinat ad motum; at si lapis superimpositus, nequè facit, quòd reliquus globus desinat esse in loco per se proprio, nequè tollit accidentia, duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum detinetur in loco per accidens proprio, non est cur ratione coniunctionis cum aliquo inclinante ad motum, totus debeat inclinare ad motum, quod manifesta experientia confirmatur; situla enim plena aqua, quò plus extrahitur ex aqua plus grauitat, quia statim ac incipit secundùm aliquam sui partem emergere, statim incipit grauitare tota solùm illa portio aquæ, quæ supereminet cæteris aquæ partibus iacentibus horizontaliter; Sicut ergò quamuis pars aquæ, quæ eminet sit continuata cum parte, quæ non eminet, non tamen hinc sequitur, quòd etiam pars, quæ non eminet debeat grauitare, quia pars, quæ non eminet per coniunctionem cum alia, non desinit esse in proprio loco, sed in ordine ad grauitandum se habent, ac si essent duo corpora distincta, ita in toto globo terræ illa solùm pars inclinabit ad motum, quæ non est in proprio loco, & quamuis vna cum alia continuetur, tamen sicuti continuatio non efficit, quod pars, quæ erat in proprio loco desinat esse in proprio loco; ità neque continuatio efficiet, quod talis pars inclinare debeat ad motum.

11 A primo igitur ad vltimum, vt corpus, quod est in proprio loco moueatur requiritur corpus, quod possit imprimere impulsum toti illi corpori, quod à proprio loco est dimouendum, quod confirmatur ex eo, quòd si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, ad hoc, vt in aquam demergatur, debet illi superimponi corpus, tantæ grauitatis, vt possit imprimere impetum toti illi corpori secundùm quamlibet sui partem leuiori, cum enim hoc secundum nullam sui partem inclinet, imò resistat ad motum infrà aquam, cuilibet parti debet imprimi impulsus ab extrinseco ad hoc, vt descendat, vt manifestè patet in vesica inflata, quæ non nisi magna vi detrudi potest in aquam. Dixi si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, sæpè enim modicum ponderis additamentum demergit in aquam corpus, quod prius non demergebatur; sed hoc accidit, quia non omnes talis corporis partes erant leuiores aqua in specie, seù multæ erant grauiores, quæ non poterant descendere, quia impediebantur à leuioribus, cum quibus constituebant vnum totum leuius, non aliter ac lamina ærea de se grauior aqua simul cum aëre quem continet intra aggerulos, quos attollit, constituens vnum totum leuius aqua, aquæ supernatat; vbi verò partes grauiores ratione ponderis additi vincunt partes leuiores, illico, & sibi, & leuioribus impulsum imprimunt, & omnes simul descendunt. Cæterùm si supponantur singulę partes esse leuiores aqua in specie, quales sunt singulæ partes aëris inclusi in vesica; sicuti earum nulla inclinat, imò quælibet resistit ad motum deorsum, ita cuilibet, ad hoc, vt in aqua descendat, imprimi debet impulsus ab extrinseco, non aliter ac lapis è terra, vbi est tanquàm in proprio loco, dimoueri, & attolli non potest, nisi à potente imprimere impulsum singulis illius partibus grauioribus aëre, in quo est attollendus.

12 Dices vesica paris grauitatis in specie cum aqua, si impleatur aqua, non grauitabit, neque demergetur, ad hoc autem, vt simul cum aqua, quam continet demergatur, non requiritur corpus grauius vesica simul, & aqua, quæ in vesica continetur, sed à modicissimo pondere superimposito vesica simul cum aqua demergitur, ergo &c. Respondeo ad hoc, vt vesica simul cum aqua demer-

magis vicina centro vniuersi, quàm grauiora, hic ergo corporum locus vocari posset proprius, quatenus scilicet ex illo corpora non exigunt moueri, sed proprius per accidens, ratione scilicet aliorum accidentium, quæ saltem primariò non sunt ordinata ad motum localem, in quocunque ergo loco proprio corpora sint constituta, supponamus hic, quod non grauitent se se non imprimant sibi impetum, & contrarium, per quem à tali loco nitantur recedere.


6 Hoc posito intelligatur ad faciliorem explicationem dicendorum totus terræ globus esse perfectè sphæricus totusque ex auro solido, & homogeneo, atque ita collocatus, vt eius centrum congruat centro vniuersi, stabit profectò hic globus omninò immotus, cum non habeat quicquam leuius se in specie, quod sit magis, vel æquè vicinum centro vniuersi. Quod si huic globo aureo ex vna illius parte super imponatur lapis sphæricus decem v. g. librarum, non propterea globus aureus inclinabit ad motum, cum enim non propterea fiat habens infra se, vel ad latus mediatè, vel immediatè aliquid leuius in specie, non debet vllo pacto inclinare ad motum. Solus ergo lapis globo aureo superimpositus ratione suæ grauitatis inclinare posset ad motum, cum enim habeat ad latus circum circa aerem leuiorem, ideòque æquè vicinum centro vniuersi deberet descendere, ad hoc, vt illum totum suprà se constitueret, sed quia lapis à duritie globi aurei impeditur, nè descendat, & à suarum partium siccitate detinetur, nè suprà globum aureum ita defluat, vt totus aer leuior constituatur suprà, hinc lapis stat immotus, & immotus etiam stat globus aureus, nam si moueri deberet, vel ideò quia ipse de se inclinaret ad motum, vel quia ab extrinseco impelleretur, non primum, quia non habens infra se, vel ad latus aliquid leuius est in loco per se proprio, in quo supponimus, non grauitare, non secundum, quia nullum adest extrinsecum potens impellere, nisi lapis decem librarum, sed hic non sufficit ad imprimendum impetum tanto globo, &c. solùm ergo moueri posset globus aureus à tali pondere superimposito, quod vincere posset resistentiam totius globi subiecti, & quia nulla pars globi subiecti inclinat ad motum, tale requireretur extrinsecum impellens, quod cuilibet parti globi subiecti posset imprimere impetum, aliter ille nullo pacto moueri poterit, mutatio ergo centri grauitatis nihil confert ad motum talis globi, cum enim mutatio centri grauitatis nõ efficiat, quod illa habeat aliquid leuius infra se, vel ad latus, neque efficiet, quod globus aureus desinat esse in proprio loco, vt propterea exigat moueri. Oppositum accidit in duobus globis æquilibratis in bilance, cum enim quilibet ex illis habeat infra se aerem leuiorem quilibet ratione sui exigit motum deorsum, in tantùm autem quandiù sunt in æquilibrio neuter descendit, quia cum grauitas vtriusque sit æqualis, nec sit maior ratio, cur vna præualeat, neutra descendit; statim autem ac per minimum aliquod grauitatis additamentum ex parte vnius globi tollitur impedimentum paritatis, globus grauior descendit, non quod impetus toti globo descendenti imprimatur à modico illo grauitatis additamento, sed quod à modico illo grauitatis additamento sublata grauitatis æqualitate, totus ille globus, qui descendit, imprimat sibi impetum deorsum, & globo descendenti, quẽ superat, imprimat impetum sursum.

7 Quod diximus de globo aureo taliter collocato dicendum omninò est de globo terræ, qui de facto datur, neuter enim potest secundum se totum moueri nisi ab habente grauitatem, vel impetũ maiorem, quàm sit grauitas globi mouendi, si enim partes omnes globi terræ antè superimpositionem lapidis erant in loco, vel per se vel per accidens proprio, in quo propterea non grauitabant, per vnius lapidis additionem non desinunt esse in loco per se, vel per accidens proprio, nam corpora, quæ prius nõ habebant alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, per talis lapidis superimpositionem non constituuntur suprà corpora leuiora, ergo hæc non desinunt esse in loco per se proprio, illa verò corpora, quæ habebant quidem alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, sed habebant aliqua accidentia duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum non exigebant motum per vnius labidis superimpositionem, neque amittũt talia accidentia, neque à grauitate vnius lapidis possunt illa omnia superari, ergo per superimpositionem lapidis reliqua corpora saltem maxima ex parte persistunt in loco per se, vel per accidens proprio, in quo proindè non grauitant: Dixi corpora saltem maxima ex parte persistere in proprio loco, quia si aliquod corpus contiguum lapidi superaddito fieret exigẽs motum, & aliqualiter deprimeretur, hoc nihil faceret ad rem præsentem, quia non propterea vnus lapis esset satis ad efficiendum, quod reliqua omnia corpora desinerent esse in proprio loco.

8 Hoc posito sic arguo. Si totus terræ globus per lapidis superimpositionem deberet moueri, vel ideò, quia solus lapis additus imprimeret impulsum reliquę moli terræ, vel ideò quia per additionem lapidis reliqua tota terræ moles determinaretur ad imprimendum sibi aliquem impetum, & motum. Primum dici non posse per se patet. Solùm ergo fingi potest, quod vel tota terræ moles, vel saltem hemisphærium illud, ex cuius parte lapis est superpositus per additionem huius noui ponderis determinetur ad imprimendum impetum, & sibi & alteri hemisphærio. Sed hoc dici non potest, nam tunc solùm determinari potest corpus graue ad producendum in se impetum, quando non est in loco per se proprio, & per aliquam variationem factam desinit esse in loco per accidens proprio, vt euenit in globo æquilibrato in bilance, sed per additionem lapidis non desinit reliqua terræ moles esse in loco per se, vel per accidens proprio, ergo per talem additionem non debet inclinare ad motũ, ergo si à lapide addito non potest impelli, neque possunt destrui accidentia, ratione quorum detinebatur in loco per accidens proprio, persistet immotum.

9 Quæ

9 Quæ hucusque diximus de globo terræ, quando ex vna illius parte fit aliquod additamentum, applicanda proportionaliter sunt, quando aliquid ex eodem globo detrahitur. Sit enim centrum vniuersi A, cui cum suo pariter centro H, congruat globus terræ A. D. E. G. H. si ex hoc globo terræ intelligatur detracta portio D. E. illæ solùm partes ex reliqua terra poterunt inclinare ad motum, & grauitare, quę per talem detractionem fiunt habentes aërem leuiorem infrà se, vel ad latus, sed sola portio terræ clausa inter duos circulos, seù superficies D. F. E. G. I. H. æqualis in crassitie ipsi D. F. & reliquo globo designato per F. G. I. circumposita fit habens aërem leuiorem D. E. infrà se, vel ad latus, igitur sola hæc portio poterit grauitare, hæc enim sola est à centro vniuersi A, remotior, quàm aër D. E. quem propterea non habet suprà se, vti habere deberet, igitur sola hæc terrę portio poterit grauitare, sed hęc terrę portio non est sufficiens ad mouendū globum terræ intimum D. F. G. igitur per talem detractionem non sequetur motus in globo I. F G, sed sequi solùm poterit motus in partibus huic globo intimo F. G. I. circumfusis, nisi ab alijs accidentibus impediatur, ideòque si hæ sint fluidæ debebunt ita se circà reliquum orbem conglobare, vt quælibet ex illis sit centro vniuersi A, vicinior, quàm aër.



10 Dices posita coniunctione lapidis cum reliqua terra secuturum motum virtute totius aggregati, non aliter, ac posita coniunctione vnius vnciæ cum globo centum librarum, quod prius æquilibratum non mouebatur sequitur motus vi totius aggregati ex centum libris, & vncia. Sed contra est, quia, vt diximus, est manifesta disparitas cum globis æquilibratis. Quando enim corpus aliquod non est in loco per se propriò, sed proprio solùm per accidens tunc si rollatur accidens illud, ratione cuius detinebatur in loco proprio per accidens, totum corpus proprio nisu tendit in locum sibi debitum, hinc pondus centum librarum æquilibrarum cum sit in loco per accidens proprio merè ratione æqualitatis, si accidens æqualitatis tollatur, totum inclinat ad motum; at si lapis superimpositus, nequè facit, quòd reliquus globus desinat esse in loco per se proprio, neque tollit accidentia, duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum detinetur in loco per accidens proprio, non est cur ratione coniunctionis cum aliquo inclinante ad motum, totus debeat inclinare ad motum, quod manifesta experientia confirmatur; situla enim plena aqua, quò plus extrahitur ex aqua plus grauitat, quia statim ac incipit secundùm aliquam sui partem emergere, statim incipit grauitare tota solùm illa portio aquæ, quæ supereminet cæteris aquæ partibus iacentibus horizontaliter; Sicut ergò quamuis pars aquæ, quæ eminet sit continuata cum parte, quæ non eminet, non tamen hinc sequitur, quòd etiam pars, quæ non eminet debeat grauitare, quia pars, quæ non eminet per coniunctionem cum alia, non desinit esse in proprio loco, sed in ordine ad grauitandum se habent, ac si essent duo corpora distincta, ita in toto globo terræ illa solùm pars inclinabit ad motum, quæ non est in proprio loco, & quamuis vna cum alia continuetur, tamen sicuti continuatio non efficit, quod pars, quæ erat in proprio loco desinat esse in proprio loco; ità neque continuatio efficiet, quod talis pars inclinare debeat ad motum.

11 A primo igitur ad vltimum, vt corpus, quod est in proprio loco moueatur requiritur corpus, quod possit imprimere impulsum toti illi corpori, quod à proprio loco est dimouendum, quod confirmatur ex eo, quòd si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, ad hoc, vt in aquam demergatur, debet illi superimponi corpus, tantæ grauitatis, vt possit imprimere impetum toti illi corpori secundùm quamlibet sui partem leuiori, cum enim hoc secundum nullam sui partem inclinet, imò resistat ad motum infrà aquam, cuilibet parti debet imprimi impulsus ab extrinseco ad hoc, vt descendat, vt manifestè patet in vesica inflata, quæ non nisi magna vi detrudi potest in aquam. Dixi si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, sæpè enim modicum ponderis additamentum demergit in aquam corpus, quod prius non demergebatur; sed hoc accidit, quia non omnes talis corporis partes erant leuiores aqua in specie, sed multæ erant grauiores, quæ non poterant descendere, quia impediebantur à leuioribus, cum quibus constituebant vnum totum leuius, non aliter ac lamina ærea de se grauior aqua simul cum aëre quem continet intra aggerulos, quos attollit, constituens vnum totum leuius aqua, aquæ supernatat; vbi verò partes grauiores ratione ponderis additi vincunt partes leuiores, illico, & sibi, & leuioribus impulsum imprimunt, & omnes simul descendunt. Cæterùm si supponantur singulę partes esse leuiores aqua in specie, quales sunt singulæ partes aëris inclusi in vesica; sicuti earum nulla inclinat, imò quælibet resistit ad motum deorsum, ita cuilibet, ad hoc, vt in aqua descendat, imprimi debet impulsus ab extrinseco, non aliter ac lapis è terra, vbi est tanquam in proprio loco, dimoueri, & attolli non potest, nisi à potente imprimere impulsum singulis illius partibus grauioribus aëre, in quo est attollendus.

12 Dices vesica paris grauitatis in specie cum aqua, si impleatur aqua, non grauitabit, neque demergetur, ad hoc autem, vt simul cum aqua, quam continet demergatur, non requiritur corpus grauius vesica simul, & aqua, quæ in vesica continetur, sed à modicissimo pondere superimposito vesica simul cum aqua demergitur, ergo &c. Respondeo ad hoc, vt vesica simul cum aqua demer-

magis vicina centro vniuersi, quàm grauiora, hic ergo corporum locus vocari posset proprius, quatenus scilicet ex illo corpora non exigunt moueri, sed proprius per accidens, ratione scilicet aliorum accidentium, quæ saltem primariò non sunt ordinata ad motum localem, in quocunque ergo loco proprio corpora sint constituta, supponamus hìc, quod non grauitent se se non imprimant sibi impetum, & contranisum, per quem à tali loco nitantur recedere.

6 Hoc posito intelligatur ad faciliorem explicationem dicendorum totus terræ globus esse perfectè sphæricus; totusque ex auro solido, & homogeneo, atque ita collocatus, vt eius centrum congruat centro vniuersi, stabit profectò hic globus omninò immotus, cum non habeat quicquam leuius se in specie, quod sit magis, vel æquè vicinum centro vniuersi. Quod si huic globo aureo ex vna illius parte super imponatur lapis sphæricus decem v. g. librarum, non propterea globus aureus inclinabit ad motum, cum enim non propterea fiat habens infra se, vel ad latus mediatè, vel immediatè aliquid leuius in specie, non debet vllo pacto inclinare ad motum. Solus ergo lapis globo aureo superimpositus ratione suæ grauitatis inclinare posset ad motum, cum enim habeat ad latus circum circa aerem leuiorem, ideòque æquè vicinum centro vniuersi deberet descendere, ad hoc, vt illum totum suprà se constitueret, sed quia lapis à duritie globi aurei impeditur, nè descendat, & à suarum partium siccitate detinetur, nè suprà globum aureum ita defluat, vt totus aer leuior constituatur suprà, hinc lapis stat immotus, & immotus etiam stat globus aureus, nam si moueri deberet, vel ideò quia ipse de se inclinaret ad motum, vel quia ab extrinseco impelleretur, non primum, quia non habens infra se, vel ad latus aliquid leuius est in loco per se proprio, in quo supponimus, non grauitare, non secundum, quia nullum adest extrinsecum potens impellere, nisi lapis decem librarum, sed hic non sufficit ad imprimendum impetum tanto globo, &c. solùm ergo moueri posset globus aureus à tali pondere superimposito, quod vincere posset resistentiam totius globi subiecti, & quia nulla pars globi subiecti inclinat ad motum, tale requireretur extrinsecum impellens, quod cuilibet parti globi subiecti posset imprimere impetum, aliter ille nullo pacto moueri poterit, mutatio ergo centri grauitatis nihil confert ad motum talis globi, cum enim mutatio centri grauitatis nō efficiat, quod illa habeat aliquid leuius infra se, vel ad latus, neque efficiet, quod globus aureus desinat esse in proprio loco, vt propterea exigat moueri. Oppositum accidit in duobus globis æquilibratis in bilance, cum enim quilibet ex illis habeat infra se aerem leuiorem quilibet ratione sui exigit motum deorsum, in tantùm autem quandiù sunt in æquilibrio neuter descendit, quia cum grauitas vtriusque sit æqualis, nec sit maior ratio, cur vna præualeat, neutra descendit; statim autem ac per minimum aliquod grauitatis additamentum ex parte vnius globi tollitur impedimentum paritatis, globus grauior descendit, non quod impetus toti globo descendenti imprimatur à modico illo grauitatis additamento, sed quod à modico illo grauitatis additamento sublata grauitatis æqualitate, totus ille globus, qui descendit, imprimat sibi impetum deorsum, & globo descendenti, quē superat, imprimat impetum sursum.

7 Quod diximus de globo aureo taliter collocato dicendum omninò est de globo terræ, qui de facto datur, neuter enim potest secundum se totum moueri nisi ab habente grauitatem, vel impetū maiorem, quàm sit grauitas globi mouendi, si enim partes omnes globi terræ antè superimpositionem lapidis erant in loco, vel per se vel per accidens proprio, in quo propterea non grauitabant, per vnius lapidis additionem non desinunt esse in loco per se, vel per accidens proprio, nam corpora, quæ prius nō habebant alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, per talis lapidis superimpositionem non constituuntur suprà corpora leuiora, ergo hæc non desinunt esse in loco per se proprio, illa verò corpora, quæ habebant quidem alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, sed habebant aliqua accidentia duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum non exigebant motum per vnius labidis superimpositionem, neque amittunt talia accidentia, neque à grauitate vnius lapidis possunt illa omnia superari, ergo per superimpositionem lapidis reliqua corpora saltem maxima ex parte persistunt in loco per se, vel per accidens proprio, in quo proindè non grauitant: Dixi corpora saltem maxima ex parte persistere in proprio loco, quia si aliquod corpus contiguum lapidi superaddito fieret exigēs motum, & aliquantulum deprimeretur, hoc nihil faceret ad rem præsentem, quia non propterea vnus lapis esset satis ad efficiendum, quod reliqua omnia corpora desinerent esse in proprio loco.

8 Hoc posito sic arguo. Si totus terræ globus per lapidis superimpositionem deberet moueri, vel ideò, quia solus lapis additus imprimeret impulsum reliquę moli terræ, vel ideò quia per additionem lapidis reliqua tota terræ moles determinaretur ad imprimendum sibi aliquem impetum, & motum. Primum dici non posse per se patet. Solùm ergo fingi potest, quod vel tota terræ moles, vel saltem hemisphærium illud, ex cuius parte lapis est superpositus per additionem huius noui ponderis determinetur ad imprimendum impetum, & sibi & alteri hemisphærio. Sed hoc dici non potest, nam tunc solùm determinari potest corpus graue ad producendum in se impetum, quando non est in loco per se proprio, & per aliquam variationem factam desinit esse in loco per accidens proprio, vt euenit in globo æquilibrato in bilance, sed per additionem lapidis non desinit reliqua terræ moles esse in loco per se, vel per accidens proprio, ergo per talem additionem non debet inclinare ad motū, ergo si à lapide addito non potest impelli, neque possunt destrui accidentia, ratione quorum detinebatur in loco per accidens proprio, persistet immotum.

9 Quæ hucusque diximus de globo terrę, quando ex vna illius parte fit aliquod additamentum, applicanda proportionaliter sunt, quando aliquid ex eodem globo detrahitur. Sit enim centrum vniuersi A, cui cum suo pariter centro H, congruat globus terrę A. D. E. G. H. si ex hoc globo terræ intelligatur detracta portio D. E. illæ solùm partes ex reliqua terra poterunt inclinare ad motum, & grauitare, quę per talem detractionem fiunt habentes aërem leuiorem infrà se, vel ad latus, sed sola portio terræ clausa inter duos circulos, seù superficies D. F. E. G. I. H. æqualis in crassitie ipsi D. F. & reliquo globo designato per F. G. I. circumposita fit habens aërem leuiorem D. E. infrà se, vel ad latus, igitur sola hæc portio poterit grauitare, hæc enim sola est à centro vniuersi A, remotior, quàm aër D. E. quem propterea non habet suprà se, vti habere deberet, igitur sola hæc terrę portio poterit grauitare, sed hęc terrę portio non est sufficiens ad mouendū globum terræ intimum D. F. G. igitur per talem detractionem non sequetur motus in globo I. F G, sed sequi solùm poterit motus in partibus huic globo intimo F. G. I. circumfusis, nisi ab alijs accidentibus impediatur, ideòque si hæ sint fluidæ debebunt ita se circà reliquum orbem conglobare, vt quæli bet ex illis sit centro vniuersi A, vicinior, quàm aër.

10 Dices posita coniunctione lapidis cum reliqua terra secuturum motum virtute totius aggregati, non aliter, ac posita coniunctione vnius vnciæ cum globo centum librarum, quod prius æquilibratum non mouebatur sequitur motus vi totius aggregati ex centum libris, & vncia. Sed contra est, quia, vt diximus, est manifesta disparitas cum globis æquilibratis. Quando enim corpus aliquod non est in loco per se propriò, sed proprio solùm per accidens tunc si tollatur accidens illud, ratione cuius detinebatur in loco proprio per accidens, totum corpus proprio nisu tendit in locum sibi debitum, hinc pondus centum librarum æquilibratum cum sit in loco per accidens proprio merè ratione æqualitatis, si accidens æqualitatis tollatur, totum inclinat ad motum; at si lapis superimpositus, neque facit, quòd reliquus globus desinat esse in loco per se proprio, neque tollit accidentia, duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum detinetur in loco per accidens proprio, non est cur ratione coniunctionis cum aliquo inclinante ad motum, totus debeat inclinare ad motum, quod manifesta experientia confirmatur; situla enim plena aqua, quò plus extrahitur ex aqua plus grauitat, quia statim ac incipit secundùm aliquam sui partem emergere, statim incipit grauitare tota solùm illa portio aquæ, quæ supereminet cæteris aquæ partibus iacentibus horizontaliter; Sicut ergò quamuis pars aquæ, quæ eminet sit continuata cum parte, quæ non eminet, non tamen hinc sequitur, quòd etiam pars, quæ non eminet debeat grauitare, quia pars, quæ non eminet per coniunctionem cum alia, non desinit esse in proprio loco, sed in ordine ad grauitandum se habent, ac si essent duo corpora distincta, ita in toto globo terræ illa solùm pars inclinabit ad motum, quæ non est in proprio loco, & quamuis vna cum alia continuetur, tamen sicuti continuatio non efficit, quod pars, quæ erat in proprio loco desinat esse in proprio loco; ità neque continuatio efficiet, quod talis pars inclinare debeat ad motum.

11 A primo igitur ad vltimum, vt corpus, quod est in proprio loco moueatur requiritur corpus, quod possit imprimere impulsum toti illi corpori, quod à proprio loco est dimouendum, quod confirmatur ex eo, quòd si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, ad hoc, vt in aquam demergatur, debet illi superimponi corpus, tantæ grauitatis, vt possit imprimere impetum toti illi corpori secundùm quamlibet sui partem leuiori, cum enim hoc secundum nullam sui partem inclinet, imò resistat ad motum infrà aquam, cuilibet parti debet imprimi impulsus ab extrinseco ad hoc, vt descendat, vt manifestè patet in vesica inflata, quæ non nisi magna vi detrudi potest in aquam. Dixi si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, sæpè enim modicum ponderis additamentum demergit in aquam corpus, quod prius non demergebatur; sed hoc accidit, quia non omnes talis corporis partes erant leuiores aqua in specie, sed multæ erant grauiores, quæ non poterant descendere, quia impediebantur à leuioribus, cum quibus constituebant vnum totum leuius, non aliter ac lamina ærea de se grauior aqua simul cum aëre quem continet intra aggerulos, quos attollit, constituens vnum totum leuius aqua, aquæ supernatat; vbi verò partes grauiores ratione ponderis additi vincunt partes leuiores, illico, & sibi, & leuioribus impulsum imprimunt, & omnes simul descendunt. Cæterùm si supponantur singulę partes esse leuiores aqua in specie, quales sunt singulæ partes aëris inclusi in vesica; sicuti earum nulla inclinat, imò quælibet resistit ad motum deorsum, ita cuilibet, ad hoc, vt in aqua descendat, imprimi debet impulsus ab extrinseco, non aliter ac lapis è terra, vbi est tanquam in proprio loco, dimoueri, & attolli non potest, nisi à potente imprimere impulsum singulis illius partibus grauioribus aëre, in quo est attollendus.

12 Dices vesica paris grauitatis in specie cum aqua, si impleatur aqua, non grauitabit, neque demergetur, ad hoc autem, vt simul cum aqua, quam continet demergatur, non requiritur corpus grauius vesica simul, & aqua, quæ in vesica continetur, sed à modicissimo pondere superimposito vesica simul cum aqua demergitur, ergo &c. Respondeo ad hoc, vt vesica simul cum aqua demer-

Creaturarum inæqualitas, earumque corruptio confert ad Mundi perfectionem, corruptio enim trahens generationem facit rerum varietatem, & creaturarum perfectiorum pulchritudo imperfectioribus permixta magis emicat, non aliter, ac colorum splendor inter vmbras.

3 Potuit tamen Mundus fieri perfectior, vt enim probauimus lib. 1. vbi de infinito; data quacumque perfectione creata dari potest maior. Dici tamen potest mundus cum aliqua limitatione perfectissimus, perfectissimus nimirum in ordine ad finem, quem Deus sibi liberè proposuit, in quo sensu dici etiam potest à Deo semper fieri id, quod est melius. Quare supposito fine manifestandi gloriam suam tātum, & non plus non potuit Deus ad hoc assequendum adhibere media, & mundum perfectiorem; hinc licet Mundus non sit simpliciter perfectissimus, meritò tamen diximus esse perfectum, prout perfectum dicitur opus illud, cui nihil deest in ordine ad suum finem, sic domus perfecta dicitur, quæ habet omnia requisita ad commodam habitationem, licet potuerit fieri perfectior.

4 Certum ex fide est Mundum in tempore conditum à Deo fuisse, atque iuxta communiorem Patrum, Theologorum, & Astronomorum sententiam apud Clauium in sphæra, verno tempore, dùm Sol ingreditur signum Arietis. Addimus non potuisse esse ab æterno neque secundum entia successiua, neque secundum permanentia. Non secundum entia successiua primò, quia fuisset positum infinitum actu, infiniti scilicet dies, infinitæ generationes, quod libro primo probauimus repugnare. Secundò si potuit aliquis homo, v. g. ab æterno moueri, potuerunt etiam duo ponamus ergo, quod Deus ab æterno creauerit duos homines, vnum duplo velociorem alio in currendo, qui ab æterno cucurrerint per lineam rectam versus eandem partem, ac tandem hodie ambo quiescant hoc posito. Ambo necessariò conficere debuerunt spatium infinitum, neque enim per motum cuiuscumque velocitatis, æterno tempore continuatum, conficitur spatium merè finitum, ergo cursor duplo velocior antecederet tardiorem spatio infinito, cum enim ille supponatur duplo velocior tardiore, antecedere necessariò debet tardiorem tanto spatio, quantum tardior confecit; Sed tardior, vt diximus, conficere debuit spatium infinitum, ergo cursor velocior antecedit tardiorem spatio infinito, ergo inter velociorem, & tardiorem intercipitur spatium infinitum clausum duobus terminis, quod est absurdum. Tertiò demus fuisse à Deo creatum hominem in superficie terræ, qui æterno motu gyrauerit ipsius terræ superficiem, quo posito peto, vel est assignabilis aliqua terræ pars in qua hic homo fuerit primò creatus, & motus, vel non; Si est assignabilis, assignari poterit principium in æternitate, & prima pars motus æterni; Si non est assignabilis in nulla terræ parte erit primò creatus, sed solùm conseruatus contra suppositum. Neque dicas non posse assignari primam creationem distinctam ab omni conseruatione, nam hoc à me non petitur; Peto enim solùm, vt assignetur pars terræ habens suam extensionem, in qua hic homo non existit merè conseruatus, sed etiam primò creatus, quamquam per creationem non distinctam ab omni conseruatione. Quartò de essentia motus successiui est importare prius, & posterius, ergo de ratione motus est importare aliquid, quod sit in tempore, quod enim habet aliud prius se non est ab æterno; quamuis autem qualibet parte posteriori determinatè accepta, illa non sit necessariò requisita ad essentiam motus de essentia tamen motus successiui prout talis est importare aliquid posterius, quod non potest esse ab æterno, ergo motus successiuus saltem secundùm omnia sua intrinsecè constitutiua non potest esse ab æterno.

5 Quod verò Mundus neque secundum entia permanentia potuerit esse ab æterno probatur, quia vel durasset per durationem successiuam, & hæc implicat, vel per durationem permanentem, & hanc etiam communior sententia docet implicare, præterquam quod si homo, v. g. duratione permanenti durasset ab æterno, vel potuisset saltem diuinitus ab æterno moueri, vel non, si potuisset redeunt omnia argumenta facta contra motum localem ab æterno, si non potuisset debuisset antequā posset moueri, expectare fluxum totius æternitatis, & neque diuinitus posset moueri, nisi prius per totam æternitatem stetisset immotus; Creaturæ igitur essentialiter subiectæ mutationi repugnare dicenda est æternitas à parte ante, licet illi non repugnet æternitas à parte post, per æternitatem enim à parte post nunquam attingitur actu nisi finitum, per æternitatem autem à parte ante attingeretur actu infinitum rei creatæ repugnans. Hinc quamuis ab æterno fuerit in Deo potentia ad creandum Mundum, æterna tamen eius potentia nunquam habuit pro obiecto nisi aliquid in tēpore, ita tamen vt Mundus, quem creare solùm potuit in tempore potuerit creare in tempore priori semper, ac priori in infinitum.

6 Cum etiam infinitum, in extensione implicet, debet mundus esse finitæ, & figuratæ extensionis, probabiliter autem est figuræ etiam quoad conuexitatem sphæricæ. Dixi probabiliter, quia nulla apparet ratio, quæ hoc efficaciter ostendat. Primò enim motus diurnus Cœlorum ad modum sphæræ non militat pro Cœlorum conuexitate. Secundò figura sphærica est omnium figurarum, tam planarum, quam solidarum perfectissima, sphæra enim vnica superficie concluditur omnes eius partes à medio vniformiter distant, in suis reuolutionibus semper eundem locum occupat, non habet neque principium, neque finem, & est omnium figurarum sibi isoperimetrarum, hoc est æqualem ambitum habentium maximè capax, vt demonstrant mathematici, sed sicuti mundus est ita perfectus, vt tamen fieri potuerit perfectior, ita quomodo efficaciter probari potest, quod illi data fuerit

fuerit

fuerit figura omnium perfectissima. Tertiò adduntur sacrarum litterarum testimonia, nam Ecclesiast. 24. habetur, *gyrum Cæli circuiui sola*, siuè vt est in græco *rotundaui*, Iob. 9. dicitur, *sub quo curuantur, qui portant orbem, &c.* Sed hoc explicari potest vel de concaua Cæli superficie, vel de gyro latè sumpto, pro quocunque scilicet termino vndequaque claudente aliquod spatium, sic dicitur quis gyrasse totam vrbem, etiam si sit quadrata. Quare hæc, aliaque, quæ afferuntur argumēta, non nisi probabiliter suadent conuexam totius mundi visibilis superficiem esse rotundam. Dixi mundi visibilis superficiem, ab empireo enim, quod per reuelationem nouimus præscindimus.

CAPVT SECVNDVM.

De Systemate, seù Ordine locali partium Mundi sublunaris.

1 Terra omnium elementorum grauissima faciens simul cum nostratibus aquis vnum globum, sita est in medio vniuersi; primò quia hic locus eius grauitati debebatur: Secundò, quia in quauis mundi plaga vnà Cœli medietas, & sex tantùm signa Zodiaci videntur. Tertiò, quia in quauis terræ superficie stellæ firmamento affixę apparent eiusdem magnitudinis, quando ad Meridianum peruenerint, seclusis vaporibus, & nebulis. Quartò probatur ex eclypsibus lunaribus, quæ ideò accidunt, quia terra inter solem, & lunam interponitur, non posset autem in qualibet eclypsi lunari terra esse inter solem, & lunam, si terra non esset in mundi centro, vt patebit si describentur duæ diuersæ eclypses lunares, in quibus illuminationes solis, & vmbræ à terra proiectæ decussentur.

2 Spectata præcisè elementorum grauitate deberet totus terrę globus aquis leuioribus circumfundi, & ita de facto fuit prima, & secunda mundi die, donec die tertia ingentes cauitates in terra operirentur, in quibus congregatę sunt aquæ, & terra apparuit arida, ex aqua, & terra factus est vnus globus, non mathematicè, & perfectè, sed solùm physicè rotundus, tùm vt montium, valliū, & camporum varietas, & vtilitas haberetur, tum ne venti nimium terram peruerterent. In tanta terrarum vastitate camporum humilitas, & montium altitudo non tollit in terra physicam rotunditatem, vt patet primò in eclypsi lunari, in quo à terrę globo semper proijcitur vmbra rotunda. Secundò, quia si quis existens sub ęquinoctiali percurrat indirectum terra, vel mari versus orientem trecenta milliaria experiētur oriri solem citius tertia parte horæ, idque vbique terrarum, cuius ratio est, quia cum trecentis milliaribus terrestribus respondeant quinque gradus in æquinotiali, quorum quindecim ascendunt supra horizontem singulis horis, hinc fit vt singulis trecentis milliaribus tertia horę parte sol citius oriatur, ergo terra ab oriente in occidentem est rotunda, sed etiam est rotunda ab Austro in Aquilonem, quia si quis pergat ab Austro in Aquilonem, siuè terra, siue mari per sexaginta milliaria, eleuabitur illi polus articus supra horizontem per vnum gradum, ergo terra cum aqua ex omni parte faciunt globum saltem physicè rotundum. Tertiò probatur ex fine, vt enim erecti insisteremus, & nostrorum corporum longitudo esset in linea directionis, & perpendiculari, ità vt caput Cœlum pedes centrum aspicerent, debuit ex terra, & aqua fieri globus rotundus. Quartò probatur peculiariter de aqua, tùm quia nautis accedentibus ad terram prius apparent mōtium summitates, deindè verò paulatim eorum medię partes, quod aliundè, quam ex rotunditate oriri non potest, tum etiam quia nulla pars maris, & aquę potest esse alia eminentior, si qua enim esset eminentior, cum sit liquida, statim ad partem humiliorem deflueret, vt magis centro appropinquaret. Quare cum omnes ęquè partes à mundi centro aquę distent debent se in figuram rotundam conformare.

3 Terrę totius superficies quamuis geometricè non rotunda paulatim tamen in dies ad perfectā sphæricitatem reducitur, terræ enim partes altiores semper magis, ac magis deprimuntur, & humiliores attolluntur hinc Iob. 14 dicitur *alluuione terra consumitur*. Hinc antiqua ædificia ad mōtium radices extructa, nunc vel omninò, vel maxima ex parte sepulta sunt; & nouam Romam veteri superædificatam habitamus.

5 Terram ambit aer, qui in tres regiones, infimam, mediam, & supremam diuiditur infima, quæ scilicet est propè nos, eo vsque dicitur se extendere, quousque radij solares à terra reuerberati extendunt suam reflexionem, sed contra est primò, quia radij solares à corpore lunari reflectuntur vsque ad nos, imò adhuc vlterius eorum reflexio protenderetur, si longius terra distaret, ergo etiam si terra non sit tam apta ad reflectendum lumen solare, sicuti est luna, nullo tamen modo probabile est, quod radij solares à terra non reflectantur nisi ad quo, vel tria milliaria supra terram, quæ est maxima infimæ regionis altitudo. Contra secundò quia valdè probabile est radios solis à terra reflecti vsque ad lunam, atque ex hoc haberi lumen lunæ secundarium, cum ergo infima regio aeris diuidi à media non possit per reflexionem radiorum solarium quomodocunque acceptorum, dicendum est diuidi per reflexionem radiorum solarium prout non impedientium coactionem nubium, & in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, dùm primò Meteororum cap 4. docuit fieri nubium

bium congregationes, vbi desinunt radij solares, vndècunque tandem hoc oriatur. Cum verò huiusmodi radiorum vis in diuersis locis, & pro diuersa anni tempestate diuersimodè terminetur, erit per consequens altitudo huius infimæ regionis valdè irregularis, non habens præcisos fines, sed tamen, vt rudi quadam eius terminorum diuisione solùm dicamus, infimam aeris regionem terminari vbi nubes incipiunt concrescere.

6 Secunda aeris regio est totum illud spatium, intra quod nubes cogi, & spatiari possunt; ideòque hæc terminabitur paulò infra cacumina altissimorum montium; Cum enim Olympus, Caucasus, alijque montes à ventis, & nubibus sint immunes, infra horum fastigia erit terminus secundæ regionis. Quoniam verò vix vllus est mons, cuius vertex ad perpendiculum eleuetur à terra plusquam quatuor milliaria, secunda regio aeris non excedet altitudinem quatuor milliariorum à superficie terræ, sed hæc etiam secunda regio est inæqualis non aliter, ac infima.

7 Demum totus reliquus aeris tractus, qui ad concauum ætheris, seù ignis protenditur, erit tertia regio. Hanc alij ad 50. alij ad 60. milliaria eleuari à superficie terræ probant ex eo, quod ad tantā altitudinem eleuentur halitus vi solis à terra sublimati, vt ostenditur ex altitudine corpusculorum, quorum lux prouenit ex eo, quod radij solis sub terra latentis impingant in halitus, & euaporationes, & ex illis, vt potè reliquo aere crassioribus, aliqualis splendor reuerberetur ad nos. Verùm sicuti ad tantam altitudinem eleuari dicendi sunt halitus crassiores apti ad reflectendam lucem, ita non est cur exhalationes magis, & magis attenuatæ non possint adhuc vlterius eleuari. Dicendum ergo est ibi terminari supremam aeris regionem, & incipere sphæram ignis, vbi halitus à terra sublimati incipiunt ita attenuari, vt sint inepti ad reflectendam lucem solarem. De aeris qualitatibus dicemus in distinctione de elementis. Post aerem sequitur sphæra ignis, quæ ad concauum vsque lunæ protenditur, sed de hoc igne opportunius dicemus inferius consequenter ad ea, quæ statuemus de natura cœlorum. Ad quos antequam gradum faciamus necesse est aliquantulum retrogredi ad terram, ideòque sit.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum terræ globus motu aliquo trepidationis agitetur quoties in illa mutatur centrum grauitatis.

1 ESset hic prius reijciendus Pytagoricus error de motu terræ diurno circa suum centrum & anno circa solem, sed breuitatis gratia eum duximus omittendum tanquam satis communiter impugnatum, & à Sacra Eminentissimorum Cardinalium Congregatione indici librorum proposita damnatum decreto edito 5. Martij 1616. & iterum die 22. Iunij 1633. Circa propositam ergo quæstionem, quæ non mediocrem habet difficultatem, partem affirmatiuam tuentur insignes Phylosophi, & Mathematici, ducti ex eo, quod grauia omnia non impedita tendere debeant ad centrum vniuersi, ita vt tunc solùm quiescant, quando centrum suæ grauitatis cum centro vniuersi ita coniunxerint, vt vnum centrum cum alio congruat. Principiū, quod hæc sententia assumit traditum videtur ab Aristotele 2. de Cœlo cap. 7. tex. 107. Ex quo rationem reddunt, cur terræ globus in medio vniuersi detineatur, cum enim natiua illius propensio sit ad suum grauitatis centrum cum vniuersi centro coniungendum, in medio totius vniuersi tanquam in loco sibi naturaliter debito, tunc demùm quietus persistit, quando centrum centro, medium medio consentit, eadem enim est ratio, eademque propensio partis, ac totius, vnius glebæ, ac totius orbis terraquei. Hoc posito sic arguunt centrum grauitatis cuiuscunque corporis non impediti debet congruere cum centro vniuersi, itaut nunquam terra quiescat, donec vnum centrum alteri congruat; ergo centrum grauitatis totius globi terraquei non impediti, si cum centro vniuersi non congruit, tandiù debebit agitari, ac moueri, donec suo motu pertingat ad coniungendum centrum suæ grauitatis cum centro vniuersi, ergo quoties in globo terræ mutatur centrum grauitatis, toties debebit propria inclinatione terra moueri, quousque centro vniuersi coniungat illam sui partem, quæ ratione mutationis factæ euasit centrum grauitatis. Sed quoties aliquod, vel minimum corpus graue in terræ superficie ex vno in alium locum mouetur, mutatur centrum grauitatis; ergo ad quamlibet, vel minimam mutationem localem cuiuscunque, vel minimi corporis grauis in superficie terræ, moueri etiam debebit ipsa terra. Confirmant hoc totum ex eo, quod si sint duæ sphæræ æqualis grauitatis suspensæ in bilance æquiponderabunt, & æquilibratæ manebunt immotæ, quod si vel minimum ponderis vni ex illis addideris sublata æquiponderantia necessariò descendet sphæra illa, cui pondus est additum, & altera ascendet.

2 Posito argumento respondent aliqui quodlibet minimum additamentum, vel decrementum non esse satis ad tollendam æquilibrationem, si enim globo alicui vnius libræ addideris vnicam pulueris atomum, non propterea tolletur physicè quilibratio, neque globus antea æquilibratus in

bilance

bilance descendet, multo ergo magis inquiunt, hoc euenit in toto terræ globo, in quo nulla poterit fieri mutatio ita magna in rebus grauibus, quæ non se habeat minus respectu illius, quam atomus pulueris respectu globi habentis grauitatem libræ. Sed contra est primò, quia ingentes euaporationes fluxus, & refluxus totius Oceani, motus omnium fluminum, & alia multa satis notabilia, quæ in tota terræ superficie loco mutantur, nō se habent fortasse respectu totius globi terreni sicuti se habet atomus pulueris respectu globi habentis grauitatem libræ. Contra secundò, quia longè dispar est ratio totius terræ æquilibratæ, ac alicuius alterius globi æquilibrati in bilance, quia bilanx nec suspenditur, nec potest suspendi ex centro suæ grauitatis, quia hoc est punctum indiuisibile, sed suspenditur ex alio corpore, v.g. ex clauo, qui non tangit brachium bilancis in puncto, sed in superficie. Ex hoc autem fit, quod quò maiora sunt pondera appensa, eo tenacius superficies brachij superficiei claui adhærescat, itaut non nisi maiori vi, ac pondere possit indè diuelli. In toto autem terræ globo perfectissimè æquilibrato, & pendente ex vno puncto indiuisibili, nulla est huiusmodi resistentia, vt propterea, vel minima æquilibrij mutatio sit satis ad hoc, vt totus terræ globus natiua sua propensione moueatur ad applicandum nouum suæ grauitatis centrum centro vniuersi.

3 Non deest, qui vt immobilitatem terræ tueatur confugiat ad virtutem, & qualitatem magneticam, quam toti terræ globo inesse putat, ab eaque terram in eodem semper situ respectu Cœli contineri. Sed primò hoc est per machinam aduocare si non Deum saltem virtutem magneticam in toto globo terræ. Quæ non exercet consistentiam, vel motum, nisi ad alium magnetem. Certè hoc multa, difficilique indiget probatione, & melius profectò erit, si certius aliquod iaciamus fundamentum, cui terræ immobilitas innitatur. Secundò si supponatur globus terræ stare in æquilibrio per additionem alicuius ponderis ex vna illius parte totus grauitatione communi grauitabit versus partem oppositam, ideòque nisus tanti globi erit valdè magnus, ergo superest aduersario probandum, quod qualitas magnetica indita terræ sit tantæ virtutis, vt possit superare maximam contranitentiam totius globi terræ, itaut propensio magnetica excedat illius grauitatem, & contranitentiam: Hunc autem excessum probare non poterit nisi ad summum ex fine naturæ intendentis, vt terra per qualitatem magneticam consistat in medio ad melius excipiendas Cœlorum influentias; sed hic naturæ finis æquè obtinetur, siuè sit in medio exactè geometrico, siuè solum in medio physico, ergo quantum est ex hoc capite, admitti posset in globo terræ minimus aliquis motus trepidationis, cum ex illo nihil sequeretur contra finem naturæ.

4 Aliter fortasse dices, ad hoc, vt terra moueatur non esse satis, quod ex vna illius parte sit plus grauitatis, sed præterea excessum debere esse tantùm, vt superare possit resistentiam aeris in oppositum conantis, sicuti si muscam ingenti onerariæ filo alligares, adhuc maximus conatus, quem exercere posset hæc musca non posset nauim mouere, quia conatus muscæ non potest vincere resistentiam aquæ. Sed contra est primò, quia saltem quando aer non flaret in oppositum, sed potius versus eam partem, in qua terra mouenda est, vi grauitatis additæ, saltem inquam in hoc casu tota terra fluctuaret, sicuti si oneraria mouenda esset non aduerso, sed secundo flumine, & minimum quid ad eius motum deesset, posset etiam a conatu illius muscæ moueri. Secundò, contra est, quia quando terræ æquilibratæ aliquid grauitatis additur ex vna illius parte id, quod vincere debet resistentiam aeris, non est solùm illud modicum pondus, quod additur, sed grauitas totius globi terræ quæ non exerebat suas vires, quia modicum quid illi deerat, quod vbi accedit, statim totius globi grauitas communi nisu vincit aeris resistentiam, cum enim ratione additamenti mutatum fuerit cētrum grauitatis in toto globo, totus natiua propensione tendit ad coniungendum nouum centrum grauitatis cum centro vniuersi. Sic in duobus globis æquilibratis in bilance, si aliquid ponderis ex vna parte addatur globus descendit, & vincit resistentiam totius aeris non vi solius ponderis additi, sed vi, & grauitatione totius globi, licet vltimò determinati ad exerendas omnes suas vires à modico illo pondere superaddito.

5 Vt melioribus ergo fundamentis terræ immobilitatem tueamur supponendum hic est id, quod inferius probabimus agentes de impetu, grauia scilicet grauitare solùm versus centrum vniuersi, quando non sunt in proprio loco, duplicem autem distinguemus proprium locum, alium per se, alium per accidens. Locum per se proprium dicemus illum, à quo corpus nō exigit moueri ratione virtutis motiuæ grauitatis scilicet, aut leuitatis, locum verò per accidens proprium vocabimus illum, à quo corpus ratione alicuius alterius accidentis moueri non exigit. Ad hoc ergo, vt omnia corpora essent in loco per se proprio deberent ita esse collocata, vt quo sunt grauiora, eo essent centro vniuersi viciniora, quare totum aurum, vt potè corpus omnium grauissimum deberet esse in vnam perfectam sphæram conformatum, & eius centrum congruere cum centro vniuersi, sic enim neque infra se, neque immediatè, neque mediatè quicquam leuius haberet centro vniuersi vicinius. Supra sphæram auri deberet esse in sphæram pariter perfectam conglobatum totum argentum viuum, quod proximè ad grauitatem auri accedit, tùm totum plumbum, argentum, æs, ferrum, stannum, marmor, terra, sic autem omnia corpora essent in loco per se proprio, seù in loco illis debito, spectata præcisè ratione grauitatis, & leuitatis, quæ sunt accidentia per se ordinata ad motum localem, sed quia hic non fuisset expediens animantibus, ideò fuerunt corporibus indita alia accidentia, siccitatis duritiei, &c. ratione quorum aliqua leuiora sunt ad latus; vel infra grauiora, ideòque, vel æquè, vel


magis vicina centro vniuersi, quàm grauiora, hic ergo corporum locus vocari posset proprius, quatenus scilicet ex illo corpora non exigunt moueri, sed proprius per accidens, ratione scilicet aliorum accidentium; quæ saltem primariò non sunt ordinata ad motum localem, in quocunque ergo loco proprio corpora sint constituta; supponamus hic, quod non grauitent se se non imprimant sibi impetum, & contranisum, per quem à tali loco nitantur recedere.

6 Hoc posito intelligatur ad faciliorem explicationem dicendorum totus terræ globus esse perfectè sphæricus totusque ex auro solido, & homogeneo, atque ita collocatus, vt eius centrum congruat centro vniuersi, stabit profectò hic globus omninò immotus, cum non habeat quicquam leuius se in specie, quod sit magis, vel æquè vicinum centro vniuersi. Quod si huic globo aureo ex vna illius parte super imponatur lapis sphæricus decem v. g. librarum, non propterea globus aureus inclinabit ad motum, cum enim non propterea fiat habens infra se, vel ad latus mediatè, vel immediatè aliquid leuius in specie, non debet vllo pacto inclinare ad motum. Solus ergo lapis globo aureo superimpositus ratione suæ grauitatis inclinare posset ad motum, cum enim habeat ad latus circum circa aerem leuiorem, ideòque æquè vicinum centro vniuersi deberet descendere, ad hoc, vt illum totum suprà se constitueret, sed quia lapis à duritie globi aurei impeditur, nè descendat, & à suarum partium siccitate detinetur, nè suprà globum aureum ita defluat, vt totus aer leuior constituatur suprà, hinc lapis stat immotus, & immotus etiam stat globus aureus, nam si moueri deberet, vel ideò quia ipse de se inclinaret ad motum, vel quia ab extrinseco impelletur, non primum, quia non habens infra se, vel ad latus aliquid leuius est in loco per se proprio, in quo supponimus, non grauitare, non secundum, quia nullum adest extrinsecum potens impellere, nisi lapis decem librarum, sed hic non sufficit ad imprimendum impetum tanto globo, &c. solùm ergo moueri posset globus aureus à tali pondere superimposito, quod vincere posset resistentiam totius globi subiecti, & quia nulla pars globi subiecti inclinat ad motum, tale requireretur extrinsecum impellens, quod cuilibet parti globi subiecti posset imprimere impetum, aliter ille nullo pacto moueri poterit, mutatio ergo centri grauitatis nihil confert ad motum talis globi, cum enim mutatio centri grauitatis nõ efficiat, quod illa habeat aliquid leuius infra se, vel ad latus, neque efficiet, quod globus aureus desinat esse in proprio loco, vt proptereà exigat moueri. Oppositum accidit in duobus globis æquilibratis in bilance, cum enim quilibet ex illis habeat infra se aerem leuiorem quilibet ratione sui exigit motum deorsum, in tantùm autem quandiù sunt in æquilibrio neuter descendit, quia cum grauitas vtriusque sit æqualis, nec sit maior ratio, cur vna præualeat, neutra descendit; statim autem ac per minimum aliquod grauitatis additamentum ex parte vnius globi tollitur impedimentum paritatis, globus grauior descendit, non quod impetus toti globo descendenti imprimatur à modico illo grauitatis additamento, sed quod à modico illo grauitatis additamento sublata grauitatis æqualitate, totus ille globus, qui descendit, imprimat sibi impetum deorsum, & globo descendenti, quẽ superat, imprimat impetum sursum.

7 Quod diximus de globo aureo taliter collocato dicendum omninò est de globo terræ, qui de facto datur, neuter enim potest secundum se totum moueri nisi ab habente grauitatem, vel impetũ maiorem, quàm sit grauitas globi mouendi, si enim partes omnes globi terræ antè superimpositionem lapidis erant in loco, vel per se vel per accidens proprio, in quo propterea non grauitabant, per vnius lapidis additionem non desinunt esse in loco per se, vel per accidens proprio, nam corpora, quæ prius nõ habebant alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, per talis lapidis superimpositionem non constituuntur suprà corpora leuiora, ergo hæc non desinunt esse in loco per se proprio, illa verò corpora, quæ habebant quidem alia corpora leuiora infra se, vel ad latus, sed habebant aliqua accidentia duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum non exigebant motum per vnius labidis superimpositionem, neque amittuũt talia accidentia, neque à grauitate vnius lapidis possunt illa omnia superari, ergo per superimpositionem lapidis reliqua corpora saltem maxima ex parte persistunt in loco per se, vel per accidens proprio, in quo proindè non grauitant: Dixi corpora saltem maxima ex parte persistere in proprio loco, quia si aliquod corpus contiguum lapidi superaddito fieret exigẽs motum, & aliqualiter deprimeretur, hoc nihil faceret ad rem præsentem, quia non propterea vnus lapis esset satis ad efficiendum, quod reliqua omnia corpora desinerent esse in proprio loco.

8 Hoc posito sic arguo. Si totus terræ globus per lapidis superimpositionem deberet moueri, vel ideò, quia solus lapis additus imprimeret impulsum reliquæ moli terræ, vel ideò quia per additionem lapidis reliqua tota terræ moles determinaretur ad imprimendum sibi aliquem impetum, & motum. Primum dici non posse per se patet. Solùm ergo fingi potest, quod vel tota terræ moles, vel saltem hemisphærium illud, ex cuius parte lapis est superpositus per additionem huius noui ponderis determinetur ad imprimendum impetum, & sibi, & alteri hemisphærio. Sed hoc dici non potest, nam tunc solùm determinari potest corpus graue ad producendum in se impetum, quando non est in loco per se proprio, & per aliquam variationem factam definit esse in loco per accidens proprio, vt euenit in globo æquilibrato in bilance, sed per additionem lapidis non definit reliqua terræ moles esse in loco per se, vel per accidens proprio ergo per talem additionem non debet inclinare ad motũ, ergo si à lapide addito non potest impelli, neque possunt destrui accidentia, ratione quorum detinebatur in loco per accidens proprio, persistet immotum.

9 Quæ hucusque diximus de globo terræ, quando ex vna illius parte fit aliquod additamentum, applicanda proportionaliter sunt, quando aliquid ex eodem globo detrahitur. Sit enim centrum vniuersi A, cui cum suo pariter centro H, congruat globus terræ A. D. E. G. H. si ex hoc globo terræ intelligatur detracta portio D. E. illæ solùm partes ex reliqua terra poterunt inclinare ad motum, & grauitare, quæ per talem detractionem fiunt habentes aërem leuiorem infrà se, vel ad latus, sed sola portio terræ clausa inter duos circulos, seù superficies D. F. E. G. I. H. æqualis in crassitie ipsi D. F. & reliquo globo designato per F. G I. circumposita fit habens aërem leuiorem D. E. infrà se, vel ad latus, igitur sola hæc portio poterit grauitare, hæc enim sola est à centro vniuersi A, remotior, quàm aër D. E. quem propterea non habet suprà se, vti habere deberet, igitur sola hæc terræ portio poterit grauitare, sed hæc terræ portio non est sufficiens ad mouendũ globum terræ intimum D. F. G. igitur per talem detractionem non sequetur motus in globo I. F G. sed sequi solùm poterit motus in partibus huic globo intimo F.G.I. circumfusis, nisi ab alijs accidentibus impediatur, ideòque si hæ sint fluidæ debebunt ita se circà reliquum orbem conglobare, vt quælibet ex illis sit centro vniuersi A, vicinior, quàm aër.



10 Dices posita coniunctione lapidis cum reliqua terra secuturum motum virtute totius aggregati, non aliter, ac posita coniunctione vnius vnciæ cum globo centum librarum, quod prius æquilibratum non mouebatur sequitur motus vi totius aggregati ex centum libris, & vncia. Sed contra est, quia, vt diximus, est manifesta disparitas cum globis æquilibratis. Quando enim corpus aliquod non est in loco per se propriò, sed proprio solùm per accidens tunc si tollatur accidens illud, ratione cuius detinebatur in loco proprio per accidens, totum corpus proprio nisu tendit in locum sibi debitum, hinc pondus centum librarum æquilibratum cum sit in loco per accidens proprio merè ratione æqualitatis, si accidens æqualitatis tollatur, totum inclinat ad motum; at si lapis superimpositus, neque facit, quòd reliquus globus desinat esse in loco per se proprio, neque tollit accidentia, duritiei, siccitatis, &c. ratione quorum detinetur in loco per accidens proprio, non est cur ratione coniunctionis cum aliquo inclinante ad motum, totus debeat inclinare ad motum, quod manifesta experientia confirmatur; situla enim plena aqua, quò plus extrahitur ex aqua plus grauitat, quia statim ac incipit secundùm aliquam sui partem emergere, statim incipit grauitare tota solùm illa portio aquæ, quæ supereminet cæteris aquæ partibus iacentibus horizontaliter; sicut ergò quamuis pars aquæ, quæ eminet sit continuata cum parte, quæ non eminet, non tamen hinc sequitur, quòd etiam pars, quæ non eminet debeat grauitare, quia pars, quæ non eminet per coniunctionem cum alia, non desinit esse in proprio loco, sed in ordine ad grauitandum se habent, ac si essent duo corpora distincta, ita in toto globo terræ illa solùm pars inclinabit ad motum, quæ non est in proprio loco, & quamuis vna cum alia continuetur, tamen sicuti continuatio non efficit, quod pars, quæ erat in proprio loco desinat esse in proprio loco; ità neque continuatio efficiet, quod talis pars inclinare debeat ad motum.

11 A primo igitur ad vltimum, vt corpus, quod est in proprio loco moueatur requiritur corpus, quod possit imprimere impulsum toti illi corpori, quod à proprio loco est dimouendum, quod confirmatur ex eo, quòd si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, ad hoc, vt in aquam demergatur, debet illi superimponi corpus, tantæ grauitatis, vt possit imprimere impetum toti illi corpori secundùm quamlibet sui partem leuiori, cum enim hoc secundum nullam sui partem inclinet, imò resistat ad motum infrà aquam, cuilibet parti debet imprimi impulsus ab extrinseco ad hoc, vt descendat, vt manifestè patet in vesica inflata, quæ non nisi magna vi detrudi potest in aquam. Dixi si sit corpus secundum quamlibet sui partem leuius aqua in specie, sæpè enim modicum ponderis additamentum demergit in aquam corpus, quod prius non demergebatur; sed hoc accidit, quia non omnes talis corporis partes erant leuiores aqua in specie, sed multæ erant grauiores, quæ non poterant descendere, quia impediebantur à leuioribus, cum quibus constituebant vnum totum leuius, non aliter ac lamina ærea de se grauior aqua simul cum aëre quem continet intra aggerulos, quos attollit, constituens vnum totum leuius aqua, aquæ supernatat; vbi verò partes grauiores ratione ponderis additi vincunt partes leuiores, illico, & sibi, & leuioribus impulsum imprimunt, & omnes simul descendunt. Cæterùm si supponantur singulæ partes esse leuiores aqua in specie, quales sunt singulæ partes aëris inclusi in vesica; sicuti earum nulla inclinat, imò quælibet resistit ad motum deorsum, ita cuilibet, ad hoc, vt in aqua descendat, imprimi debet impulsus ab extrinseco, non aliter ac lapis è terra, vbi est tanquàm in proprio loco, dimoueri, & attolli non potest, nisi à potente imprimere impulsum singulis illius partibus grauioribus aëre, in quo est attollendus.

12 Dices vesica paris grauitatis in specie cum aqua, si impleatur aqua, non grauitabit, neque demergetur, ad hoc autem, vt simul cum aqua, quam continet demergatur, non requiritur corpus grauius vesica simul, & aqua, quæ in vesica continetur, sed à modicissimo pondere superimposito vesica simul cum aqua demergitur, ergo &c. Respondeo ad hoc, vt vesica simul cum aqua demer-

gatur satis esse, quòd imponatur tantum pondus, ratione cuius sola vesica euadat grauior aqua in specie, per hoc enim solùm vesica simul, & aqua statim in aqua descendet: ratio autem huius rei est, quia aqua licèt in aqua non grauitet, neque positiuè inclinet ad motum infrà aliam aquam, tali tamen motui, vel modicissimè, vel quod est probabilius, nullo modò resistit, cum enim quantumuis sit infra aliam aquam homogeneam, adhuc sit in proprio loco; non est cur ad hoc vllo modo resistat, quare si vesica sit aliquantò grauior aqua in specie, per hoc, quòd modicissimum alicui parti aquæ impulsum imprimat, illam determinat ad motum, non ita accidit, si vesica sit plena aere leuiore, cum enim hic resistat motui infrà aquam, non poterit in aquam detrudi, nisi à potente imprimere impulsum toti aëri incluso in vesica. Similiter ergò cum globus terræ supponatur esse in proprio loco resistet motui, & recessui à proprio loco, ideòque, vt à proprio loco dimoueatur, requiritur corpus potens toti globo impulsum imprimere.

13 Ex his ergò patet totam hanc nostram doctrinam fundari in principio, auctoritate, ratione, & experientia notissimo, quod scilicet corpora tunc inclinent ad motum, quando habent aliquid leuius magis, vel æquè vicinum centro vniuersi, & ab alijs accidentibus non impediuntur, at quod præterea totus terræ globus inclinare debeat ad motum, quando eius centrum grauitatis non congruit cum centro vniuersi, neque experientia, neque vlla efficaci ratione probari potest, imò hoc aduersariorum principium non potest semper cohærere cum principio nostro vniuersaliter recepto, eo enim posito facilè accidet, quod ad hoc vt coniungatur centrum grauitatis terræ in multis sui partibus valdè heterogeneæ cum centro vniuersi multa leuiora inclinarent ad constituendum se infra grauiora, & grauiora ad constituendum se supra leuiora, vt consideranti patebit. Quomodo ergò assumitur sine vllo fundamento tale principium, quod manifestè repugnat alteri principio auctoritate, experientia, & ratione firmissimo.

14 Atque hæc videtur esse doctrina Aristotelis loco citato, quem pro se Aduersarij afferunt: Benè enim ait Philosophus: *Censemus quantamuis magnitudinem grauitatem habentem ad medium ipsum ferri non quousquè tangat centri extremum, sed oportet præualere, quod est maius.* Si enim id, quod habet infrà se, vel ad latus aërem leuiorem est maius, oportet hoc præualere, & alijs partibus habentibus minorem resistentiam imprimere impetum ad vlteriorem motum, *donec suo ipsius medio medium ipsum acceperit*, hoc est donec acceperit medium vniuersi ea sua parte, quæ congruere illi debet, *coactis minoribus à maioribus propulsione propensionis*, eò quod pars illa, quæ non habet infrà se quicquam leuius à propensione alterius habentis infrà se aliquid leuius propellatur. Quòd si totum hemisphærium propria inclinatione moueretur, donec applicaret suum centrum grauitatis centro vniuersi, non debuisset dicere Aristoteles partes minores cogi, & propelli à propensione maiorum, sed omnes propria inclinatione moueri.

CAPVT QVARTVM.

De Ordine locali Planetarum.

1 POst ignem sequuntur suo ordine Planetæ, non omnes æquè distantes à terra; & quidem omnium vicinissimus terræ est Luna, quod probatur primò, quia Planetas omnes suo corpore eclypsat, cum nunquàm ipsa visa fuerit vllo sydere eclypsari. Secundò, quia Luna solùm eclypsatur ab vmbra terræ, reliqui enim planetæ in vmbram terræ non incidunt, sed ratione maioris distantiæ, quam habent à terra, eius vmbram transcendunt. Tertiò, quia illud Sydus, quod in æquali altitudine ab Horizonte longiorem vmbram eiusdem gnomonis proijcit, proprior est centro gnomonis; Cum ergo semper vmbra Lunæ, quamuis diuersis temporibus, in altitudine æquali sit longior, quam vmbra Solis, Iouis, & Veneris, erit his propinquior terræ, ergò etiam erit propinquior alijs planetis, licèt enim aliorum planetarũ vmbras non possimus discernere, cum tamen aliundè constet alios esse his longè remotiores, erit profectò Luna omniũ planetarũ vicinissima terræ. Demum Luna maximam patitur parallaxim, eius enim parallaxis horizontalis est vnius circiter gradus, cum aliorum planetarum parallaxes vix ad paucissima minuta perueniant.

2 Post Lunam sequitur Sol cum suis maculis, & faculis; circà Solem verò voluitur Mercurius, & Venus, eò quòd eorum illuminatio per telescopium obseruata fuerit fieri à Sole corniculariter non secus ac illuminatio Lunæ, ex quo inferunt, quòd Solem circumeant, nam si semper essent supra Solem, semper apparerent illuminati, vel rotundi, vel ferè rotundi; Si semper essent infrà, nunquam eorum illuminatio appareret integra. Si demum lucerent luce sua semper apparerent eodem modo illuminati. Porrò ex his duobus Planetis Mercurius est Soli vicinior, tum quia validiorem à Sole lucem excipit, tum quia à Sole non digreditur vltrà 29. aut 30. gradus. Venus verò digreditur vsquè ad 50. Hinc opinionum diuersitas de loco horum planetarum, cum enim alij alijs temporibus hos planetas obseruauerint, hi scilicèt, quando erant infrà Solem, illi verò

quan-

quando supra, neque potuerint defectu telescopij falcatam illorum illuminationem deprehendere varium illis locum tribuerunt.

3 Ipsum etiam Martem, ex recentioribus, & quidem iteratis obseruationibus constat falcatam recipere illuminationem, ideòque ipsum etiam volui dicendum est circa Solem, sed remotius, quã distet à Sole Venus. Supra Martem voluitur Iuppiter, & circa ipsum quatuor Comites, seù paruæ Stellæ, quarum prima obseruata est distare à centro Iouis, quasi sex semidiametris Iouialibus. Secunda ferè octo, vel paulo plus. Tertia circiter decem. Quarta circiter 20. Mouentur omnes circa Iouem ab Occasu in Ortum supra, ab Ortu in Occasum infrà; hoc autem ex eo colligitur, quod quando ab Occasu ad Iouem accedunt semper apparent minores, quando verò ab Ortu accedunt ad eundem Iouem apparent maiores. Pariter in coniunctione mouentur celerius, in extremis verò tardissimè, ideòque aliquando erunt supra, aliquando infra solem. Obseruatum etiam est, quod quando ab Occasu mouentur versus Ortum, eclypsantur à Ioue, nunquam verò eclypsantur, quãdo ab Ortu mouentur versus occasum. Quaternarius hic numerus Satellitum Iouis communiter receptus est; de pluribus, quos alij dicunt se deprehendisse, nihil hactenus certi constat.

4 Suprà Iouem sequitur Saturnus, cui adstant vtrinque; vel circa ipsum voluuntur duo Satellites, quamuis enim aliquando videantur vnum, & idem corpus efficere cum ipso Saturno, eò quod valdè ad ipsum accedant; ipsumque hinc indè veluti comprehendant, aliquando tamen Saturni corpus apparetà suis comitibus omninò seiunctum. Dixi hos Satellites Saturno adstare, vel circa ipsũ volui, nam hoc nondùm plenè constat, hi enim carent propria luce, vt colligitur ex eo, quod ab vmbra Saturni in eos propriores proiecta eclypsantur. Si ergo voluerentur circa Saturnum, deberent aliquando sui corporis vmbram in medium Saturni proijcere, quod tamen nunquam est obseruatum, sicuti obseruatum est, quod aliquando penitus occultentur post tergus Saturni, qui tunc solitarius, & rotundus apparet.

5 Commune medium, in quo hi omnes planetæ voluuntur, dicitur Cœlum planetarum; Verum verò sit vnum, vel plura pendet ex eo, quod soldium, vel fluuium admittatur, de quo capite sequenti. Supra planetas datur firmamentum, seù Cœlum Stellarum fixarum, quæ ita vocantur, quia in suo motu semper ad inuicem seruant eandem distantiam, contra id, quod accidit in planetis, qui propterea dicuntur errones. Supra firmamentum fides docet dari etiam Empyreum, Regiam Beatorum. Plures etiam admittunt Cœlum Christallinum, quod dari colligunt ex eo, quod Deus fecerit firmamentum ad diuidendas aquas, quæ erant sub firmamento ab aquis, quæ sunt supra firmamentum, ideòque totam crassitiem aquarum, quas dari dicunt supra firmamentum; vel ad oblectationem Beatorum, vel ad temperandum nimium æstum syderum, vocant Cœlum Chrystallinum; sed hoc est extra considerationem physicam. Alios Cœlos Astronomi inuexere ad saluandos syderum motus, ex suppositione, quod Cœli sint solidi, sed admissa eorum fluiditate, non sunt necessarij.

CAPVT QVINTVM.

An Cœli sint solidi, vel fluidi?

1 PRobabilius est Cœlum planetarum esse fluidum. Primò, quia Cœlorum planetariorum soliditas nullum alicuius momenti argumentum habet, & ex alia parte plura affert incommoda, quæ quantumlibet multiplicatis Eccentricis, concentricis, & Epicyclis, vel tolli non possunt, vel non nisi magna cum difficultate, & mutua corporum cœlestium collisione, vel penetratione. Certè frustra tot orbes, & orbiculi multiplicantur; Cur enim ad mouendum planetam, qui comparatus suo Cœlo se habet instar puncti, tot orbium machina debuit circumuolui? Sicut enim esset incongruum, quod ad hoc vt moueatur formica rotari deberet tota terra, ita valdè incongruum est, quod vt vnicus planeta moueatur, tota tot orbium machina circumuoluatur: vel enim intelligentias admittis Cœlorum motrices, vel non; Si admittis, cur ad tot eccentricos, & epicyclos recurris, non aliter, ac si sapientia, & vires Angelo deessent ad mouẽdos planetas sine orbibus, non verò ad mouendos orbes cum planetis, si verò neges Cœlos moueri ab intelligentijs; sicut dicis Cœlum ex propria virtute à Deo sibi indita moueri, ita longè facilius dicere posses inditam fuisse planetis vim ad tales motus sine tanta orbium multitudine, ac diuersitate, quos ad nouas obseruationes crescere quotidie, cum non tot, quin pluribus eccentricis, & epicyclis necesse erit.

2 Probatur secundò ex planetarum, & cometarum motibus, motum enim Martis apud Astronomos spiris, & voluminibus adeò implicatum videre est, vt non nisi difficillimè per epicylos explicari possit; Imò cum non solùm à Mercurio, & Venere, sed ab ipso etiam Marte, vt diximus, Cœlum Solis magno spatio, & ad magnam distantiam intersecetur, quot, ac quantis opus esset epicyclis in Cœlo solari. Præterea innumeros, variosque motus macularum, & facularum

Solis, quis explicet per eccentricos, & epicyclos, etiam non tot quin plures, nec nisi merè ad tuendum positu m adiectos? De Cometis, licèt admittatur non fuisse absolutè demonstratum, est tamen maxim è probabile, quod aliqui fuerint cœlestes, vt præcipuè de Cometa anno 1618. constanter asserunt Astronomi celeberrimi. Cum ergo Cometa hic ortus in asterismo libræ partim declinans ab Aequatore versus Austrum processerit deindè versus Septentrionem, transeundo Aequatorem, & Tropicum cancri, itaut tandem non longè distans à polo arctico sit extinctus; nemo non videt, quomodo potuerit fere à polo ad polum per totam Cœlorum soliditatem transuersum ire. Quod si dicas Cometas esse portenta à Deo ad mortales deterrendos exhibita, ideòque potuisse vel per penetrationem, vel per reproductionem de vno in alium dissitum locum traijcere, hoc nihil habebit philosophici, & merè gratis dicetur.

3 Probatur tertiò, tàm quia si aliqui Planetæ, vt inferiùs videbimus, circà suum axem voluuntur; ideòque hunc motum à suo Cœlo recipiunt, quæ necessitas est, vt alium à Cœlo recipiant. Tum etiam quia si primũ mobile imprimeret suum motum cæteris orbibus subiectis, etiam Cœlum Saturni deberet imprimere suum motum Cœlo Iouis, & Cœlum Iouis alijs Cœlis inferioribus.

4 Dices Iob 37. dicitur. *Tu forsitan fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt*. Respondeo hæc non esse verba vllius Scriptoris Canonici, nec ab vllo Scriptore Canonico approbata, sed Eliud Sophistæ, quem statim reprehendit Deus dicens: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis*. Adde ibi per Cœlos intelligi aërem ab omnibus tàm Græcis, quàm Hæbreis expositoribus, vt testatur Scheiner, eo quod toto illo capite non sit sermo, nisi de Cœlo aëreo, ideòque miretur Eliud ab aëre non aliter, ac si esset æneus, sustineri posse nubes. Quòd si adhuc propter hæc verba sustinere volueris Cœlorum soliditatem, hæc saluari poterit ratione firmamenti, quod dicemus esse solidum, nequè obstat, quòd dicantur Cœli in plurali, tum quia adhuc soliditas verificari poterit de pluribus, de firmamento scilicèt, ac Empireo, tùm quia Cœli in Hæbreo carent numero singulari.

5 Si anctoritatem spectemus probabile est firmamentum esse solidum. Habemus enim Genes. 1. *Fiat firmamentum in medio Aquarum, et diuidat aquas ab aquis* ad hoc autem munus, requiri videtur firmamenti soliditas, ideòque LXX. Interpretes verterunt στερέωμα. hoc est fulcimentum, ac soliditatem, & quamuis per hoc nonsolùm significetur corpus durum, sed etiam corpus habens trinam dimensionem, à scriptura tamen videtur adhibita hæc vox ad significandam soliditatem firmamenti, prout oppositam fluiditati, sicut enim huiusmodi soliditas requirebatur ad sustinendas aquas, ità ratio trinæ dimensionis in corpore, si hoc sit fluidum, impertinenter se habet ad continendas aquas, si verò corpus immediatum sit fluidum, siuè sit trinè dimensum, siuè sit mera superficies, perindè est. Prætereà ad Hębreos 4. dicitur Christus Dominus penetrasse Cęlos. Quod non dicitur nisi de corporibus solidis. Demum cum multæ afferantur Scripturarum, & Patrum anctoritates pro Cęlorum soliditate, eas benè possumus intelligere de soliditate firmamenti, nequè obstat, quòd loquantur de Cælis in plurali, quia, vt diximus, Cęli in hæbreo carent singulari, & adhuc intelligi possunt in plurali de firmamento, & Empyreo. Præterea sicuti diuersitas motuum suadet cęlum planetarum esse fluidum, ità constans fixarùm ordo, & distinctio, quam seruant inter se, semper equalem probabiliter suadet firmamenti soliditatem. Adde sic meliùs explicari, quomodò S. Paulus raptus fuerit vsq; ad tertium Cęlum. Primum enim Cęlum intelligi potest totum illud spatium, in quo spatiantur planetæ. Secundum Cęlum est firmamentum, tertium Empyreum; si autem firmamentum esset fluidum, sicuti Cęlum planetarum, nullum esset peculiare fundamentum distinguendi hos Cęlos in duos potius, quàm in plures.

6 Dices etiam in firmamento deprehensæ sunt nouæ Stellæ, & Cometæ, ergò etiam firmamentum dicendum erit fluidum. Respondeo difficillimum esse dignoscere, vtrum aliquod phænomenon dicendum sit in firmamento, cum enim parallaxis sit præcipua via cognoscendi locum phenomenorum, ad quam aliæ viæ reduci debent, vt aliquid probent, sicuti non valdè procul à Luna diuersitas parallaxium est notabilis, ità quò magis à Luna digredimur, eò minus est earum diuersitas discernibilis. Quòd si Saturnus vix aliquam patitur parallaxim, quam patientur stellæ firmamenti? Cùm ergò certum argumentum non habeamus, faciiè negari potest vllam nouam stellam fuisse in firmamento, vel enim nouæ stellæ post aliquod tempus euanuerunt, vel non; si non euanuerunt, dici potest eas non esse nouas, sed nouiter cognitas; si euanuerunt, dici potest eas fuisse in Cælo Planetarum, vel si volueris immediatè sub superficie concaua firmamenti.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

An Cœli sint naturaliter corruptibiles.

1 PRobabilius existimamus Cœlos non solùm remotè, sed etiam proximè secundum aliquas sui partes esse naturaliter corruptibiles; dari enim in Cœlis naturalem generationem, & corruptionem suadetur primò ex maculis, & faculis solaribus, de quibus ita testatur Scheiner in Rosa Vrsina lib.4 p.1. cap.37. concl 1. *Ex tot macularum millibus quas hactenus summo studio per multos annos obseruari, nulla reperta est, quæ non saltem aliquantulum auxerit, nulla, quæ non defecerit: tempus igitur maculæ cuiusque est triplex, augmentationis, status, et decretionis, quæ alia probatione non egent, quàm diligenti obseruatione, vel saltē mearum obseruationum inspectione*; & concl.7. ait *Eodem tempore, et in eadem Solis sphæra est sæpè cernere alias maculas crescentes physicè, alias decrescentes*. Porrò ab eodem Auctore cap. 38. fusè probatur macularum augumentum, ac decrementum, neque haberi posse per rarefactionem, & cōdensationem neque per solam superficierum extensionem, neque per solam alterationem, &c. Sed necessariò haberi per physicam generationem, & corruptionem.

2 Probatur secundò Conclusio posita ex Cometis, quorum aliquos valdè probabile est, vt supra diximus fuisse cœlestes, quo posito eorum generatio saluari non potest absque alicuius partis, & auræ illius cœlestis inflammatione. Quod si dicas per solam addensationem ita solidari potuisse aliquas Cœli partes, vt reflectentes ad nos lucem Solis essent Cometa. Contra est quia si lux Cometarum non aliter, ac lumen Lunæ haberetur à reflexione radiorum solarium pro diuersitate situs Solis deberet Cometa, non aliter ac Luna apparere modo corniculatis, modo plenus, quod in Cometis non accidit etiam si aliquando fuerint sub Sole. Quare si in Cœlis accenduntur maculæ, & faculæ, non erit difficile admittere, quod in Cœlo pariter accendantur Cometæ, eadem enim videtur esse materia Cometarum, ac macularum, & facularum, tùm quia quo tempore visus est Cometes an.1618. per mensem integrum nulla in Sole visa est macula, ideò fortasse, quia materia macularum cædit in materiam Cometæ; tum etiam, quia ordinarij Cometæ, vt testatur Scheiner, plerumque in vicinia Solis oriuntur, ibique primò sese videndos exhibent, sensim deindè recedendo à Sole plerique autem Cometæ tùm in duratione, tùm in modo augendi, ampliandi, ac decrescendi similem tenorē & easdem cum maculis proprietates præseferunt, vt in dicto Cometa anni 1618. videre fuit.

3 Dices primò, hoc esse contrà Aristotelē, sed respondeo Aristotelem, tum alibi, tum primò de Cœlo textu 102. totum esse in probando, quod non possit aliquid esse genitum, & esse sempiternū, & incorruptibile. Ait enim. *Genitum igitur esse sempiternum tamen esse dicere impossibilium est*, & post pauca. *Omnia enim quæ generantur, et corrumpi videntur*. textu verò 104. *Auxilium autem quod quidam eorum conantur afferre sibi ipsis, qui dicunt incorruptibilem quidem esse, sed factum, non est verum*. Solùm ergo asseruit Aristoteles Cœlorum incorruptibilitatem, quia existimabat, illos fuisse ab æterno, adeò vt si credidisset Cœlum fuisse à Deo factum in tempore, cohærenter ad sua principia dixisset illud esse corruptibile; posito ergo, quod circa Cœlorum productionem cogamur ab Aristotele recedere, magis deindè peripateticè, & consequenter ad principia Aristotelis philosophamur, quam ij, qui coacti recedere ab Aristotelica mundi æternitate noluerunt recedere ab illatione, quam ex falso principio deduxit Aristoteles, & apertè dixit esse falsam, si falsum esse ostendatur principium.

4 Dices secundò. Cœlum non habet contrarium, motui enim circulari, qui conuenit Cœlo nullus motus contrarius est. Respondeo, & primò Cœlum Planetarum, non mouetur circulariter, sed in eo circulariter mouentur planetæ. Secundo Corpori, quod moueatur circulariter potest esse contrarius ignis solaris, à quo aliquæ Cœlorum partes aptæ ad concipiendum ignem inflammantur, dùm hæ ad Solis flammam propius accedunt. Quomodo autem in Cœlo aliqua materia inflammetur, deinde verò extincto igne, quem conceperat iterum paulatim alteretur, & ad nouam inflammationem disponatur, non nisi coniecturaliter inferri potest iuxta principia, quæ quisque assumet de materia proxima Cælorum.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De Corporum Cœlestium Materia.

1 COElum non esse corpus simplex, sed compositũ ex forma, & materia eiusdẽ rationis cum nostra probatur primo, quia dantur in Cęlo accidentia, quæ conueniunt corpori composito ex materia, & forma, datur enim in Cęlo raritas, densitas, fluiditas, lumen, & quantitas, seu impenetrabilitas, quantitas autẽ exigitur à corporibus cõpositis ex materia, & forma, ad hoc præcipuè, vt quantitate veluti obuallentur, & impediant intimam applicationem agentium contrariorum à quibus alioqui facilè destruerentur; Si ergò substantiam non cognoscimus nisi per accidentia, cum in Cœlo habeamus accidentia eiusdem rationis cum accidentibus corporis sublunaris, dicendum erit ipsam etiam substantiam Cœli esse eiusdem rationis cum sublunari, ideòque non esse substantiam simplicem, sed compositam, & quidem ex materia eiusdem rationis cum sublunari. Probatur secundò argumento negatiuo, quia sicut ille, qui asserit dari aliquod ens debet positiuè illud probare, ita si asseris, quod ens aliquod habeat perfectionem diuersi generis, illam positiuè proba, aliter dicam, quod ignis etiam, qui est in concauo Lunæ non sit corpus elementare, donec ergo positiuum argumentum afferatur, stat possessio pro non multiplicatione perfectionum, adeòque neque est inuehendum corpus simplex, & admisso, quod sit compositum, propter eandem rationem non est illi danda materia diuersæ rationis. Demum auctoritate multorum Patrum apud Cornelium à Lapide in caput primum Genesis, Tanneum, Scheiner, & alios habemus Cœlos factos fuisse ex aquis, ergo ex materia eiusdem rationis cum sublunari. Quæ diximus de Cœlis dicenda propter easdem rationes sunt de omnibus corporibus cœlestibus, & sanè si conformiter ad Sacras Scripturas, & Patres admittendæ sunt supra Cœlos veræ aquæ elementares, quæ necessitas erit dicere, quod corpora cœlestia aquis elementaribus subiecta sunt naturæ perfectioris.

2 Aristoteles quintam, simplicemque naturam Cœlis tribuit, quia eos æternos, & incorruptibiles existimabat, quod vidimus esse falsum, quare meritò S. Ambrosius lib. 1. Exameron c. 6. ait. *Nihil agunt, qui propter Cœli asserendam perpetuitatem quintum corpus æthereum introducendum putant*, & paulò antè; *Hæc igitur alij considerantes stabilia esse non posse quintam quandam naturam corporis introducentes quo diuturnam Cœli putarent mansuram esse substantiam, sed non ista opinio profeticæ poterit obuiare sententia, quam Diuina quoque D. N. I. Christi Maiestas in Euãgelio comprobauit.* Porrò motus circularis non necessariò arguit quintam quandam naturam, cũ talis motus fiat ab intelligentijs, & ad illum corpora cęlestia inclinent solùm vt partes vniuersi; præterquam quod sicuti terra, & ignis sunt corpora composita ex materia eiusdem rationis, & tamen terra cum accidente grauitatis inclinat ad motum deorsum, ignis cum accidente leuitatis inclinat ad motum sursum. Ita si Cœlum ex propria inclinatione moueretur circulariter posset simul cum materia eiusdem rationis cum materia sublunarium habere accidens aliquod ratione cuius inclinaret ad motum circularem.

3 Valdè probabile est Solem esse substantialiter naturæ igneæ, & formaliter calidum, Primò quia in Hymnis Ecclesiasticis passim vocatur igneus, & eius rota flammea, debent autem hæ locutiones accipi de formali igne, cùm enim eas iuxta vnanimem Patrum consensum debeamus interpetrari, vigintiquinque Patres recensentur à Scheiner, qui solem esse, vel ignem, vel igneæ naturæ expressè docuerunt. Secundò nullo alio argumento probamus nostrum ignem esse formaliter lucidum, & calidum, nisi quia nos illuminat, & calefacit, ergo cum corpora cœlestia constent materia eiusdem rationis cum sublunari, & experiamur Solem lucere, & calefacere, cur non dicemus esse formaliter calidum, & igneum? Tertiò calor à Sole, & calor à nostro igne productus sunt eiusdem speciei, quia vnus intenditur ab alio, quod idem videtur dicendum de vtriusque luce, si enim per augustissimum foramen intra cubiculum benè clausum excipiatur radius solaris in carta, & ex alio loco benè obserato transmittatur per angustum foramen fulgor candelæ accensæ, ita vt radius huius fulgoris incurrat in lucem radij solaris prius exceptam in carta, videbimus ex concursu lucis solaris, & lucis candelæ resultare in carta maiorem lucem, quam esset, vel à Sole, vel à candela tantùm, ergo vna lux intenditur ab alia, si ergo accidentia à Sole, & ab igne producta sunt eiusdem speciei, quidni dicamus solem esse eiusdem naturæ specificæ cum nostro igne. Demùm grandiora telescopia exhibent nobis solem tanquam ignitum oceanum flammarum vndis asperum, atque fluctuantem.

4 Quamuis sol sit naturæ igneæ, non tamen esse potest purus ignis propter nimiam enim raritatem ineptus esset ad tantam lucem, & motum, quare si eius materia cum aliquo ex nostratibus corporibus esset comparanda cum nullo alio melius, quàm cum auro conferri posset, tum quia aurum vt potè maximè densum est etiam maximè actiuum, si sit accensum, tùm quia aurum est eiusdem coloris cum igne, & est ad motum aptissimum, tùm demum quia aurum igne non absumitur.

5 Stellas etiam fixas dicere possumus esse substantialiter naturæ igneæ; cum enim ex dicendis stellæ

stellæ fixæ non totum lumen mutuentur à Sole, sed saltem præcipuum lumen, quod habent, sit illis natiuum non minus, quàm soli, dicendæ sunt non minus, quàm sol substantialiter igneæ, præsertim cum earum scintillatio meritò refundi possit in hoc, quod ad instar Solis euomant flammas. Hinc si communis sententia docet Solem fuisse formatum ex luce primo die à Deo creata, dicere etiam poterimus Stellas fixas ex eadem primigenia luce fuisse factas, sed non nisi quarto die perfectas; eo, quod primigenius ille ignis in primo illo mundi triduo figuram locum, & motum mutauerit, donec quarto die partim in Solem, partim in fixas distributus stabilem acceperit figuram, locum, & motum.

7 Quoad materiam proximam Cœlorum Sanctorum Patrum auctoritati, quos citat Cornelius à Lapide in caput primum Genesis, valdè conforme est initio fuisse à Deo creatum Empyreum, & terram, itaut tota terræ superficies aquis esset vsque ad Empyreum repleta. Deindè verò ex aquarum materia partim solidata, partim attenuata firmamentum, Cœlum planetarium, & reliqua omnia fuerint efformata. Sicut autem aliqua pars aquæ solidata fuit in firmamentum, & Planetas; ità alia pars attenuari debuit in Cœlum Planetarum, in ætherem, & aerem illi subiectum, hoc enim necessarium fuit tùm ad impediendum vacuum, tùm ne daretur corporum penetratio, nam si aquæ fuissent attenuatæ in Cœlos Planetarum, & aerem absque eò, quod aliquæ illarum partes solidarentur, Aquæ in auras tenuissimas extensæ non habuissent sine penetratione locum sibi necessarium, si verò aliquibus aquis solidatis, reliquæ non fuissent attenuatæ non potuissent occupare totum pristinum spatium, ideòque intercessisset aliquid vacui. Quòd si alij SS. Patres docent Cœlos esse naturæ igneæ, benè poterit vtraque sententia concordari; illud enim dici potest naturæ igneæ, sed accidentaliter, quod participiat de calore, & siccitate. Cùm ergo Cœli à Sole magnum recipiant calorem, & siccitatem, quamuis fuerint formati ex aquis, dici tamen possunt naturæ igneæ. Hinc totum hoc medium, quod inter terram, & firmamentum intercedit, totum videtur esse corpus spirabile, nec vna illius pars differre ab alia, nisi ratione maioris, vel minoris raritatis, siccitatis, & caloris, prout enim vna pars magis recedit à terra, & accedit ad Solem eò est purior, rarior, siccior, & calidior. Ignis inquit Sanctus Anselmus lib. 1. de imagine Mundi cap. 24. *Quis quartum elementum conscribitur, quasi non gignens dicitur à Luna vsque ad firmamentum extenditur, is tantùm est aere subtilior, quantùm est aer aqua tenuior, aqua terra rarior. Hic etiam æther, quasi purus aer dicitur, splendore perpetuo lætatur*; Et præter alios complures S. Isydorus lib 3 Origin. cap. 3. ait. *Cœlum græcè dicitur à videndo, eò quòd aer perspicuus sit, & ad speculandum purior*.

8 Ex his ergo patet resolutio quæstionis de natura ignis existentis in sphæra infra Lunam, dicendum enim videtur esse auram substantialiter eiusdem rationis cum nostra, dici tamen ignem sicuti ignei dicuntur Cœli ratione tantæ raritatis, siccitatis, & caloris, qualitatum scilicet ignearum, quas ab igneo Sole recipit.

9 Cum ex infra dicendis probabilius sit Planetas lumen omne mutuari à Sole, non est cur dicamus eos esse naturæ substantialiter igneæ, sed plus, vel minus de igneis qualitatibus habere prout magis, vel minus accedunt ad Solem. Quare congruenter ad iam dicta asserendum est factos fuisse ex aquis densatis non aliter, ac ex illis fiunt christallus, vniones, conchilia, & similia corpora ad lumen reflectendum idonea.

10 Dices si Planetæ sunt corpora hoc modo solidata, erunt grauiora Cœlo spirabili, in quo feruntur, ergo in eo violenter detinentur. Respondeo, & primò cum corpora non ferantur deorsum, vel sursum, nisi ratione grauitatis, vel leuitatis, quæ sunt accidentia corporibus superaddita, vt infrà probabimus potuit Planetis, & Soli loco grauitatis dari aliud accidens, per quod omnes illius partes inclinent ad centrum, quod secum habeant, & ferant, ideò enim corporibus sublunaribus densioribus datur grauitas maior, quia est bonum vniuersitati, quod densiora sint centro vniuersi viciniora, sed est bonum vniuersitati, quod partes Planetarum, & Solis se se conglobent circa suum centrum, ergo, &c. Quod si verè non est illis datum hoc accidens, sicuti ab intelligentijs mouentur, ita possũt ab ijsdem in tali loco detineri propter bonum vniuersi, ideòque ibi esse non violenter, saltem prout sunt partes vniuersi,

CAPVT OCTAVVM.

De Luce Syderum.

1 PRobabilius est Stellas fixas propria luce fulgere, quia tanta est distantia Solis à Stellis fixis, vt ex illis Sol spectatus vix appareret tantus, quanta à nobis cernitur minima Stellarum fixarum. Quamuis autem Tyco omnium Astronomorum maximè hanc distantiã imminuerit, eam tamen tantam relinquere coactus est, vt è fixis Sol vix appareret tantæ magnitudinis, quanta à nobis cernitur vna è Stellis fixis maioribus, quis autem credat, quòd Sol in tanta distantia tàm exiguus transmittere possit ad Stellas fixas lucem adeò viuidam, vt cum tanto

vigore

vigore ab illis reflectatur ad nos? Confirmatur. Planetæ quò magis elongantur à Sole, eò habent lumen languidius, ideòque Saturnus omnium Planetarum maximè distans habet lucem, veluti plumbeam, ergò fixæ cum longè magis distent à Sole, quàm Planetæ, longè languidiorem lucem deberent habere: Constat autem accidere oppositum.

2 Dices quod lux Planetarum in minori distantia à Sole sit debilior luce fixarum refundi posse in materiam, seu corpus syderum magis, vel minus aptum ad reflectendum lumen Solis. Respondeo verum esse, quod diuersitas corporum reuerberantium lucem, ipsam lucem diuersificet. Hinc, quod Venus argenteum lumen reflectat habebitur ex eo, quod sit corpus argento simile, Mars simile ferro, Iuppiter cupro, Saturnus plumbo, vel cum alijs, Saturnus est similis Onychi, Iuppiter Saphiro, Mars pyropo, aut ametysto, Venus chrysoprafo, Mercurius Berillo, aut Acati, Luna Conchylijs Margharitarum, aut ipsis Margaritis; sed quamuis materiæ diuersitas diuersimodè lucem reflectat, quæ nam est excogitabilis materia, quæ carens luce possit ad tantam distantiam accipere lucem Solis, eamquè ad nos reflectere ita viuidam, sicut est lux fixarum.

3 Nullum est fundamentum tribuendi Planetis proprium aliquod lumen, imò multa suadent illos omni propria luce carere. Primò enim licet Saturnus Soli, & nobis longè vicinior, quàm stellæ fixæ, longè tamen obtusiori lumine resplendet, ergo sicuti stellis fixis proprium lumen dedimus, quia in distantia longè maiori viuidiorem lucem exhibent: ita omnis natiua lux Saturno, & ab illius paritate cæteris planetis adimenda est, quia in distantia longè minori multo debilius lumen ostendunt. Secundo constat ex falcata planetarum illuminatione, quod à Sole recipiant saltem lumen præcipuum, immo lumen omne, quod nobis innotescit, ergo gratis immo immerito aliquod aliud lumen illis tribuitur, frustra enim natura illis dedisset lumen aliquod, de quo quolibet adhibito instrumento non possemus certificari; cum enim lumen syderum sit propter nos, sunt enim posita, vt sint in signa, & tempora, si nullum natiuum lumen planetarum poterat esse in signa, & tempora, cur debuit illis à natura tale lumen dari? Tertiò Iuppiter vmbra sui corporis suos comites eclypsat, ergo nullum habet natiuum lumen.

4 Dices in Luna etiam totaliter eclypsata cernitur aliqualis rubor, & lux, quæ erit illi natiua? Respondeo ruborem hunc in Luna eclypsata obseruatum fuisse ferè semper varium, ideòque habebitur ab extrinseco, nimirum, vel ex luce Solis, quæ ad Lunam vsque reuerberetur à terra, vel ex eo, quod radij solares incidentes in sphæram vaporosam, quæ est circa lunam in ea refringantur, & efficiant illum ruborem, non secus ac sole occidente eius radij transeuntes per vapores, quibus terra circumdatur, & impingentes in parietem, cernuntur rubri.

5 Omnes ergo Planetæ lumen omne recipiunt à Sole, sed Iouem, & Saturnum existimant nonnulli non posse a Sole illuminari propter magnam ab illo distantiam, ideòque putant illuminari à suis Comitibus licèt non ab omnibus. Hinc ex quatuor Iouis comitibus duos dicunt esse Soles, primum scilicet, ac tertium, & duos Lunas secundum videlicèt, ac quartum, ideòque à primo, & tertio ex suis Comitibus aiunt, illuminari, & ipsum Iouem, & alios duos illius Comites ad instar Lunarum. Sed non est cur à communi sententia recedamus, multis enim experimentis comprobatum est Comites Iouis in illius vmbram incidentes eclypsari, quod si aliquis ex illis haberet lucem propriam profectò ab vmbra Iouis non eclypsaretur. Præterea quando Iouis Comites proximè accedūt ad coniunctionem cum ipso Ioue, siue superiorem, siuè inferiorem, ob Iouis fulgorem non videntur, si autem aliquis è Iouis Comitibus esset Sol, longè diuersa horum Syderum phænomena videremus.

6 Circa Stellarum scintillationem duplicem illius causam assignamus, aliam intrinsecam, aliam extrinsecam. Extrinseca rursus potest esse duplex. Primò enim ex magna fixarum distantia, nostrique visus debilitate oriri potest, quod cum illarum species vix nostros oculos moueat, visus valdè laboret, ac spiritus vehementer commoueat, vt Stellas illas possit percipere. Secundò oriri scintillatio potest ex agitatione medij vaporosi, per quod Syderum radij transeunt, non aliter ac lapilli immoti, qui cernuntur in fundo riui currentis videntur tremere, & subsultare ratione motus aquæ, quæ per illorum species transeunt; & confirmari potest primò ex eo, quod iuxta verticem pacatior est scintillatio, iuxta Horizontem verò maximè inquieta. Secundò, quia Sydera hieme magis, quàm æstate scintillant, non nisi quia iuxta Horizontem, & hieme crassiores, ac plures vapores sunt. Intrinseca, & præcipua causa scintillationis fixarum, est ignea natiua viuidaque illarum lux, non aliter ac Sol ratione suæ igneæ, natiuęque lucis scintillat. Si enim intelligamus Solem adeò à nobis remoueri, vt non appareat maior, quam vna è fixis scintillaret profectò æquè ac vna ex illis, & si aliqua è fixis fieret nobis propinqua, sicuti Sol, videtur, quod simili lucis vehementia nostros oculos perstringeret. Planetæ cum careant propria luce scintillare non possunt ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco ratione medij; fixæ verò scintillare possunt, tùm ab extrinseco, tùm ab intrinseco.

7 Hinc sententiarum diuersitas circa scintillationem Planetarum, aliquibus eorum scintillationem affirmantibus, alijs verò negantibus, cum tamen nemo de fixarum scintillatione dubitauerit. Quod enim Planetæ aliquando visi sint scintillare, aliquando non; ratio est, quia cum causa eorum scintillationis non sit ab intrinseco, à natiua scilicet, viuidaque illorum luce, sed ab extrinseco medio vaporoso, ideò aliquibus visi sunt scintillare, quia medium erat adeò vaporosum, vt eorum scintilla-

scintillatio potuerit obseruari. Alij è contra visi sunt non scintillare, quia tunc medium non erat tale, vt parere posset sensibilem scintillationem. E contrà fixæ in quocunque medio scintillant, quia semper adest intrinseca earum scintillationis causa, quamuis pro varietate aliarum causarum extrinsecarum modò earum scintillatio crescat, modò decrescat. Vera ergò erit sententia Aristotelis, quòd Planetæ non scintillant; intelligendus enim est Aristoteles de scintillatione solùm ab intrinseco, cum cæteroqui conuenire ijs omnibus possit scintillatio ratione medij vaporosi. Quod si Planetæ multis superficiebus constant, & circa suum centrum voluuntur, de qua re capite sequenti, scintillarent etiam ratione lucis solaris, quàm modò ex hac, modò ex illa superficie reuerberant, non secus ac si perspicilla polyedra obijciantur Soli, & modò in hanc, modò in illam partem vertantur, videntur scintillare, & huc illuc radios eiaculari, sed adhuc huiusmodi scintillatio dici potest ab extrinseco, quatenus oritur à luce Solis, planetis extrinsecus adueniente, cum scintillatio fixarum oriatur ab intrinseca, seu natiua illarum luce.

CAPVT NONVM.

De Syderum motu, figura, influxibus.

1 Communis Philosophorum, Theologorum, ac Patrum sententia cum Aristotele, & Platone docet Planetas, & firmamentum non moueri ab intrinseco eo modo, quo à proprijs virtutibus motiuis mouentur grauia, & leuia, sed ab extrinseco motore, & quidem ratione, atque intelligentia prædito, si enim videremus nauim per Oceanũ rectissimo tramite ad portum venire, & à portu per eandem omninò viam recedere, rursusque redire, idquè motu constanti, & per multos annos continuato quis diceret illam, vel propria virtute, vel à solo vento rationis experto dirigi, cum ergò per medium fluidum tot sæculorum, decursu Sydera tam vario, & implexo, sed constanti, perpetuòque cursu eandem viam relegerint; dicendum est hoc effici à motore intelligente, ideòque vel à Deo solo, vel per ministerium Angelorum, atqui Deus non consueuit in mundi regimine per se solùm efficere ea, quæ potest facere per causas secundas, ergò Sydera intelligentiarum ministerio mouebuntur. Hic facit, quod habetur Iob 9. *sub quo curuantur, qui portant orbem*, qui locus à plerisque explicatur de Angelis.

2 Non posse Planetas, & Sydera omnia ab vnico Angelo moueri probatur, quia si non potest idẽ Angelus esse simul in Cœlo, & in terra, vt est communis sententia, multò minus poterit vnus Angelus esse in firmamento, vel in Saturno, & in Luna. Suus ergò singulis Planetis videtur assignatus Angelus, non secus ac suus singulis hominibus, cum præsertim hoc exigat pulchritudo, & perfectio vniuersi, ad quam valdè confert sicuti multitudo planetarum, ita multitudo motorum. Ad mouendum firmamentum, vtpotè solidum, & habens sibi affixa Sydera tanquam nodos affixos in tabula vnus Angelus videtur esse satis qui congruentiùs erit, quòd resideat in aliqua parte circuli maximi descripti ex polis, supra quos fit eius motus. Porrò Cœlorum motores esse ex ordine virtutum docet S. Dyonisius cap 17. de Cœlesti Hierarchia; cum enim ordo virtutum sit primus ex ijs, qui deputantur ad externa ministeria, congruenter ex illo assumendi fuerunt, qui præcipuo ministerio vacarent, quale est motus Syderum.

3 Ostendimus alibi implicare, quod idem corpus simul moueatur duplici motu locali, ideòque quamuis quando stella aliqua dicitur moueri pluribus motibus, realiter tamen loquendo, non mouetur nisi vno, licèt, diuersimodè considerato, quo nimirum singulis diebus tendit ab ortu in occasum. Sol enim ex diurna vigintiquatuor horarum reuolutione non absoluit perfectum circulum, itaut præcisè ad illud idem punctum reuertatur, ex quo processit, sed relinquit vnum gradum, quem die proximè sequenti percurrat. Hinc singulis diebus vnum circiter gradum, & singulis annis integram reuolutionem amittit, atque hoc est, quòd ab Astronomis explicatur per duplicem motum, raptum videlicèt, quo singulis diebus spatio 24. horarum moueatur ab Oriente in Occidentem, & proprium, quo ab Occidente in Orientem moueatur spatio vnius anni. Præterea Sol non efficit suas circulationes per lineam perfectè circularem, sed spiralem; nunc ad Austrum nunc ad Aquilonem deflectendo: re igitur vera Sol vnico motu mouetur, qui in plures ab Astrononomis diuiditur, vt motus Solis melius intelligatur. Idem dicendum de alijs Planetis, quorum motus distinctius explicare spectat ad Astronomos.

4 Quæritur vtrum Sol, & Sydera non modò circà terram, sed etiam circà proprium centrum vertantur. De Sole hoc affirmant, & probant multi ex motu macularum, & facularum, ex quibus colligit Scheiner Solem circà suum centrum motu proprio simplicique conuerti in diebus præcisè 24. Lunam pariter mẽstruè circa suum centrum conuerti putant quotquot eius motum explicant per Epicyclos, si enim motu epicyclari agitur, cum semper eandem ad nos faciem conuertat necessè omninò est, quòd circà suum centrum vertatur. Sed cum non omnes explicent motum Lunæ per epicyclos de eius integra vertigine non videtur constare; quamuis aliqua librario etiam

admissa Cœli fluiditate ex eius maculis benè inferatur; Iouis etiam libratio colligitur ex fascijs, cum quibus diuersimodè diuersis temporibus est obseruatus, visus enim aliquando est cum tribus, aliquando cum duabus fascijs ijsque nunc valdè inter se distantibus, nunc inuicem propinquioribus, &c.

5 Solem esse figuræ sphæricæ probant aspectus maculæ, & radij; quos in orbem proijcit; Ità verò debuit institui tùm, vt eius actiuitas esset maior, tùm vt cum maiori æqualitate suum lumen diffunderet. Reliquos etiam Planetas esse sphæricos patet ex eorum illuminatione falcata, qualem haberi vidimus non solùm in Luna, sed etiam in Venere, & Marte; si enim hi planetæ essent figuræ planæ non illuminarentur successiuè, & cornicularitér, sed toti simul, si verò essent concaui prius illuminarentur in partibus à Sole remotioribus non aliter, ac valles prius illuminantur in partibus illis, quæ magis à Sole distant, non tamen sunt corpora perfectè sphærica, præsertim enim in Luna partes, quæ sunt magis illustratæ sunt prominentes instar montium, partes obscuriores sunt depressæ instar vallium. Præterea si Luna per tubum opticam spectetur, quando est semiplena, pars illuminata non separatur à tenebrosa linea recta, vt fieri deberet si globus lunaris esset perfectè sphæricus, sed sectio luminis, & vmbræ apparet tortuosa, & angularis eo planè modo, quo separatur pars illuminata terræ à parte tenebrosa, vbi sunt montes, & valles. Demum Planetæ ad reflectendum lumen Solis non debuerunt esse perfectè sphærici, sed multis faciebus distincti; corpus enim perfectè sphericum ex vna tantùm sui parte reuerberat lumen, vt constabit in speculo conuexo, & perfectè leuigato, si per illud excipiantur radij solares, & reflectantur in parietem.

6 Corpora cœlestia agere in inferiora certum est, vndè enim lumen, vndè calor, tempestatum vicissitudines, &c. nisi ex actione corporum cœlestium. Hinc cœlestia corpora, quæ sunt sublunaribus viciniora magis sensibiliter agunt, Lunæ etenim ventos, & imbres tribuimus, ostrea, conchilia, & alia multa testacea quæ cum Luna crescunt, & decrescunt, & præter alia multa ligna excisa in plenilunio carie corroduntur, vtpotè tunc temporis multo humore repleta, qui à Luna tunc magis inferioribus communicatur, quando est plenior. Agunt autem corpora cœlestia per lumen, & calorem, quem vnà cum lumine producunt, agunt etiam per alias virtutes occultas, seu qualitates innominatas, si enim rebus sublunaribus magneti verbi gratia, alijsquè multas huiusmodi virtutes occultas tribuere cogimur quidni eas etiam corporibus cœlestibus tribuamus? Adde quod tanta Syderum multitudo, tot, ac tam varij illorum motus, atque concursus uideri possent superflui, nisi dicamus, quod ex diuersis Astrorum virtutibus diuersimodè coniunctis multiplex effectuum diuersitas oriatur.

7 Porrò agunt corpora cœlestia tum in elementa, quæ à corporibus cœlestibus illuminantur, calefiunt, refrigerantur, attrahuntur, agitantur, &c. tum in mixta inanimata, in lapides scilicèt, & metalla producendo aurum, aliaquè fossilia tum etiam in plantas animalia, & corpora humana, eorum humores augendo, imminuendo, alterando, &c. In animam rationalem vt potè spiritualem directè non agunt, indirectè tamen in illam, eiusque actiones influunt, cum enim Sydera possint corporis humani humores alterare, indirectè etiam in mores influunt, qui corporis temperamentum sequuntur, sed ita vt nulla ex parte lædatur libertas.

8 Demum cessante motu, & influxu corporum cœlestium multæ etiam cessarent corporum sublunarium actiones, neque enim daretur ortus herbarum, & animalium, sicuti nunc datur. Cœterùm non ea videtur esse corporum inferiorum à superioribus dependentia, vt cessante illorum motu, & influxu statim omnis necessariò cessare deberet corporum inferiorum actio, tum quia nulla est ratio hanc maximam dependentiam inuehendi, tum quia cessante motu Cœlorum, cur lapis in aere pendulus remoto omni impedimento non posset descendere? cur ignis stuppæ applicatus non posset illam comburere, &c.

DISTIN-

DISTINCTIO NONA.

De Generatione, & Alteratione.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Generatio substantialis.

1 QVemadmodum ens absolutè, & simpliciter dictum significat solùm substantiam, ita nomine generationis simpliciter dictæ venit motus ad substantiam, & solius substantiæ productio. Hinc secundo Physicorum textu 14. dicitur esse *via ad naturam* hoc est ad formam substantialem. Definitur autem generatio iuxta hanc acceptionem ex Aristotele hic textu 23. mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem. Ponitur loco generis *mutatio*, quæ est quid commune ad quemcunque transitum tam productiuum, quàm corruptiuum, & tam per conuersionem à termino à quo positiuo, quàm per transitum à termino à quo priuatiuo, est etiam genus tàm respectu transitus ad terminum substantialem, quàm respectu transitus ad terminum accidentalem; hoc tamen prædicatum genericum contrahitur per illas particulas *totius in totum* ad significandum solum transitum à termino à quo positiuo substantiali, ad terminum positiuum substantialem, ideòque significat transitum conflatum ex duplici transitu, altero corruptiuo, altero productiuo. Cum enim Aristot. definierit hic generationem substantialem naturali, & ordinario modo factam, quàm solùm ipse cognouit, de huius conceptu est, quòd totum substantiale præcedens mutetur in totum substantiale subsequens, quod naturaliter fieri non potest nisi per corruptionem totius præcedentis, & productionem totius subsequentis. Atque hac de causa dixit Aristoteles generationem vnius esse corruptionem alterius, quòd axioma malè explicatur, per hoc, quòd generationem vnius comitetur corruptio alterius, nam non ex eo, quòd duo concomitanter ponantur, vnum dicitur esse aliud, melius ergò hoc verificatur ex eo, quod generatio vnius ordinario modo facta est complexum ex duplici transitu, altero corruptiuo substantiæ præcedentis, altero productiuo substantiæ subsequentis, ideòquè generatio sic accepta verè est corruptio alterius. Porrò definiuit hic Aristoteles generationem sub conceptu conuersionis, cum initio Physicæ definisset mutationem rei naturalis secundùm ea, quæ præcisè requiruntur ad essentiam transitus, quia initio Physicæ loquebatur magis abstractè, hic verò agit de generatione magis in particulari, & prout de facto accidit.

2 Adduntur in definitione particulæ illæ *totius in totum*, per quas designatur generationem esse mutationem totius compositi substantialis in aliud compositum, & totum substantiale, quod fine addito dicitur totum; ad hoc autem, vt dicatur totum mutari, & corrumpi satis est si pereat vnio, ea enim pereunte non est amplius idem totum. Demùm dicitur *nullo sensibili remanente vt subiecto eodem*. Per mutationem enim substantialem nullum remanet subiectum denominationis, & per se demonstrabile, quod simpliciter dicitur subiectum, licèt remaneat subiectum receptionis; Atque hoc indicatur per particulas illas, *vt subiecto eodem*, non enim omne subiectum negatur remanere, sed subiectum idem, hoc est subiectum completum denominationis quale dabatur prius, & quod simpliciter dicitur subiectum contra id, quod accidit in alteratione, in qua non solùm remanet idem subiectum receptionis, sed etiam idem subiectum denominationis.

3 Dices non est de essentia generationis esse mutationem; si enim ab æterno fuisset productus equus nulla fuisset mutatio. Præterea initio Mundi non præcessit materia cum carentia formæ, & tamen hæ fuerunt generationes. Sed contra, quia hæ non sunt generationes hic definitæ ab Aristotele, qui, cum posuerit successiuas generationes rerum ab æterno, nullam agnouit generationem, quæ non habuerit aliam ante se, & quæ propterea non includat corruptionem. Quamuis autem nos aliquam aliam generationem agnoscamus ignotam Aristoteli, cum tamen acceptio nominum sit arbitraria possumus cum Peripateticis nomine generationis intelligere, & definire solùm illam quæ est conuersio, ne sine vllo emolumento immutemus acceptionem nominum vsurpatam ab Aristotele.

4 Ad corruptionem totius præcedentis, & generationem subsequentis vna tantùm datur actio positiua, per quam scilicèt totum subsequens generetur, formalis enim corruptio totius præcedentis habetur per hoc præcisè, quod non ponatur illius conseruatio. Hæc autem vnica actio positiua est distincta à præuia alteratione, productio enim vltimi complementi dispositionum est prior natura productione formæ substantialis, cum ex præuisione, & ad exigentiam vltimi complementi dispositio-

num moueatur Auctor naturæ ad ponendam formam, & terminum, vel solam vnionem, quæ sola in composito humano educitur de potentia materiæ, & ponitur à generante; in alijs verò compositis materialibus terminatur ad formam, & vnionem, quæ ex alibi dictis, simul natura, & per eandem actionem fiunt, quanquam, si formaliter loqui velimus hæc actio erit generatio, quatenus intelligitur terminari ad vnionem, primò quia in composito humano habetur tota essentia generationis per hoc præcisè, quòd producatur vnio, & si forma materialis existeret conseruata miraculosè extrà materiam, per hoc præcisè, quòd intelligeretur produci vnio, intelligeretur generatio totius. Secundò vnio est causalitas intrinseca totius, ergò cum generatio sit extrinseca causalitas totius, illa actio erit, formaliter loquendo generatio, per quam causatur intrinseca causalitas totius, ergò generatio formaliter, & præcisè loquendo erit actio, quà producitur vnio.

5 Dices non dari generationem distinctam ab vltimo præuiæ alterationis complemento, eò quòd posita præuia alteratione forma resultet. Sed contra, quia quid est resultare, nisi produci? Certè quidquid sit resultare, non potest nisi subsequi ad positionem vltimi complementi dispositionum. Prætereà cum vltimum complementum dispositionum, sit quid accidentale, si per eandem actionem, produceretur substantia, & accidens, quod non est dicendum. Atque hoc est de re. Verum cum aliquando Aristoteles nomen generationis vsurpauerit ad significandam præuiam alterationem terminatam instantanea eductione, nil vetat, quod nos etiam ita aliquando loqui possimus, dummodò in re conueniamus.

CAPVT SECVNDVM.

De subiecto accidentium communium, & vtrum in generatione detur resolutio vsque ad materiam primam.

1 Totum non est nisi subiectum denominationis respectu accidentium communium; subiectum enim sustentationis non est forma substantialis, sed materia, probatur quia superfluum est vni accidenti duplex assignare subiectum inhæsionis, per hoc enim, quòd vnum respectu illorum detur subiectum sustentationis, sufficienter habetur, quòd non creetur, & si respectu formarum substantialium vnum datur subiectum, cur non etiam vnum sufficit formis accidentalibus. Secundo, in composito humano respectu quantitatis vnum datur subiectum inhæsionis, ergò respectu eiusdem, & aliorum accidentium in alijs etiam compositis vnum satis erit subiectum inhæsionis. Tertiò accidentia communia sunt dispositiones ad formam substantialem, ergò sunt priora natura respectu formæ substantialis, ergò non possunt ab illa sustentari. Dixi accidentia communia habere prioritatem naturæ respectu formæ substantialis, quamuis enim ordine intentionis prius sit vnum per se, & substantiale, quàm vnum per accidens, ordine tamen executionis prius est vnum per accidens, sicuti ordine executionis priora sunt media, quam finis.

2 Probabilius tamen est solam quantitatem immediatè subiectari in materia, alia verò accidentia communia subiectari immediatè in quantitate, & mediante quantitate in materia; ratio autem maioris probabilitatis est, tum communis Auctorum sententia, tum quia sic minus difficile redditur mysterium Eucharistiæ, neque in illo multiplicamus sine necessitate miracula; Primò enim quando species Eucharisticæ ab igne, v. g. calefiunt, gratis dicitur, quòd ignis verè non sit causa talis caloris, si autem admittatur verè esse illius causa, cum hic non possit creare, debet producere, calorem dependentem ab aliquo subiecto sustentante: non substantiali, cum tota panis substantia perierit, ergò accidentali, quod erit quantitas. Secundò congruentius est dicere, quod detur subiectum aliquod commune, in quo cætera accidentia Eucharistica recipiantur, & connectantur, aliter manerent sicut arena sine calce, nec apparet quomodò ad motum vnius accidentis deberent etiam moueri alia, cur enim dum accidens grauitatis descendit, descendunt etiam alia accidentia, quæ de se præcisè non inclinant ad motum, imò etiam si cuique accidenti des propriam grauitatem calor vel habebit positiuam leuitatem, vel certè non tantam grauitatem, quanta debetur cæteris accidentibus, cur ergo omnia æquali cæleritate descendent, si in aliquo communi subiecto non vniatur? multiplicabis fortasse miracula, sed quæ necessitas est in illis multiplicandis, cum sine vllo inconuenienti possimus dicere reliqua accidentia subiectari in accidente quantitatis? Neque obstet quod à Concilio Costantiensi dicantur accidentia Eucharistica manere sine subiecto; communis enim Theologorum sententia hoc intelligit de subiecto remoto; & substantiali conformiter ad id, quod solùm vult Tridentinum, quòd scilicèt pereat tota substantia panis, ac vini. Neque pariter obstat, quod accidentia sint dispositiones materiæ ad recipiendam formam substantialem, hoc enim præstare possunt accidentia, etiam si in materia immediatè non subiectentur; nam si accidentia producta in passo determinant causam efficientem ad productionem huius potius formæ, quàm alterius, cur

non

non poterunt accidentia disponere, & determinare materiam ad receptionem formæ, quamuis in illa solùm mediatè subiectentur?

3 In generatione substantiali non datur resolutio vsquè ad materiam primam, sed multa accidentia, quæ præfuerunt in toto corrupto remanent in genito. Probatur tùm experientia, tùm quia quando quis gelidissimis aquis suffocatus moritur, non est assignabile à qua causa productus fuerit calor aliquis, qui statim post mortem reperitur saltem in corde, neque enim hic calor produci potuit à frigore extrinseco, vt patet, neque à forma cadauerica, tùm quia hæc est exigitiua frigoris, tùm quia, si hæc haberet vim producendi calorem, haberet etiam vim ad illum sibi conseruandum. Accidentia, quæ præfuerunt, non possunt quidquam causare, quando non sunt; licet enim, quod præstitit, prout perseuerans in mente agentis possit esse determinatiuum, conditionale illud tamẽ, quod actu non existit, non potest esse determinatiuum causale. Neque dicas produci calorem à spiritibus latentibus, nam quæ tanta, ac tàm actiua spirituum copia potest hæc esse, vt cum fortasse nullo modo sint in se immediatè sensibiles, citò tamen tàm sensibilem calorem producant; Prætereà tanta organorum diuersitas, ad cuius primam efformationem tanto tempore opus fuit, quomodo tàm citò de nouo producitur ab hisce spiritibus, & quidem absquè vllo fine, cum formæ cadauericæ nihil hæc organa inseruiant, ideòquè statim incipiant destrui. Si reccurras ad causam primam non erit philosophicũ si ad sigillationem Thomisticam hæc vel est aliquid, vel nihil, si aliquid cum pereat tota forma, & vnio substantialis, erit aliquod accidens, quod remanet in materia, ideòquè nõ dabitur resolutio vsquè ad materiam primam, si nihil est, nullam causam assignasti.

4 Dices primò ex Aristotele in generatione substantiali fit mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, ergo nullum accidens sensibile remanet. Respondeo, in generatione substantiali nullum sensibile remanere, quod sit subiectum idem, hoc est, vt supra explicuimus, quod sit idem subiectum denominationis, & substantia completa, quod verò ità sit intelligendus Aristoteles probatur, quia Aristoteles in definitione motuum semper nomen subiecti accipit pro substantia completa. Secundò, quia Aristoteles hic tex. 23. afferens definitionem generationis, & assignans discrimen inter alterationem, & generationem ait, quod in alteratione manet idem subiectum sensibile, secus in generatione, sed subiectum sensibile, quod manet in alteratione, non sunt accidentia sensibilia calor, albedo, &c. tùm quia hæc per alterationem corrumpuntur, tùm quia hæc non sunt subiectum aliorum accidentium, ergo subiectum sensibile, quod ab Aristotele dicitur manere idem in alteratione, est subiectum denominationis, & substantia completa, ergo hoc etiam erit id quod dicit in generatione non manere idem. Porrò dum Aristoteles capite de substantia docet, quod corruptis primis substantijs impossibile est aliquid eorum remanere, loquitur de gradibus metaphysicis, qui omnes pereunt pereunte indiuiduo, quod est prima substantia.

5 Dices secundò, sequeretur, quod materia arctius necteretur cum accidentibus, quàm cum forma substantiali, si quando deperdit formam substantialem non deperderet etiam accidentia. Respondeo cum aliquibus accidentibus modalibus, vbicatione videlicèt, duratione, &c. necessariò artius necti materiam, quam cum forma substantiali, quia sine vlla forma substantiali potest materia diuinitus existere, non tamen sine vlla vbicatione; nullum ergo est absurdum, quod materia cum aliquo accidente, v.g. cum quantitate arctius nectatur, quàm cum forma substantiali, tùm quia quantitas est materiæ proprietas, tùm quia quantitas nullum habet contrarium. Cum autem benè coheret, quod materia cum forma substantiali faciat vnum per se intentum à natura, cum forma verò accidentali vnum per accidens, quamuis difficilius dissoluibile, tùm quia aliqua accidentia non habent contrarium, tùm quia aliqua accidentia æquè cum hac, & illa forma substantiali stare possunt, ideòquè difficilius deperduntur.

CAPVT TERTIVM.

Quænam sit causa immediatè productiua accidentium?

1 PRoduci immediatè à substantia aliquod accidens in se ipsa probatur quia nulla est assignabilis alia causa, à qua frigus deperditum reproducatur in aqua, vel ferro tam enim alia accidentia, quàm ambiens extrinsecum nõ sunt apta producere tantum frigus, cum sæpè ambiens extrinsecum habeat remissius frigus, quàm sit id, quod reaquiritur ab aqua. Prætereà forma substantialis aquæ, vel ferri eligit in se sua accidentia, & proprietates, cur non ergo aliquod saltem ex illis in se immediatè producet. Dixi aliquod saltem, quia etiam si ab vno accidente producto per virtutem substantiæ producantur deindè alia accidentia, aliquod saltem accidens, quale est frigus debet à forma substantiali aquæ immediatè produci, & quidem per emanationem, quæ tamen est vera efficientia, emanatio enim non differt ab alia quacunque actione nisi ex eo, quod actio emanatiua necessitate quadam naturali sequitur essentiam.

2 In extraneo tamen subiecto potest ab aliquo accidente sinè concursu immediato substantiæ creatæ

creatę produci aliquod aliud accidens, quando enim aqua calefacta calefacit manū, calor in manu nō poteſt produci à ſubſtantia aquæ, vt per ſe patet, ergo à ſolo calore exiſtente in aqua ſinè immediato concurſu vllius ſubſtantiæ creatæ. Prætereà calores in quocunque ſubiecto ſint ſemper æquè producunt ſpecies ſui. Ex hoc autem inferimus, quod ad producenda accidentia in extraneo ſubiecto nunquam concurrant niſi ſola accidentia. Calor enim, v.g. tantæ intenſionis exiſtens in ſubiecto habente tantam denſitatem producit tantum calorem, & tanta celeritate in extraneo ſubiecto, ſiuè ſubiecto, & ſubſtantiæ, in qua ineſt talis calor debeatur ipſe calor, ſiuè non, ergo ſignum eſt manifeſtum ſubſtantiam in ordine ad producendum calorem in extraneo ſubiecto impertinenter ſe habere, & totam actiuitatem in extraneo ſubiecto haberi penes ſola accidentia. Et quidem ſi, vt probabimus capite ſequenti, accidentia ſinè immediato concurſu ſubſtantiæ creatæ ſunt productiua alterius ſubſtantiæ, multò magis erunt ſine concurſu immediato ſubſtantiæ productiua accidentium in alieno ſubiecto

4 Ex his autem vlterius inferimus, quod ſi ſubſtantia ignis, v.g. miraculosè exiſteret ſinè omnī calore, non tamen poſſet producere calorem. Si enim de facto, & in ordine naturali nunquam ſubſtantia concurrit immediatè ad productionem accidentium in alieno ſubiecto, neque dicendum eſt, quod ſubſtantia habeat vim, qua poſſit hoc facere in caſu miraculoſo, neque enim dicendum eſt, quòd fuerit data ſubſtantiæ vis aliqua, quæ pro omnibus caſibus naturalibus ſit fruſtranea, nec reducibilis in actum, niſi in caſu miraculoſo. Neque dicas eandem virtutem, qua aqua, v.g. producit frigus in ſe eſſe ſatis ad illud in alieno ſubiecto producendum, nam maior virtus requiritur ad aliquid producendum in ſe, & in alio, quàm ad illud producendum in ſe ſolo, ſic magna eſt virtus Dei ex eo, quod non ſolùm ipſe intelligit, ſed etiam alios facit intelligere, quod Angelo non competit, quarè licèt frigus, quod aqua producit in alieno ſubiecto ſit eiuſdem rationis cum frigore, quod habet in ſe, quia tamen maior requiritur virtus ad poſſe immediatè producere frigus in ſe, & in alieno ſubiecto, quàm ſolùm in ſe, hinc ſinè poſitiuo argumento non eſt dicendum, quod aqua acceperit vim ad immediatè producendum frigus non ſolùm in ſe, ſed etiam in alieno ſubiecto, cum huiuſmodi amplior virtus pro quolibet caſu naturali eſſet fruſtranea.

5 Atquè hinc patet diſparem eſſe rationem de motu grauium, & leuium in vacuo, nam ad motum in vacuo minor vis requiritur, quàm ad motum in pleno, plus enim requiritur ad operandum quando adeſt reſiſtentia contrarij, quàm quando non adeſt; ideòquè virtus motiua data ſolùm directè pro caſibus naturalibus ſe etiam indirectè extendit ad motum producendum facta ſuppoſitione miraculoſa, quia ea poſita minus requiritur.

CAPVT QVARTVM.

De Cauſa immediatè productiua ſubſtantiæ.

1 ALiqua accidentia de ſe ſola ſinè immediato concurſu ſubſtantiæ creatæ eſſe cauſam effectiuam alicuius ſubſtantiæ probatur ex animalibus, quæ naſcuntur ex putri, ex pullis, qui ex ouis excluduntur in furno, & ex plantis, atquè animalibus, quæ naſcuntur ex ſemine, hæc enim omnia producuntur à ſolis accidentibus ſinè concurſu ſubſtantiæ creatæ, nulla enim eſt aſſignabilis ſubſtantia creata à qua producantur. Primò enim ſi dicas, hæc produci à Sole, & Syderibus, adhuc non aſſignaſti cauſam ſubſtantialem æquè perfectam, nam Sol, & Sydera non ſunt animata, ſicuti animati ſunt hi effectus, ſi ergo nullum exiſtimas incōueniens, quod aliquid animatum producatur ſine immediato concurſu cauſæ ſecundæ animatæ, cur ſinè inconuenienti non poterit ſubſtantia produci abſque immediato concurſu ſubſtantiæ creatæ. Quamuis autem Sol, & Sydera moueantur ab intelligentijs, ſi tamen non ab intelligentijs, ſed à propria aliqua virtute inanimata mouerentur, adhuc poſita tali accidentium conbinatione æquè naſcerentur animalia ex putri, pulli excluderentur, &c. Confirmatur intelligentiæ non concurrunt ad productionem ranæ, niſi quatenus imprimunt impulſum Cœlis, ſeù Syderibus, cum autem quilibet impulſus ſit eiuſdem rationis, vt probabimus, vbi de virtutibus motiuis elementorum, non cōcurrunt intelligentiæ prout viuentes ſunt ad productionem ranæ, v.g. quia æquè à tali impulſu non producto dependenter à principio vitali ſequerentur ijdem effectus.

2 Sed neque pro cauſa effectiua horum effectuum aſſignari poſſunt vel formæ ſubſtantiales elementorum terræ, aquæ, &c. ex quibus naſcitur rana, neque forma ſubſtantialis ſeminis, ex quo naſcitur planta, vel animal, nam ſi forma ſubſtantialis ſeminis concurreret efficienter ad producendā formam plantæ, concurreret ad productionem ſui deſtructiui, forma enim plantæ deſtruit formam ſeminis. Idem dicendum de formis ſubſtantialibus elementorum, hæ enim ex dicendis per aduentum formæ mixti pereunt, ſed etiam ſi manerent ſimul cum forma mixti, adhuc cum formæ elemētares ſine forma mixti eſſent formæ principales, per aduentum autem formæ mixti euadant minus principales, & ſubditæ, atquè in officio contentæ à forma mixti principaliori non poterunt formæ elemen-

elementares concurrere ad deperditionem sui principatus, solùm enim indirectè, & mediatè potest quis concurrere ad sui malum, quatenus scilicèt producit aliquid sibi bonum, sed quod trahit secum aliquod malum; at quod forma substantialis directè, & immediatè concurrat efficienter ad producendam aliam formam, à qua ipsa forma producens destruatur, non est vllo modo dicendum. Cum ergo nullam substantiam creatam inueniamus, à qua possint hi effectus immediatè produci, cogimur dicere, quod producantur sinè concursu immediato substantiæ creatæ per solam efficientiam accidentium.

3 Dices primò, produci hos effectus à sola causa prima ad præsentiam talium accidentium tanquam conditionem; sed contra quia dicam etiam quod ignis, v.g. producatur à solo Deo ad præsentiam ignis A, tanquam conditionis, si ergo quia ad præsentiam ignis A. Videmus produci ignem B. dicimus ignem A. esse veram causam, ita quia ad præsentiam talium accidentium videmus produci talem substantiam, & non est alia causa secunda, cui eius productio tribui possit dicendum verè est à talibus accidentibus produci talem substantiam. Neque dicas produci ignem posita vbicatione, & duratione ignis, nec tamen vbicationem, & durationem esse causas; est enim dispar ratio, tum, quia, vt sæpè diximus modis non est tribuenda maior virtus, quàm quæ est necessaria ad tollendam eam indifferentiam, propter cuius ablationem sunt instituti, tùm quia vbicationi, & durationi non est peculiare bonum productio ignis, quàm aquæ, tùm demùm præcipuè, quia habemus aliam causam in quam possimus refundere productionem ignis B. ipsum scilicet ignem A. ideòque nulla est necessitas dicendi, quod vbicatio, & duratio sint causæ, at in effectibus, de quibus loquimur, nullam habemus causam secundam, cui eorum efficientiam possimus tribuere, ideòquè nè dicamus fieri à solo Deo, eorum efficientiam tribuimus accidentibus.

4 Dices secundò, sequeretur, quod accidentia imperfectiora substantia producerent substantiã perfectiorem. Respondeo, cum ex supradictis nullus effectus causarum secundarum poni possit nisi ad illum immediatè concurrat causa prima, nullum est inconueniens, quód ab accidentibus concurrentibus tamquam causa partialis producatur aliquid perfectius causa partiali, sed non aliquid perfectius causa totali. Hinc satis est si totam substantiæ productæ perfectionem reperiamus in Deo simul, & accidentibus. Similiter ex perfectione effectus debemus posse arguere perfectionem causæ, sed non est necesse, quod possimus arguere perfectionem causæ inadæquatæ; satis enim est, quod possimus arguere perfectionem causæ adæquatæ, quam cum ingrediatur causa prima, nullum est dubium, quin causa quælibet adæquata sit perfectior effectu. Adde etiam si sola accidentia immediatè concurrant ad productionem substantiæ, semper tamen concurrere, vt instrumenta substantię non quod dependenter ab aliquo influxu substantiæ, hinc, & nunc operentur, sed quod ipsa accidentia cum sint entis entia sunt instrumenta substantiæ, & operantur solùm in bonum substantiæ, quare ex perfectione cuiusquè effectus possumus arguere perfectionem causæ etiam creatæ sed perfectionẽ causæ creatę saltem principalis, vt enim dicemus capite sequenti ex perfectione ranę productæ arguere possumus perfectionẽ conbinationis omnium illarum substantiarũ, à qua producta fuit taliũ accidentium conbinatio ex qua deindè fuit immediatè producta rana. Cæterum si vlterius velis, quod causa secunda immediatè producens debeat præcontinere omnem perfectionem effectus, dico hoc esse falsum, imò assero à nulla causa secunda præcontineri adæquatè omnem perfectionem effectus, & hac de causa diximus superius nullum posse produci effectum, ad quem Deus non immediatè concurrat.

5 Dices tertio, in accidente nullum prædicatum substantiæ præcontineri, sed contra, quia accidens est ens, est existens, est materiale, licèt autem substantia sit ens perfectius, sit perfectius existens, &c. hoc tamen non probat, quod simul cum Deo ens imperfectius, non possit concurrere ad producendum ens perfectius, sicuti graue vt vnum positum in vna bilance simul cum alio graui vt sex potest concurrere ad producendum impulsum perfectiorem vt septem inmobili posito in alia bilance. Cum autem calor vt vnum v. g. existens in vno subiecto non similiter possit simul cum calore vt quatuor existente in alio subiecto concurrere ad producendum in aliquo tertio subiecto calorem, vt quinque, dicetur vbi de graduum homogeneitate; neque enim ex eo, quod aliquæ experientiæ ostendant, quod in aliquibus effectibus non sit necessaria causa æquè perfecta, idem etiam dicendum est in omnibus; debemus enim in his sequi tanquam ducem experientiam, & ex illa discere, cui nam causæ perfectiori vel imperfectiori data fuerit virtus ad productionem huius, vel illius effectus; sicuti enim ex perfectione causæ præscindendo ab experientia non licet inferre, quod possit effectum aliquem producere, cum nequè albedo producat albedinem, nequè sol alium solem, ita ex eius imperfectione non licèt inferre; quod non possit.

6 Sicuti ex eo, quod constat aliqua accidentia esse immediatè productiua aliorum accidentium in extraneo subiecto, intulimus capite superiori, quod quælibet accidentia in extraneo subiecto producantur immediate à solis accidentibus, ita ex eo, quod ad productionem aliquarum substantiarum non concurrant immediatè nisi sola accidentia, dicimus nunc, quod ad nullius substantiæ productionem immediatè concurrant nisi sola accidentia. Probatur plures formæ substantiales etiam animatæ anima sensitiua æquè producuntur, siuè adsit, siuè non adsit talis substantia, cui tribui possit substantia producta, ergo si quando non adest substantia cui tribui possit substantia producta,

hæc

hæc producitur à solis accidentibus, etiam quando adest substantia, cui substantia producta tribui posset hæc non produceretur, nisi à solis accidentibus. Probatur consequentia, si quando fouentur oua à Gallina hæc cõcurreret immediatè ad productionẽ pulli, vel accidentia tantùm influerent, quãtum influxissent absente Gallina, vel non, si primũ, influxus immediatus gallinæ esset superfluus, cum enim per influxum immediatum gallinæ neque effectus ponatur citius, neque melius, & sola accidentia ad effectum tali modo ponendum supponantur habere sufficientem vim, quidquid maioris influxus ponitur à substantia gallinæ est superfluum, ideòquè non admittendum. Quod si dicas accidentia præsente substantia non tantùm influere, quantum influxissent illa absente, eo modo, quo Deus dùm concurrit cum causa secunda non tantùm influit, quantùm influeret si se solo produceret effectum: Contra est, quia benè intelligimus, quomodo causæ liberæ possint ad suum libitum exerere nunc maiores, nunc minores vires, at causa necessaria, sicuti sunt accidentia eodem modo applicata passo semper eodem modo influit, neque enim calor, & alia accidentia ex eo, quod adsit substantia gallinæ, propterea vel habent minores vires, vel minus, aut minori immediatione sunt applicata passo, ergo gratis diceretur, quod à substantia gallinæ impediantur, nè tantùm influant, quantùm influxissent si substantia gallinæ non adfuisset.

7 Neque dicas à substantia gallinæ præueniri actiuitatem accidentium, nam potius deberet accidere oppositum, in ordine enim ad productionem accidentium in extraneo subiecto, ideò calor ignis, & non ipsa substantia ignis producit calorem in ligno, quia vt asserunt ij, quorum est hæc obiectio calor, qui est in igne, præcurrit actiuitatem substantiæ ignis, ergo cũ probauerimus sola accidentia habere vim immediatè producendi pullum, hæc non præueniuntur, sed potius præuenirent actiuitatem substantiæ, si quæ actiuitas in substantia daretur ad agendum in extraneo subiecto. Neque rursus dicas vnam substantiam esse proportionatam ad aliam substantiam immediatè producendam, nam quod ab hoc possit, vel non possit produci illud, non benè colligitur, vt supra innuimus, ex eo quod vnum sit magis, vel æquè perfectum ac illud, neque enim sol producit solem, neque vna albedo producit aliam, quod ergo vnum habeat vim effectiuam respectu alterius non potest nobis aliundè innotescere, quàm à posteriori, & ab experientia.

8 Porrò accidentia immediatè productiua substantiæ sunt sola accidentia producta, & existentia in passo. Hæc enim sola habent de se sufficientem virtutem producendi immediatè substantiam, ideòque sicut ex eo, quod sola accidentia habent de se vim producendi substantiam, diximus sola accidentia concurrere immediatè ad illius productionem, ita quia sola accidentia producta in passo habent sufficientem vim producendi substantiam, solùm ab his producetur immediatè substantia. Quod verò sola accidentia producta in passo habeant hanc vim. Probatur, quia si sit subiectum ita dispositum, vt si accedat modicum caloris debeat resultare forma v. g. lapidis, etiam si modicus hic calor producatur, v. g. ab aere, resultabit nihilominùs forma lapidis; In hoc ergo casu vnum tantùm accidens caloris est in aere proportionatum formæ lapidis, quæ producitur, reliqua enim accidentia aeris, humiditas, raritas, &c. sunt lapidi contraria, ergo non poterit lapis produci ab accidentibus existentibus in aere agente, nisi ad summum à solo accidente caloris existentis in aere. Verùm si alia accidentia, quæ sunt in passo sine immediato concursu illorum accidentium, à quibus fuerunt producta, sunt sufficiens causa productiua formæ lapidis, dicendum erit, quod etiam calor productus in passo sine immediato concursu caloris existentis in aere sit causa immediata formæ lapidis. Et quidem si hæc vltima modici caloris dispositio non ab agente calido, sed à solo Deo fuisset miraculosè producta, quis dicat, quod naturaliter deindè non æquè resultasset forma lapidis, ergo verè sola accidentia producta in passo sunt causa sufficiens productiua substantiæ.

9 Dices, sequeretur, quod accidentia, quæ sunt in passo, sicuti sunt productiua, ita etiam essent conseruatiua formæ substantialis. Respondeo hanc sequelam esse falsam, quia accidentia, quæ respectu minimi primæ productionis sunt priora natura post primum illud minimum incipiunt esse posteriora forma substantiali. Si enim accidentia deperdantur, recuperantur per virtutem formæ substantialis, ergo sicuti recuperatio accidentium debitorum formæ substantiali est ipsa forma substantiali posterior, ita conseruatio eorundem accidentium erit eadem forma substantiali posterior, ideòque cum forma substantialis non conseruetur ab accidentibus, à quibus habuit primum minimum productionibus, nec alia sit causa secunda, à qua possit conseruari, eius conseruatio erit à solo Deo.

10 Sicuti diximus capite superiori, quod si substantia, v. g. ignis existeret spoliata omni calore, non posset producere calorem in extraneo subiecto, ita consequenter hic dicendum est, quod si substantia, v. g. ignis existeret sine omni calore non posset immediatè producere ignem, v. g in ligno, si enim in illo non posset producere calorem, & alia accidentia immediatè productiua ignis, neque posset producere ipsum ignem. Dicere verò, quòd ignis omni calore spoliatus habeat virtutem producendi de se immediatè alium ignem, est dare igni virtutem pro omnibus casibus naturalibus frustraneam, & quæ præterea sine positiuo argumento non est asserenda.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Quæ nam sit causa principalis eorum, quæ generantur ex putri, aliorumquè similium.

1 BEnè pro causa principali horum effectuum assignantur substantiæ illæ, à quibus proximè producta fuit talium accidentium combinatio, ex qua deindè oritur talis effectus; ex alibi enim dictis de causa principali, & instrumentali Causa principalis est illa, quæ habet rationem finis, cui opus factum est bonum naturaliter debitum, sicut autem vni substantiæ producenti aliam substantiam substantia producta est bonum naturaliter debitum, ita complexo substantiarum producentium mediantibus talibus accidentibus aliquam substantiam substantia producta est bonum naturaliter debitum, licèt enim combinatio talium substantiarum, & accidentium, quæ ex illis oriuntur sint quid per accidens, ea tamen supposita effectus productus naturaliter debetur substantijs taliter combinatis, cum hæ habeant de se secundum necessitatem naturæ producere tales effectus non minùs, quàm ex combinatione maris cum fœmina, seminis cum terra habeatur secundum necessitatem naturæ productio talium effectuum, & sicuti ex mare, & fœmina integratur causa principalis vniuoca, ità ex pluribus substantiis integratur causa principalis æquiuoca. Dixi pro causa principali horum effectuum assignari substantias illas, à quibus proximè producta fuit talium accidentium combinatio, nam substantiæ à quibus illa producta fuit remotè, sunt causa causæ principalis.

2 Dices primò, rana producta nullum est bonum earum substantiarum à quibus producta fuit combinatio accidentium, à quibus immediatè orta est rana; nequè enim rana producta propagat in speciè huiusmodi substantias. Respondeo. Quamuis rana orta ex putri non sit bonum vtile talis complexi substantiarum, quia illud non propagat in specie, est tamen illius bonum excellentiæ, quod ad rationem causæ principalis est satis, aliter nequè Deus esset causa principalis respectu vllius creaturæ, neque Artifex esset causa principalis artefactorum, cum neuter per opera facta propagetur in specie. Sicut ergò Deus est causa principalis creaturarum, quia est respectu illarum finis excellentiæ, eò quod omnia creata indicent eius potentiam, & excellentiam, ità cum rana orta ex putri indicet virtutem, & excellentiam talium substantiarum potentium producere accidentia, quæ tanquam earum instrumenta producerent deinde ranam, hinc tales substantiæ erunt causa principalis respectu ranæ. Non nego effectus vniuocos esse bonū vtile simul, & excellentiæ respectu suarū causarū, sed ad rationem causæ principalis, non est necesse, quod effectus afferat vtrumque bonum; sicut autem respectu aliquorum effectuum assignamus causam principalem vniuocam vtrumque bonum à suis effectibus recipientem, ita cum respectu aliorum non inueniamus causam vniuocam, satis est, si assignemus æquiuocam.

3 Dices secundò. Cur non assignatur pro causa principali ranæ nascentis ex putri rana in communi, seù alia indiuidua ranæ, quæ vel actu præcesserunt, vel præcedere potuerunt, aut debuissent, si prius actiua passiuis fuissent applicata? Respondeo non posse hoc dici præcipuè ex eo, quia indiuidua ranæ, quæ præcesserunt nullo modo sunt causa efficiens hujus ranæ, quæ nascitur ex putri, ergò non possunt esse causa efficiens principalis, sed ad summum causa finalis, hic autem quærimus causam principalem efficientem, quæ vel mediatè, vel immediatè exerceat veram efficientiam in effectum.

4 Dices tertiò. Meliùs assignaretur pro causa principali horum effectuum Deus, vel intelligentiæ Planetarum, & Cœli motrices. Respondeo Deum sine vllo dubio esse causam principalem omnium effectuum, sed id, quod hic quærimus est, vtrum sicuti in effectibus, qui generantur solito propagationis modo assignamus pro causa principali non solùm causam primam, sed etiam aliquam causam secundam, ita etiam in alijs omnibus effectibus assignari possit aliquid, cui conueniat ratio causæ principalis. Intelligentiæ non sunt nisi causæ applicantes; Sed, si aliquid plus habent efficere, omnes illas substantias assignamus pro causa principali, à quibus proximè producitur talium accidentium combinatio, quæcumque tandem illæ sint.

CAPVT SEXTVM.

Quid sit, & quomodo fiat intensio, & remissio qualitatum.

1 Alteratio est motus ad qualitatem, & quoniam concreta sunt nobis notiora, quam abstracta, ideò Aristoteles qualitatem in abstracto explicans per concretum ait: Qualitatem esse illam, secundum quam quales quidam esse dicuntur. Potest autem accipi qualitas in latiori acceptione pro omni eo, quod conuenit alteri per modum formæ, etiam si sit substantiale; qualitas tamen strictè accepta definiri potest, accidens reale non quantum, non aliter ac definimus Brutum esse animal irrationale, quia prædicatum positiuum, per quod ab animali rationali differat, nobis non innotescit. Quatuor assignantur ab Aristotele species qualitatis. Prima est habitus, & dispositio, seu habitus tenuis, qui absolutè eodem nomine habitus sine alio addito appellatur. Secunda est potentia, & impotentia, nomine verò impotentiæ venit potentia debilis, quæ pariter sine addito eadem appellatione potentiæ vocatur. Tertia est passio, seu qualitas passibilis, sic dicta ex eo, quod causet passionem in sensu. Quarta est forma seu figura, sed cum hæc constituatur per vbicationem, erit species qualitatis in acceptione latiori.

2 Præcipua qualitatum, non tamen omnium proprietas est intensio, & remissio. Dixi *non omnium*, quia in ordine naturali potentia intellectiua, volitiua, &c. si ponantur superadditæ, neque intenduntur, neque remittuntur, & in ordine supernaturali gratia est capax intensionis, non remissionis, intensio, & remissio qualitatum sunt motus, per quem aliquid ex tali fit magis, vel minus tale secundum eandem partem subiecti, non quod tam intensio, quam remissio reperiri non possint in subiecto carente partibus, sed quod; si subiectum habeat partes, tàm intensio, quàm remissio habeatur solùm secundùm eandem partem subiecti.

3 Intensio qualitatum permanentium non fit per productionem perfectioris qualitatis destructa priori minùs perfecta; Si enim intensio ita fieret, etiam remissio fieret per productionem qualitatis imperfectioris destructa priori minus perfecta, hoc autem dici non potest, quia quando aqua calefacta sensim reducit se ad suum frigus connaturale, nulla datur causa, à qua producatur calor ille imperfectus, & remissus; destructo enim toto calore priori magis perfecto, non potest aqua producere calorem remissum; sed potius hæc deberet sibi statim reproducere totum frigus. Neque recurras ad Deum, tum quia Deus connaturaliter operans nihil operatur, nisi ad exigentiam, destructo autem calore perfectiori nihil datur exigens calorem imperfectiorem; tum quia quando remittitur habitus vitiosus, Deus tanquam vnica, & principalis causa efficiens produceret habitum vitiosum remissum, quod est contra Dei dignitatem. Demum nulla est necessitas asserendi, quod hoc modo fiat intensio, & remissio; licet enim arcus ex minus curuo fiat magis curuus per totalem deperditionem prioris curuitatis, quia curuitas habetur formaliter per talem vbicationem tali spatio alligatam, nihil tamen tale reperitur in qualitatibus, de quibus agimus, & quibus ceteroqui non debemus adimere permanentiam sine necessitate.

4 Dixi intensionem qualitatum permanentium non fieri per productionem qualitatis perfectioris, &c. nam actus intentionales tàm spirituales, quàm materiales, cum sint entia successiua, habentia secum identificatam suam durationem, intenduntur per productionem actus simplicis perfectioris, totaliter destructo priori minus perfecto, sicuti pariter remittuntur per productionem actus simplicis imperfectioris totaliter destructo perfectiori. Quod probatur primò, quia pro actibus intentionalibus non militat vlla ex ijs rationibus, propter quas in alijs qualitatibus oppositum asseruimus, quando enim potentia de habente actum intentionalem imperfectiorem fit habens actum perfectiorem, adest causa potens producere talem actum perfectiorem, & sicuti alijs qualitatibus non est adimenda permanentia sine positiuo fundamento, ita cum actus intentionales non fiant per actionem, ideòque neque per durationem distinctam, simul cum sua duratione successiuè fluent. Probatur secundò, quia ad hoc vt voluntas, v. g. intensius amet, non sufficit successiuè elicere plures actus amoris æquè intensos, sicuti, ad hoc vt fiat lignum magis calidum, satis est si successiuè producantur in illo plures gradus caloris æquè intensi, ac perfecti. E contra si non nisi vnicum actum simplicem perfectiorem, atque intensiorem amoris v. g. eliciat dicitur intensius amasse, siue præcesserint, siue non præcesserint alij actus amoris; quod idem accidit in alijs actibus intentionalibus.

5 Sed neque fit qualitatum permanentium intensio per maiorem radicationem eiusdem qualitatis indiuisibilis in subiecto. Quid enim est hæc maior radicatio? Si dicas esse, quod qualitas acquirat nouam terminationem; Contra est, quia terminatio vel est quid positiuum, & explica quid sit; vel est quid negatiuum, & neque est assignabile quid neget, neque potest subiectum fieri magis calidum, & magis actiuum per meram negationem. Præterquamquod si quantitas non fit magis extensa

tensa per nouam terminationē eò quod ex rotunda v. g. fiat quadrata, neque qualitas fiet intensior per nouam terminationem. Quod si dicas maiorem radicationem haberi per hoc, quod qualitas immutata secundum essentiam acquirat perfectiorem existentiam in subiecto. Contra est, tum quia potest Diuinitus fieri intensio qualitatis extra subiectum, tùm quia essentia ab existentia non distinguitur, tùm etiam quia perinde est perire priorem existentiā, & aliam de nouo totaliter emergere, ac perire totā priorē qualitatem, & aliā de nouo totaliter produci; ideòq; si hoc, vt probauimus, esse nō potest, neque poterit illud. Si verò per maiorem radicationem intelligas nouam, & perfectiorem vnionem; Contra est tum quia calor intensior est actiuior, vnioni autem vt potè entitati modali non est tribuenda maior perfectio, quam quæ satis sit ad rationem vltimi determinatiui ad talem denominationem, tùm quia etiam substantia, & quantitas possent intendi, cum possint recipere perfectiorem vnionem, tùm etiam quia sicuti iuxta hanc explicationem quilibet calor est alteri cuilibet calori æqualis, ita quælibet gratia esset alteri cuilibet gratiæ æqualis, quod est falsum.

6 Demum non potest huiusmodi qualitatum intensio haberi formaliter per meram expulsionem contrarij, primò quia lux, sonus, & gratia intenduntur, nec per expulsionem contrarij, quod non habent: Secundò, quia si lignum, v. g. spoliaretur miraculosè omni frigore, adhuc posset in illo fieri ab igne caloris intensio; Tertiò, quia si calor, v. g intenditur per expulsionem frigoris contrarij, tunc magis intendetur, quando magis frigus expellitur, seu quando plus de frigore expellitur, ergo iam admittitur frigus habere partes. Fiet igitur intensio per additionem noui gradus ad gradum præcedentem, & perseuerantem in eadem parte subiecti, remissio verò per destructionem alicuius gradus alijs permanentibus. Probatur autem primo ex impugnatione aliarum sententiarum; Secundo à paritate extensionis, quæ fit maior per additionem nouæ molis, ad molem priorem perseuerantem; Tertio probatur specialiter in impetu, potest enim, vt infra videbimus, debilior impetus intendere impetum maiorem, si sint dissimiles quoad lineam, si autem prior impetus non perseueraret, impetus debilior produceret totum impetum validiorem, quod fieri non potest; si ergo impetus intenditur per additionem partis ad partem impetus, idem dicendum erit de alijs qualitatibus.

7 Dices primo, si intensio fieret per additionem partis ad partem sequeretur, quod si calor, qui est in ligno, v. g. palmari poneretur totus in vnico puncto ligni, tale punctum esset infinitè calidum. Sed contra quia licet possit totus ille calor poni in parte minori, & minori in infinitum, non tamen poni potest in puncto, quod implicat, si verò poneretur in ligno definitiuè, adhuc nulla pars ligni esset infinitè calida, imò nulla esset magis calida quam prius, neque enim per hoc quod calor Corporis Christi Domini existat in Hostia definitiuè propterea est intensior, tunc enim calor est intensior, quando taliter in subiecto existit, vt reddatur magis actiuus; per vbicationem verò definitiuam non modo calor non redditur magis actiuus, sed per illam impeditur ab agendo in alienum subiectum.

8 Dices secundò Calor, & existentia caloris sunt realiter idem, sed essentia caloris est indiuisibilis, ergo ipse etiam calor erit indiuisibilis, & carens partibus. Sed contra est, quia hoc argumento probari etiam posset, quod numerus, & quantitas extensiua esset quid indiuisibile. Directè ergo respondendum est essentiam caloris, essentiam numeri, & quantitatis extensiuæ realiter diuisibilem esse indiuisibilem formaliter, seu consistere in indiuisibili, eò quod si prædicatum aliquod specie diuersum tali essentiæ addatur, ipsa essentia mutetur.

9 Intensio qualitatum habentium contrarium fit successiuè, & per minima actu inter se distincta sed quorum quodlibet continet partes non nisi potentia distinctas. Quando enim, v. g. ignis approximatur ligno ad exigentiam calidi fortioris applicato frigido debiliori determinatur auctor naturæ ad volendam aliquam particulam caloris in passo, quæ cum habeat aliquod prædicatum diuersum à prædicatis aliarum partium caloris, quæ deinde producuntur, erit talis particula actu distincta ab alijs, & cum nullum in talis particulæ medietate, vel medietate medietatis &c. sit assignabile prædicatum peculiare diuersum, partes componentes talem particulam non erunt, nisi in potentia distinctæ, ideòque talis particula erit vnum minimum actu distinctum ab alijs minimis, sed continens partes syncathegorematicè infinitas non nisi potentia distinctas, vt constat ex dictis lib. 1. vbi de minimis.

10 Non tamen vnum qualitatis minimum habet peculiare prædicatum diuersum ex eo quod sit ratione suæ entitatis heterogeneum, gradus enim qualitatis ex dicendis sunt homogenei, sed habet prædicatum diuersum ratione actionis, qua producitur, essentialiter diuersæ ab actione productiua alterius minimi, ad taliter enim producendum primum minimum caloris mouetur Deus ex eo, quod in passo præexistat qualitas opposita in tali intensione, prout enim plus, vel minus de frigore, v. g. opposito præexistit in passo, eo tale minimum caloris producitur citius, vel tardius, ideòque per minimum actionis productiuæ habentis longiorem, vel breuiorem durationem, & quoniam ad ponendum minimum talis actionis potuit Deus moueri, vel non moueri ex præexistentia qualitatis oppositæ, ideò hoc quod est posuisse de facto minimum talis actionis ad exigentiam talis temperamenti qualitatum præexistentis in passo, est prædicatum intrinsecum, & essentiale tali minimo actionis; videantur ea, quæ diximus lib. 1. dist. 5. cap. 3. sect. 7. Primum ergò minimum caloris producitur

per actionem essentialiter alligatam tali qualitatum temperamento præexistenti in passo, cum verò per productionem huius primi minimi destruatur aliquid de frigore contrario præexistenti non remanet in instanti sequenti pristinum temperamentum qualitatum, ideòque secundum minimum caloris, quod deinde producitur fit per actionem alligatam huic secundo, & nouo temperamento, iuxta dicta lib. 1. vbi de prædicamento actionis similiter tertium fit per actionem alligatam tertio temperamento, & sic deinceps. Quare sicuti inter partes continui extensiui datur heterogeneitas ratione diuersarum vnionum heterogenearum, ita inter partes continui intensiui datur heterogeneitas ratione actionum heterogenearum, per quas minima qualitatis producuntur. Et quoniam minimum v. g. caloris, postquam primo productum est, conseruatur deinde connaturaliter ad exigentiam primæ productionis præhabitæ, ideò datur illi secundum minimum actionis, quod est primum conseruationis, essentialiter alligatum tali minimo productionis præhabitæ. Tertium ad exigentiam, & per alligationem ad secundum, & sic deinceps iuxta dicta lib. 1. dist. 5. cap. 3. sect. 7. Ideòque non modo in fieri, sed etiam in conseruari distinguuntur in huiusmodi qualitatibus minima. Sed hæc quando qualitates habentes contrarium connaturaliter intenduntur, si enim miraculosè à Deo calor, v. g. vt septem totus simul produceretur tunc posset, vel talem calorem vnica actione sine minimorum distinctione producere, vel posset totidem minimis actionis illum producere, quot fuisset producendus, si nullum intercessisset miraculum.

11 Vniuntur hæc qualitatum minima suo subiecto totidem minimis actionis distinctæ; & primo quod vniantur vnione distincta ab actione eductiua, constat ex dictis hoc lib. dist. 3. cap. 9. sect. 3. n. 8. Quod verò totidem dentur minima vnionis, quot sunt minima qualitatis probatur, quia quando producitur primum minimum, hoc habet suam peculiarem vnionem, quando ergò producitur secundum minimum, hoc non potest vniri subiecto eadem vnione, vt per se patet, ergò vnione peculiari, cum non destruatur prior vnio, vt vnica de nouo producatur, per quam vtrumque minimum vniatur, vt deducitur ex dictis hoc cap. num. 3. Est autem probabile quod vnio, qua secundum minimum qualitatis vnitur subiecto, habeat essentialem alligationem non solùm ipsi subiecto, sed etiam primo minimo qualitatis præexistenti, & similiter vnio tertij minimi habeat essentialem alligatinem primo, & secundo minimo, & sic deinceps, & ratio est, quia sic melius explicamus cur secundum minimum caloris superueniens faciat vnum cum primo minimo caloris, quod in subiecto præexistit, non verò faciat vnum cum frigore, quod in eodem subiecto inuenit, quamuis enim calor, & frigus sint heterogenea, si tamen inter heterogenea detur vnio etiam heterogenea faciunt vnum; cum ergò calor, & frigus, licèt vnita cum vno tertio, non tamen dicantur facere vnum, gradus verò caloris dicantur vniti; huius rei ratio congrua redditur, si dicamus vnionem minimi superuenientis non modo alligare tale minimum subiecto, sed etiam alijs omnibus minimis talis qualitatis quam reperit in subiecto. Quod si ita philosophemur facilè explicabimus, cur admissa graduum homogeneitate, quando qualitas remittitur prius perire debeat minimum illud, quod postremo loco productum est, vt dicemus capite sequenti.

12 In lumine, & eadem est ratio de speciebus, duplex distingui potest intensio, primo enim si consideremus vnum luminis radium ab vno lucidi minimo profluentem, hic ibi erit intensior, vbi minimus à corpore lucido elongatur. Hæc intensio est repræsentatiua eiusdem obiecti, ac termini producentis, & cum tota simul producatur, nulla apparet in illa distinctio minimorum ratione intensionis. Quod si consideremus duos radios luminis emissos à diuersis punctis designabilibus in corpore lucido, si hi in eodem puncto designabili aëris coincidant, dici possunt facere intensionem, quatenus reddunt aërem magis illuminatum, sed hæc intensio est repræsentatiua diuersorum terminorum producentium, ideòque habetur per minima, verè enim in eodem puncto aëris dantur compenetratæ pars luminis pendens à lucido A, & pars luminis pendens à lucido B, atque ambæ actu distinctæ.

CAPVT SEPTIMVM.

Vtrum gradus intensionis qualitatis passibilis sint homogenei.

1 NVllam in huiusmodi gradibus admittendam esse entitatiuam heterogeneitatem, probatur, tum quia nullum est pro ea asserenda solidum argumentum, vt mox constabit, tum etiam à paritate quantitatis extensiuæ, quæ habetur per partes homogeneas.

2 Dices primo. Negata graduum heterogeneitate non potest reddi ratio cur simile non possit agere in simile. Respondeo rationem reddi posse ex ipsa qualitatum accidentalium natura, accidens enim, cum sit entis ens, & instrumentum substantiæ, sicuti non operatur in bonum sui, vt constat ex dictis vbi de causa instrumentali, ita nihil exigit nisi in bonum suæ substantiæ, imò sicuti non exigit nisi id, quod est bonum suæ substantiæ, ita ea, quæ sunt noxia suæ substantiæ, non modo

non exigit sed illis positiuè resistit exigendo scilicet ab Auctore naturæ, vt à sua substantia arceantur ea, quæ illi sunt mala. Porro qualitas in tali intensione est instrumentum talis substantiæ, cui qualitas in tali intensione debetur, sic calor v. g. vt quatuor erit instrumentum ligni, si ligno debetur calor in tali intensione; quare calor vt quatuor resistere debet ijs, quæ substantiæ ligni sunt mala; cum ergo sit malum ligno deperdere intensionem caloris vt quatuor, calor vt quatuor tanquam bonum ligni instrumentum resistet deperditioni talis intentionis; Hinc autem fit quod si calidum vt quatuor approximetur ligno calido pariter vt quatuor, nulla sequatur actio quia calor vt quatuor, qui est in ligno, resistit deperditioni talis suæ intensionis, & quoniam resistentia vnius caloris vt quatuor est par actiuitati alterius caloris vt quatuor, ideò nulla sequitur actio, quamuis enim calori vt quatuor considerato secundum suam entitatem esset bonum vniri alijs gradibus caloris, si tamen consideretur tanquam instrumentum substantiæ, cui talis intensio caloris debetur, resistit tam incremento, quam decremento suæ intensionis; cum tam incrementum, quam decrementum talis intensionis sit malum ligno, quia tam per incrementum quam per decrementum talis intensionis disponitur ad corruptionem. Confirmatur, si sit substantia cui debeatur, et in qua insint sex gradus caloris, & duo frigoris, calor licèt intensior non agit in frigus, sed absque vlla pugna calor intensior permanet cum frigore debiliori, non nisi quia calor vt instrumentum talis substantiæ non debet agere in illius malum destruendo temperamentum, quod tali substantiæ debetur.

3 Dices secundo sepè talis intensio qualitatis est in subiecto cui connaturaliter non debetur, vt cum in aqua v. g. est violenter introductus calor vt sex, ergo tunc calor non resistet, nec exiget conseruationem talis suæ intensionis. Respondeo intensionem caloris vt sex v. g. siue sit in subiecto cui debeatur, siue sit in subiecto cui non debeatur semper esse eiusdem rationis, ideòque non potuisse illi à natura dari vim ad opposita, ergo cum debuerit determinari ad vnum, ad illud determinari debuit, ad quod erat per se à natura ordinatus, & quod erat futurum bonum subiecto, cuius erat instrumentum, sicut ergo calor vt quatuor siue sit in subiecto, cui talis calor debetur, siue non, æquè tamen est productiuus alterius caloris, ita siue sit, siue non sit in subiecto, cui talis intensio debetur, æquè erit ratione sui resistitiuus, ita tamen vt sicuti non nisi per accidens, & ex secundaria naturæ intentione talis calor est inductus in aquam, ita non nisi per accidens, & ex secundaria intentione naturæ habeatur, quod etiam dum est in aqua pugnet pro conseruatione sui. Idem dicendum si calor v. g. vt quatuor existeret extra omne subiectum cum enim in tali casu adhuc retineret rationem accidentis, & instrumenti, adhuc exigeret idem, quod exigit, quando est in subiecto.

4 Dices tertio. Posita graduum homogeneitate, non potest assignari, quando qualitas remittitur, qui nam gradus primo, qui nā secundo loco deperdatur. Respondeo si nulla esset peculiaris ratio de vno, ac de alio gradu, potius recurreremus ad Deum, sicuti negata serie effectuum, ad Deum recurrimus pro eorum indiuiduatione, sed non est cur ad causam primam recurramus, cum reperiri possit sufficiens fundamentum in ipsis gradibus, cur debeat primo destrui gradus ille, qui vltimo loco productus fuit, ex dictis enim capite superiori n. 10. & 11. si primo periret gradus ille qui primo loco fuit productus deberet perire etiam alij omnes gradus cum aliarum actio, & vnio sit immediatè vel mediatè alligata primo gradui; quod si pereat gradus, seu minimum vltimo loco productum, non propterea debet etiam perire vllum ex alijs minimis, cum ergò natura intendat conseruationem potius, quam destructionem rerum, habet peculiare determinatiuum, ratione cuius ad exigentiam contrarij velit potius destructionem illius gradus, qui vltimò est introductus, sed etiam præscindendo ab hac nostra peculiari doctrina, debet primo destrui gradus ille, qui vltimo productus est, nam sicuti res quælibet ex suppositione, quod præextiterit, & nullum aduenerit contrarium exigens illius destructionem debet connaturaliter conseruari, ita id, quod diutius præexistit magis exigit conseruari, sicut enim cæteris paribus melior est conditio possidentis, ita melior est conditio diutius possidentis. Neque obstat quod seniores prius plerunque moriantur, in hoc enim non sunt cætera paria, cum vires senum sint debilitatæ, iuuenum verò robustæ. Neque pariter obstat id, quod diximus hoc lib. dist. 6. cap. 2. num. 5. nam ex duobus indiuiduis, quorum neutrum existat, neutrum est in possessione existentiæ, ideòque spectare videtur ad quandam iustitiam distributiuam, quod naturaliter non reproducatur effectus corruptus, sed beneficium existentiæ non semper eidem, sed pluribus successiuè conferatur, at in casu nostro gradus primò introductus supponitur esse in possessione diuturniori sui subiecti, & existentiæ; ideòque habet potius ius ad sui conseruationem.

5 Dices quarto. Posita graduum homogeneitate cur aqua calefacta celerius deperdit gradus caloris vltimo, quam primò in illam introductos? Respondeo pro hac re videnda esse ea, quæ diximus hoc lib. dist. 6. cap. 7 num. 8. quamuis enim ibi locuti fuerimus de qualitatibus subiecto connaturalibus ex ijs tamen deducitur, quod quò plus caloris perit in aqua, eò plus acquirit, & conseruat de frigore, ex quo fit, vt occupata in pluribus gradibus frigoris conseruandis, minus expedita remaneat ad destruendum calorem contrarium.

6 Dices quinto de conceptu intensionis est importare perfectionem aliquam maiorem illa, quæ importatur ab extensione; per gradus autem homogeneos eadem est perfectio vnius subiecti habentis septem v. g. gradus caloris, ac septem subiectorum, quorum quodlibet habeat vnum gradum

caloris

caloris. Respondeo ad intensionem satis esse quod per illam impotretur maior perfectio, non quoad entitatem rei habitæ, sed quoad modum habendi, modus enim habendi plures gradus qualitatis in eadem parte subiecti est perfectior, ex eo, quod plures gradus ratione vnionis cum eadem parte subiecti redduntur potentes facere aliquid, quod non possent efficere, si existerent in diuersis subiecti partibus, idque, quia plures gradus existentes in eadem parte subiecti sunt instrumentum illius substantiæ, cui debetur talis intensio, & agunt in bonum illius. Hinc Deus, & creatura non faciunt complexum perfectius, quàm sit solus Deus, quia non plus potest Deus simul cum creatura, quam solus Deus; similiter duæ quantitates si diuinitus ponerentur in eadem parte materiæ, non facerent intensionem, quia quid quid præstaretur à duplici quantitate, præstatur ab vnica; æquè enim per vnicam, ac per duplicem quantitatem redditur res quanta cum alia re quanta naturaliter impenetrabilis Ex quo infertur tunc tantùm non posse naturaliter duo accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, quando idem effectus qui præstatur à duobus accidentibus, æquè præstari potest ab vno.

7 Dices sexto. Ex graduum homogeneitate sequeretur, quod par esset perfectio hominis habentis cognitionem intensam vt sex, ac alterius hominis habentis simul sex cognitiones, quarum quælibet sit intensa vt vnum. Respondeo hanc sequelam ab aliquibus concedi, sed immeritò, ex dictis enim capite superiori n.4 perfectio, & intensio cognitionis non habetur per additionem gradus ad gradus, est enim cognitio quid spirituale, & simplex habens ratione sui rantam perfectionem, & clariratem, quam nunquam æquare possunt plures, & plures cognitiones obscuriores simul vnitæ.

8 Infertur ex dictis primo in eodem medio, in quo ab vno corpore lucido, v. g. vt duo productum est vnum lumen vt duo, posse ab alio lucido vt duo produci aliud lumen vt duo, & fieri lumen intensum vt quatuor, in eodem verò subiecto calido, vt duo non posse ab agente calido, vt duo fieri vllum caloris additamentum, quia calor vt duo intendens bonum sui subiecti, cuius est instrumentum efficaciter resistit agenti calido solùm vt duo, at lumen vt duo productum ab vno lucido, vt duo non resistit alteri lucido vt duo, quia simul cum vno lumine vt duo non est malum subiecto recipere aliud lumen vt duo. Præterea cum lumen diffusum per medium sit institutum, vt sit repræsentatiuum corporis lucidi, debuit institui, vt in eodem medio esse posset vnum lumen vt duo repræsentatiuum vnius lucidi A, & alterum lumen vt duo repræsentatiuum alterius lucidi B, quia bonum erat, quod potentia vnica visiua in quolibet medio certificari posset de quolibet obiecto lucido. Atque hoc idem dicendum est de speciebus, de quibus, vt patet, est eadem ratio, è contra qualitates corruptiuæ non debuerunt institui, vt hoc modo agerent, ne tenderent in destructionem substantiæ, cuius sunt instrumenta.

9 Infertur secundo, etiam lumen, & species constare gradibus homogeneis, si loquamur de intensione respectiua eiusdem termini, seu obiecti producentis, secus verò si de intensione, quæ non est respectiua eiusdem termini producentis, sed producta est à diuersis obiectis, prout enim diuersa lucida, & diuersa obiecta inter se differunt, eò etiam producunt in eodem puncto actis maius lumē, & plures species conpenetratas inter se differentes. Cæterum in lumine, & specie intensiori producta ab eodem minimo obiecti non est cur vllam admittamus heterogeneam graduum intensionem. De gradibus intensionis habituum dicemus, vbi de habitibus agetur.

CAPVT OCTAVVM.

An, & quomodò intendatur qualitas per antiperistasim.

1 PER antiperistasim, hoc est per contrarij circumobsistentiam, qualitatem intendi probatur primo ex aquis putealibus hyeme calidioribus, æstate verò frigidioribus, neque enim hoc refundi posse in sensus fallaciam constat, tum quia aqua, quæ cęteroqui in in terræ superficie concresceret, in cellis vinarijs profundis hyeme non concrescit; tum quia thermoscopium intra eundem locum subterraneum detentum per triennium semper exhibuit aërem intra tubum vitreum ęstate magis densatum, hyeme verò magis rarefactum. Probatur secundo, quia stomachi hyeme sunt calidiores, quam æstate; sed hoc à nonnullis negatur ex eo, quod natura duce hyeme calidioribus cibis vtamur, quam æstate; verum non propterea recedendum est ab eo, quod manifestis experientijs euincitur, quid enim notius quam quod in regionibus frigidioribus maiori animalia cibo indigeant? quod natantes statim famem patiantur? quod nunquam melius, quàm hyeme cibos digeramus, &c. Quod ergo æstate cibis frigidioribus vtamur fit ex eo, quod cum calor externus sit valdè intensus, si huic adderetur etiam calor ciborum calidorum, corpus nimio calore incenderetur, quamuis ergò cibi calidiores etiam æstate conferrent ad meliorem digestionem, præstat tamen in ijs abstinere, ne aliunde magis noceant.

2 Qualitas in antiperistasi non intenditur per repercussionem specierum intentionalium à contrario obsistente; eo ferè modo, quo lux à speculo obsistente repercussa intensiorem lucem producit, nam

nam primo ſpecies intentionales primarum qualitatum ſunt fictitiæ, cum primæ qualitates immediatè ſine ſpeciebus ſentiantur; Secundo etiam ſi darentur earum ſpecies, adhuc non eſſent actiuæ, ſpecies enim caloris non eſſent calor, neque productiuæ caloris; cum ſpecies ſint inſtitutæ ſolùm, vt ſint repreſentatiuæ illius, cuius ſunt ſpecies, non verò vt producant aliud repreſentabile; aliter procederetur in infinitum. Tertio ſpecies caloris non eſſent contrariæ frigori, ſicuti ſpecies albedinis non ſunt contrariæ nigredini, non ergò deberent à frigore reſilire.

3 Sed nec intendi dicenda eſt ex peculiari inſtinctu formæ ſubſtantialis validius intendẽtis qualitatem ſibi debitam ad præſentiam contrarij, nam cur, vt aqua v. g. acquirat frigus in intenſione ſibi debita, expectare debet circumobſiſtentiam contrarij; cum enim ſit cauſa neceſſaria, ſi intendit ſibi frigus quando adeſt contrarium impediens, cur non illud ſibi producit, & intendit, quando nullum adeſt impedimentum; recurrere autem ad talem formæ ſubſtantialis inſtinctum, eſt quid gratis inuectum, nec cæteroqui ſufficiens ad explicandum id, quod quærimus; ſi enim quando intenditur per antiperiſtaſim qualitas ſubiecto indebita, vt quando hyeme aqua putealis incaleſcit, nõ poteſt hoc haberi ex peculiari formæ ſubſtantialis inſtinctu, neque in alijs caſibus ab illo haberi dicendum eſt. Quod ſi recurras ad maiorem condenſationem, vel rareſactionem ſubiecti, in quo qualitas intenditur, ipſius maioris condenſationis, & rarefactionis cauſa ad præſentiam contrariæ qualitatis aſſignanda eſt, imò cum condenſatio ſequatur ad frigus, raritas ad calorem, malè affertur pro cauſa maioris caloris, vel frigoris id, quod maioris caloris, vel frigoris effectus eſt. Demum non aſſignatur ſufficienter cauſa, dum aſſignatur vel generans, vel ſola cauſa prima, plerunque enim generans abeſt, & ad cauſam primam non debemus ſine neceſsitate confugere.

4 Dicendum igitur eſt intendi qualitatem in antiperiſtaſi per retentionem, vel excluſionem, congregationem, vel diſgregationem particularum heterogenearum ratione contrarij ambientis, ſic enim omnia benè explicantur; primò enim ſtomachi hyeme ſunt calidiores, quia frigore obſtructis poris, exitus ſpiritibus, & particulis igneis impeditur, ſimiliter hyeme fructus matureſcunt, maturatio enim eſt quædam concoctio, quæ fit à ſpiritibus igneis, qui obſtructis poris tranſpirare non poſſunt, ſecundò aquæ puteales hyemali tempore ſunt calidiores, quia exhalationes calidæ ab aëre frigido ambiente detinentur. Tertio nix plantas fouet, & calefacit, quia impedit ne exhalationes calidæ auolent, & vt alia quam plurima omittam is, ex Ariſt. ſect. 1. problemate 29. *hyberno tempore, qui frigida ſe infuderunt, ibi aliquantulum dum diluerentur, frigſerunt, reliquo toto die à frigore tecti ſunt, & qui calida vſi fuerint, frigus diutius experiuntur, caro enim ſpiſſeſcit, calorque introrſus ſe colligit eorum, qui ſe aqua deluerint frigida, contra autem iis euenit, qui calidam admiſere, caro quippè rareſcit, calorque ad externum vſque locum euocatur.*

5 Ex his autem Ariſtotelis verbis infertur philoſophum eſſe in noſtra ſententia; explicat enim antiperiſtaſim per hoc, quod nunc calor pulſus à frigore introrſus ſe contrahat, nunc verò ad externum vſque locum euocetur. Sed hoc non poteſt intelligi de calore in abſtracto, ratione ſui præcisè migrante ex vno loco in alium, ergo intelligendus eſt Ariſtoteles de calore in concreto, ſeu de particulis calidis, vel frigidis, quæ modo ad intimas, modo ad extimas partes accurrant. Porrò ſi hæ particulæ eſſent homogeneæ cum reliquis partibus ſubiecti, in quo qualitas intenditur, per earum acceſſum, vel receſſum qualitas in tali ſubiecto non intenderetur, cum ſimile non agat in ſimile, ergò neceſſariò debent eſſe particulæ heterogeneæ, quibus quodlibet corpus abundare ſatis patet.

6 Dices. Non eſt aſsignabile, vndènam noua ſemper, & noua corpuſcula, & particulæ heterogeneæ ſuppeditentur aquis, & locis ſubterraneis, ſi enim v. g. æſtate è locis ſubterraneis auolarunt particulæ igneæ, vt propterea aquæ in illis incluſæ ſint eo tempore frigidiores, vndenam deinde iterum illis hyeme ſuppeditantur particulæ igneæ, quæ dum impediuntur tranſpirare, aquam calefaciant. Reſpondeo haberi has igneas particulas ab ignibus ſubterraneis, quos è montibus, è planis, & ex ipſo etiam mari erumpere teſtantur Ariſtoteles, Plinius, Seneca, alijque; Hinc in terræ, cæteroqui frigidæ, viſceribus ab ignibus generantur metalla, alumina, ſulfur, aliaque ſimilia naturæ igneæ, ab his magna etiam ex parte attolluntur exhalationes, & vapores, ab his pariter aquæ thermales contra aquæ naturam incaleſcunt, & metallorum foſſores teſtantur terram à ſuperficie vſque ad ſexcentos circiter pedes hyeme eſſe calidam, æſtate frigidam; à ſexcentis verò paſsibus vlterius verſus centrum ſemper eſſe calidiſsimam, profectò non niſi ratione ignium ſubterraneorum. Porrò valdè probabile eſt hos ignes nutriri partibus craſsioribus, ac pinguioribus maris, vt propterea montes ignicomi, qui ſunt iuxta mare facilius, ac diutius ardeant; ſicut ergo in corporibus viuentium, calor vitalis efficit multas particulas igneas, ita ignes ſubterranei, actione ſua, multa intra terræ viſcera in naturam igneam immutant, & ſicuti in corporibus animalium hyeme frigus extimum à calore intimo, æſtate verò calor extimus à frigore intimo, temperatur, ita in toto terræ corpore benè prouiſum fuit vt hyeme quando calor extimus ſolis eſt debilior, calor ignium intimorum augeretur. Aeſtate verò quando calor ſolis eſt intenſior, calor intimus terræ eſt debilior, ex quo vlterius conſtat cur calori data ſit virtus rarefaciendi, frigori verò condenſandi, corpus enim, quod incaleſcit, per rarefactionem à nimio calore ſe tuetur, dum particulas igneas foras emittit; ex frigore autem ſequitur condenſatio, ad hoc vt quando corpus ab extrinſeco frigeſit, retinendo per condenſationem particulas igneas, à nimio frigore ſe defendat.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMA,

De Elementis, eorumque virtutibus tam actiuis, quàm motiuis.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quot sint Elementa.

1 Nomine Elementorum veniunt hic corpora simplicia, ex quibus componuntur corpora perfectiora, quæ vocantur mixta; quatuor autem sunt hæc corpora simplicia, ignis scilicet, aër, aqua, & terra, vt mox probabimus. Hæc corpora sunt simplicia, vel quia licet constent materia, & forma substantiali, non tamen possunt in alias substantias completas resolui, sicuti mixta ex elementis composita in alias substantias completas resoluuntur, ex suppositione, quod elementa maneant actu in mixtis; vel in sententia opposita, quam sequemur, sunt corpora simplicia, ex eo, quod vna saltem ex primis qualitatibus conuenit illis in gradu simplici, hoc est sine admixtione qualitatis contrariæ. Iuxta hanc ergò sententiam, quàm infra probabimus, tot erunt elementa, quot sunt corpora, quibus aliqua saltem ex primis qualitatibus conuenit in gradu simplici, quare vt probetur numerus elementorum, inquirendum est quot, & quæ sint corpora, quibus aliqua saltem ex primis qualitatibus conuenit in gradu simplici.

2 Quatuor primæ qualitates, calor scilicet, frigus, siccitas, & humiditas, de quibus exactius infra, licet possint diuinitus magis, ac magis in infinitum intendi, cum nulla in hoc appareat implicantia, habent tamen aliquam determinatam intensionem, quæ vocatur intensio vt octo, quam naturaliter excedere non possunt. Hæc ergo maxima naturalis intensio, maximaque perfectio, alicui corpori debet cõnaturaliter cõpetere, aliter fuisset à natura institutum accidens aliquod in tanta intensionis perfectione, & non propter aliquam substantiam, quod non est dicendum; Si igitur calor, frigus vt octo, &c. propter aliquam substantiam instituta sunt à natura, propter illam substantiam, & propter illud corpus erunt instituta, in quo has qualitates scimus in intensione maiori reperiri. Ex quo infertur igni deberi calorem vt octo, in maxima scilicet naturali intensione, quia inter omnia corpora maximus calor reperitur in igne, quid enim igne calidius? similiter Aëri conueniet humiditas in summo, cum enim humidum ex dicendis, sit quod facile figuratur termino alieno, & nullum retinet proprium; aër omnium corporum facillime ad omnem alienam figuram conformatur, & nullam figuram propriam retinet; Cum ergo humiditas in maxima naturali intensione alicui corpori competere debeat, & nullum sit aliud corpus, in quo non reperiatur minor humiditas, quam in aëre, aëri debebitur maxima naturalis humiditas Aqua solum posset cum aëre de humiditate contendere; sed aqua non tam facile alienis terminis figuratur, nam non nisi cum aliqua difficultate scinditur, cum, è contra aër sit facillime peruius, & sua humiditate ad quodlibet minimum vacuum impediendum velocissimè accurrens in figuram cuiuscunque corporis conformetur.

3 Dices primo aqua plus quam aër humectat, imò aër ipse aqua pluuia humectatur, ergò aquæ non aëri conuenit humiditas in summo. Respondeo distinguendum esse inter humidum, & humefactiuum, aer enim est aquæ in humectando potentior, cum eius humiditas sit in materia crassiori, quæ propterea corporibus magis adhæret; hinc aer ab aqua non redditur magis humidus, quia ex permixtione aquæ non magis, sed potius minus redditur termino alieno figurabilis; redditur autem magis per aquam humefactiuus, quia redditur crassior, & eius humiditas fit sensibilior & corporibus magis adhærens. Atque ita explicandus est Aristoteles, dum, aquæ maximam tribuit humiditatem; verè enim aquæ conuenit humiditas maxima, hoc est maximè sensibilis, & maximè humefactiua, non verò maxime figurabilis termino alieno, in quo consistit essentia humiditatis.

4 Dices secundo aer exiccat vestes, ergò non est humidus. Respondeo non exiccari ab aere per productionem siccitatis; sed per expressionem aquæ vestibus permixtæ quod efficit, dum calore aquam resoluit in vapores. Adde aeri plurimas esse permixtas exhalationes verè siccas, & ab ipsis etiam vestibus sua natiua siccitate extraneum humorem expelli.

5 Aquæ deberi summum frigus, patet quia nullum est corpus, cui maius frigus sciamus inesse, idcòque si frigus in maxima naturali intensione alicui corpori naturali conueniat, conueniet aquæ, quæ inter omnia corpora est frigidior, vt propterea vocetur frigida. Non tamen propterea debet aqua esse

esse connaturaliter conglaciata, ad conglaciationem enim non satis est intensum frigus, sed præterea requiritur admixtio particularum hæterogenearum, hinc quando per artem fit glacies adhibetur sal, vel aliud simile corpus habens etiam plurimos spiritus igneos. Terræ demum conuenit siccitas in summo, si enim ab omni extraneo humore depuretur, friatur in pulueris atomos, quarum quælibet maximè sicca est, & maximè suam figuram retinet. Quamuis ergò terra in puluerem soluta recipiat alienam figuram, quia tamen illam non recipit per modum vnius continui, sed tanquam quædam congeries, ideò non est humida, sed sicca; cum quodlibet granum pulueris retineat suam figuram, quam prius habebat.

6 Posito quod vna ex primis qualitatibus conueniat elementis in summo, superest examinandum de alia qualitate, Vtrum illis debeatur in summo, an verò solùm in gradu excellenti, hoc est infrà summum, sed vltra dimidium dicendum autem cum Aristotele aliam qualitatem elementis conuenire solùm in gradu excellenti, Secundo enim de generatione tex. 23. ait: *Sed tamen simpliciter quatuor existentia, vnius vnum quodque est, terra enim sicci magis, quam frigidi: aqua autē frigidi magis, quam humidi; aer autem humidi magis; quam calidi; ignis autem calidi magis, quam sicci.* Neque dicas Aristotelem non loqui de elementis puris, sed prout sunt apud nos, nam gratis, imò malè hæc interpretatio tribuitur Aristoteli; terra enim prout est apud nos hyeme multis aquis imbuta, est magis frigida, quam sicca, & æstate in inferioribus terræ partibus maius inuenitur frigus, quam in mari, aqua pariter æstiuo sub Sole humidior est, quam frigidior, non ergo Aristoteles de elementis, prout sunt apud nos, loqui potuit; status enim elementorum, prout sunt apud nos, est quid contingens, ideòque non cadens sub scientiam.

7 Sed ratione probatur posita conclusio discurrendo per singula, & quidem terræ conuenire frigus, constat experientia, si quem enim calorem habet, habet ab extrinseco, quem propterea Solis radio destituta statim amittit. Non tamen eius frigus est plusquam in excellenti, aqua enim est frigidior, quam terra, primo quia aqua difficilius à Sole calorem recipit, quam terra. Secundo quia aqua magis, quàm terra frigefacit. Tertio quia si æquè terra, & aqua sint calefacta citius aqua recuperat frigus, quam terra. Neque dicas à terra diutius retineri calorem ratione maioris densitatis, quam habet. Contra enim est, quia sicuti plures partes terræ sunt calefactæ, ita plures partes terræ sunt exigentes recuperationem frigoris, ideòque, si terra æquè, ac aqua exigeret frigus, æquè etiam frigus amissum recuperaret. Aquæ pariter conuenire humiditatem satis constat; quod verò non nisi in excellenti, probatur ex eo, quod minor humiditas conueniat aquæ, quam aeri, sicut enim vel nullam, vel ferè nullam in aere scindendo difficultatem experimur, ita in scindenda aqua, eaque in nostram figuram conformanda defatigamur. Aeri deberi calorem probatur primo ex eius raritate, & leuitate, quæ oriuntur ex calore. Secundo quia aer generatur calore, & frigore corrumpitur, aqua enim calore resoluitur in vaporem, & deinde in aerem, cum è contra frigore aer vertatur in aquam, vt videre est in specubus subterraneis. Tertio cera, & oleum sunt aerea, cum supernatent aquæ, & sunt etiam calida. Quarto si aer non esset calidus; tria essent elementa frigida, nec nisi vnum calidum; hoc autem non est dicendum, tum quia tolleretur harmonia vniuersi, quæ ex concordi elementorum discordia resultat, tum quia aqua, & aer in nulla qualitate opponerentur, & tam opponeretur igni aer, quam aqua. Non tamen aeri debetur calor plusquam in excellenti. Primo quia non debetur illi tantus calor, quantus debetur igni. Secundo quia nullo argumento probari potest summus aeris calor, cum vix probetur excellens. Tertio quia sicuti calor in excellenti est bonus aeri, tum vt à tali calore oriatur tanta leuitas, per quam in tali loco constituatur, tum etiam ne à vaporibus solis radio destitutis infrigidetur, ita summus in aere calor impediet vaporum coactionem, & generationem imbrium.

8 Dices in secunda regione aeris est intensissimum frigus, ergo aer natura sua est frigidus. Resp. quamuis aliqui, vel astrorum influxus, vel causam primam aduocent per machinam, à qua initio contra eius naturam secundæ aeris regioni inditum fuerit intensum frigus, communior tamen sententia docet aerem secundæ regionis frigescere vi vaporum, qui redeuntes ad suum connaturale frigus, illum infrigidant. Explicandum tamen superest quomodo in secunda aeris regione vapores possint refrigescere, si enim intra aquam, vel terram frigidam potuerunt vapores à sole calefieri, cur eorum calor in aere calido non conseruatur? Sed respondendum est calorem aeris, vt potè existentem in corpore valdè raro esse modicissimè actiuum. Vapores ergo assurgentes calefacti non statim calorem amittunt, tum quia non statim, sed successiuè reacquiritur qualitas deperdita, tum etiam quia non statim radijs solaribus destituuntur; semper tamen magis, ac magis connaturale frigus recuperant, dum à calore aeris ratione suæ raritatis modicissimè actiui non impediuntur, Quare frigidiores ad secundam regionem perueniunt, ibique proinde calore, ac leuitate destituti consistunt; Prout verò noui, & noui vapores prioribus succedunt, illisque vniuntur, eò magis in secunda aeris regione frigus intenditur, donec densentur, ac decidant in pluuiam. Præterea aer nobis vicinior est etiam calidior ex eo, quia simul cum vaporibus vi solis attrahunrur plurimæ exhalationes igneæ, quæ propè nos sunt magis actiuæ, quia sunt crassiores, vt pote non dum à radijs solaribus valdè attenuatæ, cum verò quò magis ascendunt eò etiam magis attenuentur, hinc in secunda regione aeris minorem calorem possunt exercere.

9 Ex his autē infertur nostrū aerē sibi relictū noctu frigescere, quia aliqui vapores ab extrinseca solis

actione vltimo excitati,& ab eo destituti,cũ nõ sint ita calidi,vt vlterius possint assurgere,neq;ita frigidi & graues,vt possint deorsũ redire, consistunt in nostro aere, illũq; infrigidant. Adde aerẽ ratione suæ tenuitatis facilè à propinquis agentibus,à terræ nimirum,& aquæ frigore alterari. Ex quo etiam capite aer intra cubiculũ clausus æstate est frigidus,parietes enim ac terra suum frigus aeri propinquo communicant. Infertur præterea quamuis aeri competat calor,ab eo tamen temperari calorem cordis, temperatur enim non ab aere puro, qui non esset ad respirationem idoneus, sed à nostro hoc aere multis frigidis vaporibus permixto. Demum de aere vaporibus permixto intelligendus est Aristoteles, dum nunquam ait aerem esse frigidum.

10 Igni conuenit siccitas, 1. ratione aeris actiuitatis,quã habet,siccitas enim veluti acuit,humiditas verò hebetat calorẽ, 2. quia ignis exiccat non solũ per calorẽ,sed etiam per siccitatẽ, calor enim sine siccitate non est sufficiens ad exiccandum,hinc carnes per aquã feruidam calefiunt,non exiccãtur, cũ è cõtra assæ calefiant,& exiccentur. 3 quia si aquæ oppositæ igni conuenit frigus,& humiditas,igni cõuenire debet calor,& siccitas,vt hoc pacto habeatur elementorũ contrarietas,& pugna. Non tamẽ debetur igni siccitas nisi in excellenti,quia terrę debetur siccitas maior,quã igni;quod enim est maximè siccũ,non habet partes inter se cohærentes,sed est friatũ,& comminutum, talis autem est terra, quæ ab omni humore libera in puluerẽ soluitur,è cõtra ignis siuè sit in flãma,siuè in carbone habet suas partes cõpactas,adeòut propterea nõ defuerit,qui igni tribuerit humiditatẽ;sed illi quidem humiditas dicenda est inesse,verũ ratione materiæ,cui inhæret; flamma enim est fumus accẽsus,fumo autẽ multum humoris inest, vt propterea caminorum parietibus adhæreat; Verum quia ignis facilè adhæret materiæ, ratione cuius humiditatem acquirat,ideò dicendum est igni siccitatem non in summo, sed solùm in excellenti competere. Adde paritatem aliorum elementorum, quibus, vt vidimus, vna ex primis qualitatibus in summo, alia solùm in excellenti debetur.

11 Sed quæres vtrũ illi qualitati,quæ debetur elementis in gradu solùm excellenti tantùm de contraria qualitate sit admixtũ,quantum expleat latitudinẽ vt octo;ad quod respondetur affirmatiuè,ita tamẽ vt tale complementũ non insit elementis ad exigentiam formę elementaris,sed merè ad explẽdã capacitatẽ materiæ;licèt enim materia prima non exigat hanc potius qualitatẽ,quam illam, exigit tamen expleri suã capacitatem per intensionẽ qualitatis vt octo, siue deinde hæc intensio vt octo habeatur per vnã tantũ qualitatẽ,siuè per duarum oppositarum permixtionẽ. Et sanè quando ex igne & aqua generatur aer, frigus aquæ calore subeunte paulatim expellitur, sed ad generationem aeris non est necesse, quod in materiam aquæ introducatur calor vt octo, ergo calor intendetur solùm, v. g. vsque ad sextum gradum, in qua intensione erit dispositio sufficiens pro forma aeris, ergo forma aeris introducetur in materiam habentem aliquid frigoris, ergò in elemento aeris simul cum calore in excellenti datur frigus complens intensionem vt octo.

12 Dices primo,ergò elementa nullo modo sunt corpora simplicia,nã posito quod nõ maneant actu in mixto,neq;sunt simplicia ex eo,quod vnicã habeant formam substantialem,neq; sunt simplicia ex eo,quod illis conueniant duæ ex primis qualitatibus sine admixtione qualitatis contrariæ. Sed cõtra, quia simplicitas elemẽtorũ habetur ex eo,quod vna ex primis qualitatibus debetur illis in gradu simplici;imò alia etiam qualitas in gradu simplici illis debetur,si spectetur exigentia formæ elementaris, permixtio enim qualitatis oppositæ elementis inest,vt diximus,merè ad explendã capacitatem materiæ,nã si vnam qualitatẽ exigunt elementa in gradu simplici, etiam aliam in gradu simplici exigere dicenda sunt. E contra mixta nullam qualitatem exigunt sine permixtione contrariæ. Quare merito Arist. suas vnicuiq; elemento qualitates assignans,non nisi duas singulis tribuit, illarũ enim qualitatũ solùm meminit,quæ elementis ex propria exigentia debentur. Hinc non omnia elementa sunt symbola, illa enim solùm sunt symbola, quæ conueniunt in aliqua qualitate, quam exigunt, non verò quæ conueniunt in qualitate illa, quam habent merè ad explendam capacitatem materiæ.

13 Ex his infertur quatuor esse elementa,ignẽ scil. aerem, aquã, & terram, cum enim nomine elementorũ non possint venire corpora illa,quæ secundũ suas formas substantiales actu manent in mixto,quia hoc vt probabimus, est de subiecto non supponente,tot erunt elementa, quot erunt corpora simplicia,quibus scil. debentur primæ qualitates in gradu simplici sine admixtione qualitatis contrariæ spectata formæ substantialis exigentia,hæc autem non sunt nisi quatuor,alioqui assignetur aliquod aliud. Atq;ita explicanda est ratio allata ab Arist. quod nimirũ tot sint corpora simplicia, quot sunt combinationes vtiles primarũ qualitatum in gradu simplici,quę nõ sunt nisi quatuor. Prima scil. caloris,& siccitatis conueniens igni. Secunda caloris,& humiditatis debita aeri. Tertia humiditatis, & frigoris exigita ab aqua. Quarta siccitatis,& frigoris competens terræ; Cõbinationes enim frigoris, & caloris: humiditatis,& siccitatis,sunt inutiles;cum non possint exigi à corpore simplici,sed solùm à corpore mixto,cui debetur permixtio qualitatum contrariarũ. Alia affertur ab Arist. ratio 1. de Cælo te x 5. & 6. deducta ex quadruplici motu locali simplici,sed quia hæc ratio multipliciter impugnatur, vt habeat vim,reduci debet ad superiorẽ,& proponi sic poterit: Tot sunt corpora simplicia, quot sunt motus simplices orti ex combinatione primarũ qualitatũ in gradu simplici; hi autem non sunt nisi quatuor,cũ enim ex dictis,primæ qualitates non sint in gradu simplici combinabiles nisi quadruplici combinatione vtili, motus simplices orti ex combinatione primarum qualitatum in gradu simplici non sunt nisi quatuor, motus scilicet à centro ad circumferentiam simpliciter, qui oritur à calore in summo, & siccitate in excellenti, motus à circumferentia ad centrum simpliciter,

qui

qui oriatur à ſiccitate in ſummo, & frigiditate in excellenti, motus à centro ad circumferentiam ſecundum quid, qui oriatur ab humiditate in ſummo, & calore in excellenti, motus demum à circumferentia ad centrum ſecundum quid, qui oriatur à frigiditate in ſummo, & humiditate in excellenti; ex tali enim combinatione primarum qualitatum oritur in elementis tanta grauitas, vel leuitas, quæ ſunt immediatum principium talis motus. Atque hoc ſatis indicaſſe videtur Ariſtoteles, dum loc. cit. rationem afferens, cur mixta licet moueantur motu ſimplici non tamen ſint corpora ſimplicia, ait rationem eſſe, quia mouentur ſecundum prædominans, ergò ſupponit motum mixtorum eſſe illum, qui radicaliter oritur à qualitatibus capacibus prædominij, & per conſequens à qualitatibus non in gradu ſimplici, ſed cum admixtione qualitatis contrariæ, ergò è contra ſupponit motum corporum ſimplicium eſſe illum, qui radicaliter ſit ex vi qualitatum in gradu ſimplici.

14 Definitur elementum ex Ariſtotele 3. de Cœlo tex.31. Illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, vel actu, ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie. Dicitur illud corporum, ſeu *Corpus* conſtans ſcilicet materia, & forma ſubſtantiali, nullum enim eſt argumentum probans in mixtis compoſitionem ex materia, & forma ſubſtantiali, quod illam non probet etiam in elementis, quod ſi Ariſtoteles hic videtur innuere elementa differre ſecundum contrarietatem, ideòque debere per contrarietatem, ſeu per qualitates contrarias conſtitui, explicandus eſt de contrarietate, & contrarijs qualitatibus radicaliter, apertè enim tum alibi, tum præcipuè 3. met. tex.17. docet elementa eſſe ſubſtatias, dicitur elementum eſſe, *in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt actu, vel potentia* iuxta duplicem ſententiam de elementis in mixto, vel actu, & ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, vel ſolùm potentia ſecundum ſuas virtutes, & qualitates; cum verò primæ qualitates tam inſint in mixtis, quàm in elementis, ideò potius dicuntur qualitates elementorum manere in mixtis, quàm qualitates mixtorum manere in elementis, quia cum quælibet è primis qualitatibus debeatur ſolùm alicui elemento in ſummo, ideòque ſecundum maximam perfectionem, quam naturaliter poſſunt habere, elementis primò & principaliter videntur deberi, ac proinde peculiari quodam iure videntur eſſe qualitates elementorum, hinc quia quando mixtum diuiditur, & reſoluitur in alia corpora, ſemper reſoluitur in corpora habentia aliquas primas qualitates, quæ elementis peculiariter debentur, ideò mixta dicuntur diuidi, & reſolui in elementa; ſicut enim mixtum componitur ex elementis potentia, ita reſoluitur in elementa potentia, ſeu in potentias, virtutes, & qualitates elementorum. Ipſum verò elementum eſt *indiuiſibile in diuerſa ſpecie*, quia licèt ſit reſoluibile in materiam, & formam, materia tamen, & forma non ſunt corpora, ſeu ſubſtantiæ completæ, ſicuti ſunt ipſa elementa, in quæ reſoluuntur mixta. Atque hoc in ſententia admittente elementa actu in mixto, in alia enim ſententia elementum eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie, quia cum primæ qualitates debeantur elementis in gradu ſimplici, hæ non ſunt reſolubiles in aliquid ſpecie diuerſum, ſicut accidit in mixtis, quæ cum exigant qualitates contrarias permixtas, ſi fiat reſolutio, & vna qualitas depuretur à contraria, erit quid ſpecie diuerſum à priori permixtione qualitatum contrariarum.

15 Hæc de elementis ſecundum ſe, apud nos enim ſunt valdè impura, multiſque particulis heterogeneis permixta, terra enim madeſcit aqua, afficitur ab aere, ſole, &c. hic eſt arenoſa, & ſterilis, illic fœcunda, &c. aqua inficitur terra, incaleſcit à Sole, & ignibus ſubterraneis, alicubi eſt dulcis, leuis, alibi amara, craſſa, &c. Aer continuis alterationibus immutatur ab aquis, ac terreſtribus exhalationibus &c. Ignis demum multum retinet de craſſitie, & humore materiæ, ex qua gignitur, hinc variat in calore, denſitate, actiuitate, &c.

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum Elementa, aliaque corpora viuentia, vel non viuentia habeant naturalem terminum magnitudinis, & paruitatis.

1 HAEc quæſtio ſolùm procedit ſecundum rei naturam præſcindendo à circumſtantijs extrinſecis, ſtante enim hac rerum diſpoſitione, certum eſt omnia habere terminos tàm magnitudinis, quàm paruitatis, ignis enim v.g. non poteſt magis ſemper, ac magis augeri tum ex defectu materiæ, tum ex reſiſtentia aliorum corporum, tum propter bonum totius vniuerſitatis, ſimiliter ſpectatis extrinſecis circumſtantijs omnia habent terminos paruitatis, nihil enim produci poteſt in qualibet minima quantitate ex defectu extrinſeci producentis, & productum non poteſt in minima qualibet mole à contrarijs agentibus ſe defendere, & conſeruari; atque in hoc ſenſu diximus vbi de compoſitione continui, continuum permanens cõponi ex minimis phyſicis, ex particulis ſcilicet, quæ non poſſunt naturaliter diuidi, non ex eo, quod ratione ſui non ſint diuiſibiles, ſed ex eo, quod nullum ſit agens naturale potens illas diuidere.

2 Spectatis ergò merè intrinsecis rerum naturis dicendum est primo: corpora omnia viuentia ex natura sua determinare sibi certos terminos tam magnitudinis, quã paruitatis saltem moraliter. probatur, quia viuentia constant corpore organico, organum autem cuiuscunque magnæ, vel paruæ molis ad animæ operationes aptum non est, hinc Arist. 2. politicor. cap. 4. ait: *Est quadam mensura magnitudinis animalium, plantarum, instrumentorum, nam horum singula, neque parua nimiè, neque magnitudine excessiua suam potentiam retinent, &c.* Præterea cum viuentia debeant nutriri, & accretionis principium finitam habeat virtutem; si moles multum excrescat, tam virtus diffusiua, quàm attractiua alimenti, vt potè finitæ, non poterunt ad quælibet membra quantumcunque distantia alimentum impertiri; dicendum igitur est: viuentia certum sibi poscere terminum versus magnitudinem, tam intrinsecum, maximum scilicet quod sic, quam extrinsecum, minimum videlicet quod non; & pariter certum sibi poscere terminum versus paruitatem tam intrinsecum; nempè minimum quod sic, quam extrinsecum, maximum scilicet quod non, idque saltem moraliter, saltem, inquam, moraliter, neque enim tales termini videntur ità mathematicè definiti, vt si materiæ viuentis millesima, v. g. pars acuminis acus addatur, vel detrahatur, debeat statim viuens perire, horum ergo terminorum datur moralis quædam latitudo, quæ nimium excedi non possit, ideòque si per accidens excedatur, debeat redire ad terminos naturales amittendo id, quod plus acquisiuit, vel acquirendo illud paruum, quod per accidens deperdidit; hoc enim est dari terminos magnitudinis, & paruitatis moraliter.

3 Corpora etiam, quæ cum viuentibus naturalem habent connexionem, in prima sui productione certum habent terminum magnitudinis, quæ enim naturalem habent cum viuentibus connexionem, eò quod vel producantur cum viuentibus, vel viuentibus succedant, sequi naturaliter debent magnitudinem viuentium; neque enim cadauer potest naturaliter esse maius, quam potuerit naturaliter esse viuens, ad quod succedit; similiter lac, vel sanguis non potest in maiorem molem continuam primo generari, quam sint organa, in quibus producuntur; postquam autem hæc primo fuerunt naturali modo genita intra venas, possunt secundum plures, & plures partes in vnum colligi, & maiorem molem naturaliter conflare.

4 Elementa, & mixta non viuentia, nec non qualitates illis debitæ ex mera sui natura, & præscindendo à quolibet extrinseco, in cuius bonum ordinentur, nullos poscunt certos terminos magnitudinis, vel paruitatis, neque in extensione, neque in intensione; cum enim hæc non requirant certam organizationem, non est cur certos terminos exigant magnitudinis, vel paruitatis. Neque obstat Aristoteles 2. de anima, tex. 41 vbi ait: *Natura constantium omnium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti*, quia per ea, quæ natura constant, intelligit viuentia, natura enim iuxta primam nominis originem sumi solet pro nascitura, quæ propriè tribuitur viuentibus. Quod verò ita ibi nomen naturæ accipiatur ab Aristotele patet, tum quia immediatè subdit *hæc autem animæ sunt*, tum quia immediatè ante dixerat, *Ignis augmentum in infinitum abit, quousque fuerit combustibile* Quare ex hoc vno Aristot. textu habemus quæcunque hucusque dicimus; sicut enim ignis, & eadem est ratio de alijs non viuentibus, in infinitum abit, ita viuentium omnium terminus est, & ratio magnitudinis. Sed hæc diximus vera esse præscindendo à quolibet extrinseco in cuius bonum ordinentur; Si enim spectemus exigentiam corporum naturalium, in cuius bonum institutæ sunt qualitates elementares, neque intendi possunt vltra octauum gradum, neque redigi ad minimam quamlibet intensionem; similiter si spectemus bonum totius vniuersitatis, nullum elementum potest, vel multum excrescere, vel ad quamlibet minimam intensionem decrescere, vt diximus num. 1.

5 Dices nulla res est, quæ in qualibet minima quantitate possit operari, ergo nulla res poterit in qualibet minima quantitate naturaliter conseruari. Ex Aristotele enim 2. de Cœlo tex. 17. esse, & conseruari est propter operari, Præterea quælibet forma substantialis exigit ad sui productionem, & conseruationem determinatas dispositiones, inter quas est determinata quantitas. Sed ad primum respondeo posse saltem ex re qualibet in qualibet minima extensione emanare vbicationem, & reliquas passiones, & si adsint dispositiones, poterit etiam continuari cum alia re homogenea, quæ illi applicetur. Ad secundum dico formas substantiales exigere determinatas dispositiones quoad intensionem, non quoad extensionem, si loquamur de non viuentibus; Ignis enim, vt diximus cum Aristotele, in infinitum abit.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quomodo fiat corporum rarefactio, & condensatio.

1 DAri corporum rarefactionem, & condensationem manifestis experientijs constat. In concreto definitur rarum ex Aristot. 4. Physicorum tex. 84. quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ; densum verò, quod sub paruis dimensionibus multum habet materiæ, nomine verò materiæ intelligitur quælibet substantia materialis, atque hæc est rara, dum quamuis entitatiuè parua, magnas tamen habet dimensiones, densa verò, quando licet entitatiuè magna, paruas tamen habet dimensiones, & extensionem. Duo hic sunt quærenda per quid scilicet habeatur rarefactio, & condensatio formaliter, & in actu secundo; & per quid habeatur radicaliter, & in actu primo; miraculosè enim potest corpus habere vnam, & non aliam raritatem vel densitatem; corpus enim Christi Domini in Eucharistia existit cum suis partibus raris, vel densis in actu primo, licèt in actu secundo non habeat illas vbicationes, quæ tali earum raritati, vel densitati connaturaliter debentur.

2 Quoad primam ergo quæstionem dicendum primo est rarefactionem non haberi formaliter per vacuitates intra partes corporis rarefacti relictas, tum quia omne, vel minimum vacuum naturaliter repugnat, vt suo loco probauimus, tum quia ignis maximè rarus magnas haberet vacuitates, cur autem dicendus erit ignis illas pati? cum enim sit valde subtilis, & mobilis, si potest tales vacuitates tollere, & suas partes coniungere, atque per hanc partium coniunctionem illas reddere validiores, cur hoc non facit? Demum si ad impediendum vacuum, corpora rarefiunt, quomodo rarefactio habebitur per vacuitates. Adde quod vacuitates istæ deberent esse magnæ, si enim aër condensari potest itaut redigatur in locum quintuplo, & decuplo minorem, profectò quando erat rarus, plus dabatur in illo vacui, quam pleni.

3 Sed neque habetur rarefactio per interpositionem corpusculorum, neque condensatio per eorundem exclusionem, quod probatur primo fiant folles prænmatici ex pellibus compacti, qui complicentur, ac deinde omnia eorum foramina benè obturentur, si ergo velimus illos aliquantulum explicare, facile id fiet, sed difficultas erit deinde maior, quò magis eos explicare voluerimus, imò eò tandem deuenietur, vt prius dirumpantur, quam vlterius explicentur; quamuis cæteroqui, si aëri pateret ingressus, sine vlla difficultate possent multo magis ratione pellium amplarum explicari. Hoc posito, si aër inclusus intra folles rarefit per ingressum corpusculorum, cur non vlterius, & vlterius rarescit per plurium, & plurium corpusculorum ingressum, pori enim, per quos corpuscula subeunt sunt ijdem, & si dicas deesse in hoc aere ambiente corpuscula tenuia potentia subingredi, transfer aliò folles, & vide, num ibi adsint corpuscula, per quorum ingressum folles vlterius explicentur. Præterea si violenta explicatio follium, & aeris inclusi rarefactio facta fuisset per ingressum corpusculorum, folles sibi relicti non deberent magno impetu tendere ad suam priorem complicationem; si enim tot sunt corpuscula intra folles, quot sunt apta sine violentia replere locum à follibus apertum, cur tanto impetu redeunt ad pristinum statum? Hoc certè non aliunde orietur nisi, ex eo, quod aer inclusus dilatatus sit violenter. Confirmatur, si postquam folles lusorij repleti sunt aere valdè compresso, fiat in illis exiguum foramen, aer magno impetu, & furore exilit, non nisi quia aer est violenter conpressus; hoc autem per corpuscula non potest vllo modo explicari.

4 Idem probatur secundo experientia vitreæ cucurbitulæ, dum enim hæc carni applicatur extincta flamma, quæ intra illam fuerat accensa, caro intumescit, huius autem ratio alia reddi non potest, nisi quod aer accenso igne rarefactus, eo extincto densatur, & ne detur vacuum, caro attollitur, hinc vt caro magis intumescat, cucurbitula per aquæ affusionem solet infrigidari. Negant tamen nonnulli hanc esse huius experientiæ rationem, ex eo, quod, si caro eleuaretur ad replendum vacuum, vel eleuaretur in instanti, cum natura neque per vnicum instans patiatur vacuum, vel certè statim ampulla frangeretur, Rationem igitur allatæ experientiæ dicunt esse, quia per calorem aperti sunt pori carnis, & per illos intromittitur paulatim aer, ideoque caro ascendit ad replendum locum relictum ab aere. Sed contra est quia vt ab hoc vltimo incipiamus, si caro intumescit ex eo, quod per calorem pori carnis aperiuntur, quando calor est maior, tunc deberent pori magis aperiri, ac magis per illos aer ingredi, & per consequens, tunc caro deberet magis intumescere, quando calor est intensior. Sed hoc est falsum, quia tunc caro intumescit, quando calor remittitur, ideoque vt caro intumescat magis, ampulla refrigeratur; præterea etiam si pori carnis calore aperiantur, cur tamen aer tanta vi in illos ingreditur, vt caro cogatur attolli? neque enim ex eo quod pori sint aperti, ideo timeri potest vacuum; nam si ex illis nihil extrahatur, nullum dabitur vacuum, ideoque non erit cur aer tanta vi petat in poros carnis se se insinuare, eamque attollere. Ad id, quod dicebatur, debere scilicet carnem eleuari in instanti, si verum esset, id quod nos diximus. Respondeo cum calor aeris inclusi intra ampullam non in instanti, sed paulatim remittatur, ipsa etiam caro suc-

cessiue

cessiuè ad impediendum vacuum attollitur. Quod si cum alijs dicas carnem attolli, quia per poros vitri egrediuntur corpuscula. Contra est primo, quia quid cogit hæc corpuscula exire. Contra secundo, si aliqua corpuscula exeunt, cur alia non subintrant? quod facilius est, quam carnem attolli. Contra tertiò, cum tumor carnis sit magnus, quanta corpusculorum copia exire deberet è vitro?

5 Dices in aqua calefacta apparent multæ bullæ aere, & corpusculis plenæ, ergo rarefactio habetur per intromissionem corpusculorum. Respondeo nego consequentiam, sicut enim non quidquid vulgò dicitur vacuum, est vacuum philosophicè, ita non quid quid dicitur rarum, est rarum philosophicè, quando ergo spongia impletur aqua, folles, & bulla aquæ replentur aere non datur rarefactio philosophicè, de qua hic loquimur, & quam præter rarefactionem vulgarem verè dari probauimus in aere rarefacto intra folles condensato intra ampullam vitream, & non per intromissionem, vel exclusionem corpusculorum.

6 Rarefactio neque habetur formaliter per additionem nouæ quantitatis priori quantitati remanenti, neque per mutationem totius quantitatis succedente noua quantitate in locum prioris totaliter pereuntis. Hæc conclusio quoad primam partem sic probatur; vel noua quantitas *priori remanenti* succedens subiectatur in eadem parte *subiecti*, in qua subiectatur prior quantitas remanēs, & dabuntur duæ quantitates penetratæ, quod est absurdum, vel aliqua pars subiecti, veluti subtrahit se à priori quantitate, vt recipiat quantitatem succedentem de nouo, & accidens migrabit de subiecto in subiectum, quod pariter est absurdum. Quoad secundam verò partem probatur conclusio primo, quia daretur resolutio vsque ad materiam primam, cum enim accidentia communia, vt probauimus hoc lib. dist. 8. cap. 1. immediatè subiectentur in quantitate, si in rarefactione, & cōdensatione periret tota quantitas præcedens, periret subiectum priorum accidentium, quæ proinde perire etiam ipsa deberent. Probatur secundo, quia præcipua difficultas in hac re remanet iuxta hanc sententiam integra, quonam enim pacto eædem partes materiæ, quæ modo correspondebant correspondentia adæquata huic quantitati minori, possunt inuariatæ correspondere sine vlla replicatione quantitati maiori quod si hoc à te non existimatur difficile, non erit difficilius quòd eadem materia, & quantitas modo possit habere vbicationem maiorem modo minorem; ex alio autem capite, si ita dicamus, melius philosophabimur, quia non tribuimus quantitati naturalem generabilitatem, & corruptibilitatem. Neque dicas materiam de se nullas habere partes nisi ratione quantitatis, hoc enim reiectum est lib. primo dist. quinta cap. tertio sect. 2. præterquam quod si materia de se non habet partes præcisa à quantitate, de se neque erit magna, neque parua, ideoque male definietur ab Aristotele rarum esse, quod multum habet materiæ.

7 Dices materiam, & aliam quamcunque rem naturalem præscindendo à quantitate habere partes penetrabiles, ideoque in condensatione dari paruam quantitatem in pluribus partibus materiæ penetratis quæ accedente noua & maiori quantitate veluti explicantur, & plus, vel minus desinunt esse penetratæ, prout maior; vel minor est quantitas de nouo succedens. sed contra quia hoc pacto quantitas non modo esset generabilis, & corruptibilis, sed etiam sæpe esset in continuo fluxu, quoties videlicet aliquid successiuè rarefieret, vel condensaretur; non debemus autem rebus; quæ apparent nobis permanentes, adimere permanentiam sine positiuo fundamento, aliter dicam etiam, quòd quando cera. v. g. rarefit, albedo etiam continuò tota mutetur sicuti successiue mutatur tota quantitas; Adde ex Aristotele vnum vni contrarium esse, iuxta hanc autem sententiam calor non solum frigori, sed etiam quantitati opponeretur, quæ per calorem successiue mutaretur, prout per calorem corpus successiuè rarefieret.

8 Habebitur ergo rarefactio, & condensatio formaliter & in actu secundo per hoc, quod eadem res materialis modo sit cum maiori, modo cum minori vbicatione, probatur autem tum ex impugnatione aliarum sententiarum tum quia corpus formaliter rarefactum necessario habere debet maiorem vbicationem, condensatum verò minorem, sed nulla est necessitas aliud admittendi; vt constabit, ergo &c. Præcipua contra hoc difficultas est, quomodo corpus v. g. palmare possit vel per rarefactionem absque replicatione extendi ad occupandum spatium v. g. bipalmare, vel per condensationem absque penetratione occupare spatium v. g. semipalmare. sed respondetur tunc duo corpora v. g. duos palmos aëris penetrari, quando remanente primo palmo aëris adæquatè in suo loco, in quo erat prius secundus palmus ingreditur talem locum primi palmi; at si primus palmus secundum quamlibet sui partem designabilem recedat à loco, in quò erat prius, & contrahatur, ac pariter secundus palmus secundum quamlibet sui partem designabilem contrahatur, & sequatur contractionem primi palmi occupando locum à primo palmo relictum, nulla est pars aëris quæ cum alia penetratur. Similiter, ad hoc vt aër v. g. palmaris replicaretur, deberet manens totus eo modo, quò prius in spatio palmari, deberet, inquam, poni totus in alio spatio palmari, in rarefactione autem hoc non accidit, non enim manet palmus aëris eo modo, quò prius, sed ita per rarefactionem occupat spatium bipalmare, vt secundum mediam sui partem sit in primo palmo spatij, secundum aliam vero in secundo.

9 Dices si palmo v. g. aëris detur vbicatio bipalmaris, partes vbicationis erunt duplo maiores partibus aeris vbicati, quod non est perceptibile. Respondeo Res materiales habere quidem de se

partes

partes sed quæ non extenduntur formaliter in ordine ad locum, nisi per vbicationem, quare de se non habent nisi aptitudinem, & exigentiam tantæ extensionis localis. Porro eædem partes cum tali qualitatum temperamento exigunt tantam extensionem localem, cum alio vero diuersam, ideoque eædem partes rei materialis habere possunt nunc maiorem, nunc minorem vbicationem, Sic corpus Christi Domini in Eucharistia habet partes, et est v. g. septipalmare, sed non est tale formaliter per actualem extensionem localem septipalmarem sed solum aptitudinaliter, & exigitiuè, sicut autem miraculosè corpus Christi Domini nullam habet in Eucharistia circumscriptiuam vbicationem, ita benè intelligimus, quod idem corpus habere possit modo maiorem, modo minorem vbicationem circumscriptiuam pro ratione diuersi caloris, frigoris, impetus &c. Neque verò per hoc incidimus in sententiam de punctis inflatis, vt enim alibi diximus, si vnum indiuisibile esset in spatio diuisibili, esset in illo ad modum entium spiritualium, totum scilicet in toto spatio, & totum in qualibet parte spatij, quod non sequitur ex eo, quod partes diuisibiles occupant nunc maius, nunc minus spatium diuisibile, Hinc Angelus dum occupat maiorem locum non potest dici rarefactus, quia est quid indiuisibile, rarefactio autem dicitur de substantia diuisibili occupente maius spatium.

10 Præter ipsam formalem extensionem localem, nunc maiorem, nunc minorem dari in corporibus debet aliquid, quod ipsam maiorem vel minorem extensionem localem exigat, hoc autem non potest esse ipsa mera substantia corporis; cum enim hæc inuariata substantialiter nunc sit magis, nunc minus extensa localiter, aliquid aliud debet esse diuersæ vbicationis determinatiuum; quod propterea dicitur raritas, vel densitas radicalis, & in actu primo; hanc ergo haberi dicendum est primo per calorem, vel frigus, vel per eorum temperamentum, si enim aër calefiat rarescit, si frigefiat densatur. secundo haberi potest ab impulsu vel metu vacui, per impulsum enim densatur aër intra folles, & dum ex phialæ orificio exugitur aër, reliquus aër qui remanet intra phialam dilatatur, seu rarefit metu vacui, Dixi dilatari, seu rarefieri; leuis enim quæstio est, vtrum illa solum dicenda sit propriè rarefactio, quæ habetur à calore, itaut quæ habetur ab impulsu, vel metu vacui, dicatur dilatatio; sicuti pariter illa solum quæ habetur à frigore vocanda propriè sit condensatio, quæ vero ab impulsu vocanda sit compressio; in hoc enim loquere, vt libuerit, dummodo concedas quamlibet ex his haberi formaliter per maiorem, vel minorem vbicationem. Porro nullam præterea admittendam esse peculiarem qualitatem, quæ sit raritas, vel densitas radicalis probatur, quia nulla est illius necessitas, cum enim statim ac corpus calefit, vel frigefit, vel impellitur &c. rarefiat, vel condensetur: calor, frigus &c. absque vlla alia qualitate erunt causa rarefactionis, vel condensationis, quod vero aliqua v. g. ferrum, marmor &c. quantumuis valdè incalescant non tamen valdè rarefiant, oritur ex alijs accidentibus v. g. duritie siccitate &c. resistentibus raritati.

11 Per accidens & remotè potest ex calore oriri densitas, ex frigore raritas, quando enim sylua incenditur aer proximus quantumuis calefactus comprimitur vi caloris, & ignis accensi exigentis locum ampliorem, quam exigebant arbores non accensæ, verum comprimitur remotè ex vi caloris, proximè enim comprimitur per impulsum sibi impressum ab igne se dilatante, similiter si aqua vi frigoris condensatur aer ambiens, quamuis ab aqua, quam ambit, infrigidetur, cogitur tamen rarefieri ne detur vacuum, ideoque hæc rarefactio oritur à frigore per accidens, & remotè quamquam in neutro casu raritas, aut densitas aëris oritur à calore vel frigore existente in ipso aere, sed à calore, vel frigore existente in corpore vicino. Ex his vniuersaliter constat non posse vnum corpus rarefieri, quin aliud condensetur, ne detur corporum penetratio, neque posse vnum corpus condensari, quin aliud rarefiat, ne detur vacuum.

12 Demum non videntur corpora posse naturaliter magis, ac magis sine vllo termino rarefieri, vel condensari, postquam enim in follibus lusorijs aer est valde compressus, prius folles disrumpuntur, quam possit intra illos aer vlterius comprimi; sicuti pariter folles ampli, sed complicati, occlusis omnibus foraminibus, post aliquam explicationem prius franguntur quam possint per maiorem aëris inclusi rarefactionem explicari; meritò autem corporibus dati sunt naturales termini raritatis, & densitatis; sub raritate enim, & densitate maiori corpora inepta essent ad ea munera, & operationes, propter quas sunt à natura instituta, imo neque possent cum maiori raritate partes materiæ inter se cohærere, neque forma substantialis, & accidentia illi debita in partibus materiæ maximè raræ, vel densæ possent naturaliter conseruari.

CAPVT QVARTVM.

De virtutibus actiuis elementorum.

1 Virtutes, seu qualitates actiuæ elementorum sunt quatuor primæ qualitates, Calor, frigus, humiditas, & siccitas. Frigus non esse meram carentiam caloris, sed tam calorem, quam frigus esse positiuas qualitates probatur primo experientia, quia tam caloris, quam frigoris validam sentimus actionem, secundo quia sicut calor agit in frigus, ita frigus agit in calorem, mera autem priuatio nihil potest agere; priuatio enim lucis existens in

in aliquo subiecto non agit in lucem existentem in subiecto proximo. Neque dicas, quando frigidum agit in calidum, actiuitatem omnem prouenire à forma substantiali frigidi, nam qui è contra non dicis potius formam substantialem calefacere sine positiuo calore, & solum frigus esse qualitatem positiuam? Adde à speciebus Eucharisticis frigidis sine forma substantiali destrui calorem, & causari in nobis talem sensationem; ergo, vt alibi sæpè diximus, dari in illis debet principium obiectiuum talis nostræ sensationis, quod erit frigus. Demum si frigus esset mera carentia caloris, & siccitas mera carentia humiditatis, terra nullam haberet positiuam qualitatem. Neque obstant aliquæ locutiones Aristotelis, sæpe enim ex duobus contraris id, quod est imperfectius dici solet priuatio respectu alterius, cum ergo frigus, vt potè minus actiuum, & ignobilioribus corporibus debitum, sit imperfectius calore, vocatur non nunquam ab Aristotele caloris priuatio.

2 Quamuis hæ qualitates per experientiam ita nobis innotescant, vt clarius per definitionem explicari non posse videantur, explicantur tamen ac describuntur in ordine ad aliquos effectus, vel notiores, vel æquè notos; quò enim res aliqua in ordine ad plures effectus cognoscitur, eò eius natura melius innotescit. Calor ergo ex Aristotele secundo de Gener. tex. 8. definitur seù describitur: Qualitas, quæ congregat homogenea, & disgregat heterogenea; frigus verò qualitas, quæ congregat homogenea, & heterogenea simul. Porro homogenea, vel heterogenea intelliguntur hic ea, quæ sunt talia accidentaliter, imò quæ sunt talia non ratione quorumcunque accidentium, sed solum ratione eorum accidentium, quæ faciunt in ordine ad motum localem, quod satis constat ex ipsarum descriptionum verbis congregare enim, & disgregare habetur per motum localem, ideòque ea homogenea, vel heterogenea per calorem, vel frigus congregari, vel disgregari dicenda sunt, quæ per calorem vel frigus expediuntur, vel impediuntur in ordine ad motum debitum accidentibus, & virtutibus motiuis, quas habent singula corpora. Hoc posito allatas descriptiones esse bonas probatur experientia, dum enim metalla liquantur, & purgantur in fornace partes in leuitate homogeneæ vi caloris congregantur & è grauioribus heterogeneis segregantur; cum prius vi frigoris homogenea essent cum heterogeneis permixta. Idem patet in cera glacie, &c. in quibus vi frigoris heterogenea simul concrescunt per virtutem verò caloris leuiora à grauioribus secernuntur.

3 Dices primo hæ definitiones sunt longè petitæ; ideò enim calor congregat homogena, quia habet vim rarefaciendi, & attenuandi, &c. Respondeo has non esse exactas definitiones, sed quas Aristoteles desumpsit ex veteribus, vt satis ostendit, dum illas tradens inseruit, *quod inquiunt*. Nihil ergo vetat, quod calor per effectum proximiorem definiatur: qualitas, quæ rarefacit, frigus verò; qualitas quæ condensat. Addo tamen in subiecta materia bene descriptas esse has qualitates in ordine ad hos effectus secundarios cum enim describantur ab Aristotele, vbi agit de mixstione, & in ordine ad mixtionem; hæ descriptiones explicant concursum caloris, & frigoris ad constitutionem mixti, ad quam ita homogenea, & heterogenea concurrere debent, vt partim debeant esse simul congregata, partim verò disgregata, & in certas partes seposita.

4 Dices secundo sæpè calore congregantur heterogenea, vt quando calore constringitur lutum, durantur oua, calx resoluta &c. Respondeo communiter hanc congregationem fieri à calore per accidens. Sed cur hæc heterogeneorum congregatio fit a calore per accidens, alia verò per se? pro responsione distinguendum est duplex humidi genus, aliud aqueum, quod facilè resoluitur, & abit in vapores, cuiusmodi est humidum luti, calcis resolutæ, &c. aliud magis crassum vnctuosum, ac tenax; quod validè corporibus adhæret, ac tale est humidum metallorum ceræ, picis, &c. Hoc posito: à calore per accidens in luto, & calce aliqua homogenea, & heterogenea congregantur; per se verò sola homogenea à calore in metallis & glacie congregantur, quia calor per se habet inducere raritatem, ac tenuitatem, & partes humidas reddere permeabiles, itaut possint homogenea congregari, disgregari heterogenea. Quod si partes humidæ sint aqueæ, à corpore cui inerant separantur, & abeunt in vapores, si verò sint tenaces, & crassæ quamuis rarefiant, adhuc subiecto adhærent, illudque reddant permeabile, cum è contra pluribus humoris partibus è luto recedentibus, etiam si id, quod remanet, sit rarefactum, quia tamen præualet siccitas, ideò lutum redditur per accidens impermeabile ratione siccitatis præualentis; ac proinde non nisi per accidens in vnum adunantur leuiora, & grauiora; per accidens, inquam, quia si partes humoris aquei non auolarent, sed in luto detineretur, eo modo, quo in metallis liquatis remanet humor crassus, profectò in luto non aliter ac in metallis liquatis fieret per calorem separatio homogeneorum ab heterogeneis: In glacie liquata per calorem fit disgregatio heterogeneorum, quia licet plures partes humidi aquei auolent, adhuc tamen in partibus, quæ remanent non præualet siccitas. Similiter quod frigore exprimantur lacrymæ euenit etiam per accidens, sed quatenus frigus condensando, & constringendo exprimit humorem; è contra à calore congregantur homogenea per se, quia inducta raritate ipsa deinde corpora homogenea per suas virtutes motiuas separantur ab heterogeneis.

5 Dices tertio, si sanguis extrahatur à venis, quandiù est calidus, permixtos habet humores omnes heterogeneos, qui non incipiunt separari, nisi quando frigefiunt. Præterea calore permiscentur à Pharmacopæis medicamenta heterogenea ergo &c. Respondeo frigore reddi etiam accidentaliter heterogenea illa, quæ prius per calorem erant accidentaliter homogenea, quando enim sanguis est valdè calidus, tam partes crassiores, quàm tenuiores redduntur homogeneæ in leuitate, ideòque

ideòque manent permixtæ; vbi verò extra venas aliquantulum infrigidantur, aliquæ euadunt alijs grauiores, & accidentaliter heterogeneæ; sed quoniam sanguinis massa retinet tantùm caloris, quãtùm satis est vt sit permeabilis, hinc fit partium homogenearum congregatio, & heterogenearum disgregatio. Similiter dicendum est circa fluxiones, & reumata; quando enim hæc frigore redduntur cæteris humoribus grauiora, ita tamen vt reliqui humores frigore non concreuerint, fit reumatum separatio, & fluxus. Porro aliqua naturæ frigidioris, vt acetum, succus limonum, &c. dissoluunt vniones, & corallia, quia sua humiditate, & acrimonia in illa se se insinuant, illaque incidunt; sed cum hoc stat, quod vniones, & corallia dissoluta, & cum succo limonum permixta tandiu sint fluida, & permeabilia, adeò vt heterogenea in grauitate possint ab homogeneis disgregari, quandiu frigore non constringuntur.

6 Humiditas, vt colligitur ex Aristotele 2. de generat. tex. 9. est qualitas reddens corpus difficile terminabile termino proprio, facile alieno; siccitas verò, qualitas reddens corpus facile terminabile termino proprio, difficile alieno. Has etiam descriptiones affert Arist. in ordine ad mixtionem; sicut enim solum humidum nimis difflueret, & solum siccum nimis consisteret, ita ex humido, & sicco habetur mixtio, & perfectus corporis status. Humidum ex Aristot. 2. de generat. tex. 14. tripliciter dicitur. Primo quòd habet adscititiam humiditatem superficie tenus, & hoc propriè dicitur vdum. Secundo, quod non solùm in superficie, sed etiam in profundo habet alienam humiditatem, & hoc ab Aristotele vocatur irrigatum. Tertio quod habet natiuam, & propriam humiditatem, & hoc simpliciter dicitur humidum, cuiusmodi est aer, & aqua, atque hoc suscipit magis, & minus; cum verò humidum in hac acceptione opponatur ex Aristotele loco citato sicco, & congelato, distinguendum est duplex humidi genus, aliud tam in actu primo, quam secundo, aliud solùm in actu primo; humidum in actu primo, & secundo, est, quod non solùm exigit suis terminis difficile contineri, alienis verò facile, sed hoc etiam habet in actu secundo, talis est aqua, & aer non congelatus; aqua enim congelata est humida solùm in actu primo, hinc siccum opponitur tam humido in actu primo, & secundo, quam humido solùm in actu primo; congelatum enim opponitur solùm humido in actu secundo. Quare humido saltem in actu primo, quod simpliciter dicitur humidum, non opponitur nisi siccum, ideòque etiam de humido simpliciter dicto verificatur, quod vni tantùm sit contrarium, vt num. 11 dicemus. Porro illud simpliciter dicendum est humidum, vel siccum, quod sine vehementi alterius actione facilè, vel difficilè alienis terminis figuratur. Hinc metalla sunt sicca, quia nonnisi per vehementem actionem ignis figurantur terminis alienis.

7 Tam humiditas, quam siccitas sunt qualitates positiuæ, cum enim non sit maior ratio de vna, quam de alia, dari debet tum positiuum aliquod principium exigens facilem, quam aliud principium exigens difficilem terminationem termino alieno hoc autem principium non potest esse sola substantia, cum in Sanctissima Eucharistia non detur substantia panis, & vini, & tamen species panis sunt difficile, species vini facilè figurabiles termino alieno: Vide quæ diximus lib. 1. probantes quantitatem distinctam. Est autem distinguendum inter humida, & irrigata; irrigata enim per meram expressionem humoris exiccantur, seu desinunt esse irrigata, quæ autem verè sunt humida, verè in se habere debent humiditatem, ne enim detur processus in infinitum, & vnum corpus sit humidum per aliud, quo fuerit imbutum, aliud per aliud, &c. deuenire debemus ad aliquod corpus habens humiditatem non adsciticiam, sed natiuam.

8 Omnes hæ quatuor qualitates sunt primæ inter tangibiles, quidquid sit vtrum lux, & aliæ qualitates non tangibiles sint istis priores, vel æquè primæ; sunt autem primæ, quia non fiunt ex alijs qualitatibus tangibilibus, neque fiunt ex alterutris, sed omnes aliæ qualitates tangibiles fiunt ex istis. Non fiunt ex alijs qualitatibus tangibilibus, quia nullæ sunt assignabiles, ex quibus fiant, non ex alterutris, quia licèt vna fiat ex alia tanquam ex termino *à quo*, vna tamen non fit ex alia tanquam à causa effectiua, vt nunc loquimur; si enim calor esset causa siccitatis, vel humiditatis, vbicunque est siccitas, vel humiditas, esset etiam calor, quod tamen est falsum; pariter si frigus esset siccitatis, vel humiditatis causa, vbicunque est siccitas, vel humiditas esset etiam frigus, quod similiter est falsum. Cum verò siccitas, & humiditas neque possint fieri ad inuicem, quia sunt contraria, erunt qualitates primæ, æquè ac calor, & frigus; Neque dicas siccitatem oriri ex calore; cum enim, vt diximus, detur siccitas sine calore, vt constat in terra, per calorem remouebuntur solum à subiecto partes humidæ, ita vt remoto impedimento ipsum subiectum possit sibi recuperare siccitatem amissam. Demùm ex his qualitatibus, earumque varia permixtione oriuntur aliæ qualitates tangibiles, quæ propterea dicuntur secundæ, vel quod secundæ qualitates immediate oriantur à primis, vel saltem quod secundæ oriantur à forma substantiali, quæ ad primas qualitates consequitur.

9 Omnes hæ primæ qualitatés, si considerentur, prout componunt mixtum, habent rationem passiui, ideoque ab Aristotele 2. de partib. anim. cap. 1. vocantur compositorum corporum materia, quæ vtique est potentia passiua; si considerentur quoad rationem vniendi, vel disgregandi, vel prout facile, vel difficile terminantur termino alieno, calor, & frigus sunt qualitates actiuæ, quia congregare, vel disgregare est agere siccitas verò, & humiditas

sunt passiuæ, quia facilè, vel difficilè terminari est pati, ita Aristotele 4. metaphysicor. cap. 2. si demum considerentur in ordine ad calefactionem, & refrigerationem, humectationem, & exiccationem, omnes sunt actiuæ; quamuis enim actiuitas caloris, & frigoris sit maior, & longè sensibilior, non tamen siccitati, & humiditati omnis actiuitas deneganda est; verè enim aliquæ humiditatem deperdunt, & euadunt sicca, vt cum aqua concrescit in lapides, & alia humiditatem acquirunt, vt cum carnes, aliaque similia in locis humidis computrescunt; quod si aliqua nunquam possunt ab extrinseco acquirere maiorem siccitatem, vel humiditatem, quam de se habent, hoc non probat, quod non dentur alia corpora, in quæ humiditas & siccitas agant; quare hæ etiam qualitates dicendæ sunt actiuę, licet minus, quam calor, & frigus.

10 Quilibet calor est eiusdem speciei cum alio quolibet, primo, quia quilibet calor, si sit intensior, auget alium quemlibet. Secundo quia à quolibet calore multi effectus eiusdem rationis producuntur, à calore enim radiorum Solis per reflexionem, vel rarefactione collecto æquè producitur ignis, ac à calore alterius ignis; pulli ex ouis tam per igneum, quam per vitalem calorem producuntur; concoctio ciborum, quæ fit à calore vitali, iuuatur medicamentis calidis, & eandem sensationem experimur, siuè manus à calore Solis, siuè à calore ignis in pari intensione calefiat. Quod verò aliqui effectus fiant ab vno, non verò ab alio calore, refundendum est in alias qualitates vni, non alteri calori permixtas. Sic humiditas aquæ extinguit ignem, quem fouet humiditas olei, quia hæc habet ad mixtum accidens pinguedinis. Calor aduentitius, & nimius destruit vitalem, non, quod vnus alteri sit contrarius, sed quia ille, si sit nimius, lædit operationes vitales; & mortem afferens tollit principium, à quo calor vitalis conseruetur; Diuersificantur quidem febres à Medicis ex diuersitate calorum; verum non ex diuersitate entitatiua calorum, sed ex eo, quod hic calor has partes, ille verò alias afficiat, hic spiritus, ille humores, ille ipsam cordis, & membrorum substantiam. Quod diximus de quolibet calore, dicendum de quolibet frigore, siccitate, &c. Nam præter rationes allatas, quæ æquè militant pro his etiam qualitatibus, nulla est necessitas multiplicandi in his qualitatibus species diuersas. Quamuis enim elementa, & mixta specie inter se differant idem tamen calor licet eiusdem speciei in tanta intensione potest esse proprietas ignis, in intensione verò minori esse potest proprietas alterius corporis.

11 Calor frigori siccitas opponitur humiditati, ita vt non possint naturaliter stare simul in eadem parte subiecti, si ambæ qualitates sint in summo, vel vna in summo, alia in gradu remisso, adeoque solùm possunt stare simul in eadem parte subiecti, si simul acceptæ non superent latitudinem, vt octo, vt ex alibi dictis facilè colligitur. Verum hæc contrarietas non habetur solùm ex mera incapacitate subiecti, sed ex peculiari inter huiusmodi qualitates oppositione. Nam ex Arist. doctrina vnum vni contrarium est; Calor enim non opponitur nisi frigori, siccitas non nisi humiditati, vt patet ex eo quod in eodem subiecto, in quo sit calor vt octo, potest esse albedo, dulcedo, & aliud quodlibet accidens præter frigus, è contra in subiecto, in quo est vna forma substantialis totalis, nulla alia forma substantialis totalis, esse simul cum illa naturaliter potest. Ex quo inferimus inter calorem, & frigus, & eadem est ratio de humiditate, & siccitate, peculiarem dari oppositionem, quæ non datur inter vnam formam substantialem totalem, & aliam pariter totalem; nam cum vna forma totalis alteri cuilibet totali opponetur; hæc oppositio habebitur ratione incapacitatis subiecti. Idem dicendum de oppositione vnius vbicationis cum alia, neque enim vna vni, sed vna cuilibet alteri vbicationi opponitur; ideoque non nisi propter incapacitatem subiecti non potentis habere simul plures vbicationes. Porrò qualitas, quæ vni opponitur peculiari modo illi contrariatur, primo quia sicuti oppositio contradictoria, & omnium maxima, est talis vt vnum vni opponatur ita inter alias oppositiones illa erit maior, quæ ad contradictoriam magis accedit in hoc, quod vnum vni opponatur. Secundo id quod vni opponitur pugnat contra illud, calor enim pugnat contra frigus, siccitas contra humiditatem, è contra quæ pluribus opponuntur contra illa de se non pugnant, neq; enim vna vbicatio pugnat contra aliam, neque vna forma substantialis de se pugnat contra aliam, cum ex alibi dictis substantia non agat immediatè in extraneum subiectum, sed solùm mediante actione primarum qualitatum, quæ proinde peculiari modo sunt inter se contrariæ.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

De Virtutibus Motricibus Elementorum.

1 CVm elementa, & mixta instituta sint à natura, vt facerent vnum globum totalẽ, non tumultuariè, sed cum debito ordine, non modo debuit initio quodlibet corpus in suo loco constitui, sed si quando à tali loco dimoueretur, prouideri debuit de modo, quo locũ deperditũ posset reacquirere, hinc præter potentiam loco motiuam viuentium, de qua suo loco, corporibus etiam non viuentibus datæ sunt virtutes motrices, per quas videmus terram, si in aere libera relinquatur tendere deorsum ad locum sibi debitum, ignem ascendere, &c. Neque verò hos motus fieri dicendum est ab extrinseco per attractionem magneticam, vel repulsionem à Cœlo, vel à terra, vel à centro; deberent enim fieri per virtutem aliquam diffusam per medium, nè detur actio indistans; sed hoc dici non potest, nam virtus diffusa per medium quò magis elongatur ab agente, à quo diffunditur, eò est debilior, sed idem lapis siue relinquatur liber ex apice montis, siue ex loco humiliori, semper incipit simili celeritate descendere, & eadem proportione intendit celeritatem sui motus, ergo non descendit per virtutem aliquam diffusam per medium, quæ diuersam diuersis in locis haberet vim. Præterea tanta virtus neque potest diffundi à centro imaginario, quod non nihil est, neque à centro, & puncto reali modicissimæ terræ, vt per se patet. Quod si dicas diffundi à toto globo terræ. Contra est, quia si lapis demittatur per foueam valdè profundam, lapis non deberet descendere, sed potius attrahi à partibus terræ, quæ sunt ad latus, vt potè habentibus per te vim magneticam. Demum facilius à vi magnetica terræ, vel alterius corporis traheretur, vel repelleretur modicus puluis, quam magna terræ massa, quod tamen est falsum.

2 Mouentur ergo localiter elementa, & corpora etiam non viuentia per virtutem sibi intrinsecam, cum enim moueantur ad aliquid sibi bonum, eorum motus esse debet à principio intrinseco; non aliter ac aqua, dum reacquirit frigus deperditum, quia mouetur ad frigus sibi bonum, illud sibi per principium intrinsecum, per suam scilicet formam substantialem reacquirit; neque obstat quod quidquid mouetur ab alio mouetur; nam quidquid mouetur ab alio mouetur saltem remotè, quatenus ab alio debuit recipere virtutem motiuam; atque in hoc sensu etiam omnia creata moueantur à Deo, & à generante, à quo recipiunt virtutem motiuam, licet non omnia indigeant actuali influxu, & motu generantis, vel Dei se solo talem motum efficientis.

3 Has virtutes motiuas esse quid à substantia corporum realiter distinctum probari non inefficaciter potest eodem argumento, quo lib. 1. distinct. 5. cap. 3. sect. 3. probauimus quantitatem à rebus quantis realiter distinctam; & quod attulimus in prolusione de motu trepidationis terræ n. 38. Ex Sacramento scilicet Eucharistiæ, in quo pereunte substantia remanet tamen principium intrinsecum motus; cum enim ex dictis loc. cit. remanere debeat quid quid est principium obiectiuum immediatum nostrarum sensationum, & à speciebus panis positis supra manum experiamur manum impelli deorsum, dari debet principium talis impulsus, hoc autem non potest esse sola impenetrabilitas, quia siue ponatur supra manum magna, siue parua copia specierum æquè manus cum speciebus non penetratur; cum tamen magna specierum copia magis manum impellat, sicut ergo ab accidente quantitatis habetur impedimentum, nè Hostia consecrata penetretur cum manu, ita ab alio accidente habebitur, quod manus deorsum impellatur; neque dicas impelli manum à motu specierum, vel solùm ab impetu acquisito, nam præter impetum acquisitum à speciebus impellentibus, qui ex infra dicendis est principium immediatum impulsus, qui producitur in manu, admitti etiam debet grauitas innata, quia post omnem compressionem, quam species possunt facere, etiam si deinde tam species, quam manus persistant immotæ, adhuc tamen à speciebus impeditur subsultus carnis, eiusque reductio ad laxitatem connaturalem, hoc autem non potest præstari ab impetu, hic enim non producitur sine motu statim secuturo, vt infra probabimus. Quod si dicas impediri carnis subsultum à tali vbicatione specierum, contra est, quia species grauiores magis illum impediunt, quã minus graues, licet ambæ habeant similem vbicationem; fingere verò vbicationes aliquas grauiores, alias leuiores, alias magis, alias minus impedientes carnis subsultũ, non est euitare accidens grauitatis, sed illud identificare cum vbicatione, cui cęteroqui vt potè entitati modali non est tribuenda, vt alias diximus, alia perfectio, nisi quæ est necessaria ad tollendam illam indifferentiam propter cuius ablationem est instituta à natura.

4 Esse etiam has virtutes motrices distinctas à combinatione primarum qualitatum probatur, quia variata combinatione primarum qualitatum remanet plerunque eadem virtus motiua, si enim ferrum fiat candens, maxima fit primarum qualitatum variatio, & tamen vel nulla, vel insensibilis fit variatio virtutis motricis deorsum. Quod si dicas combinationem primarum qualitatum esse principium motus, sed nonnisi posita taquam vltimo determinatiuo tali

densitate, vel raritate; Contra est, quia in hac sententia idem calor cum formali raritate, hoc est cum tali vbicatione partium esset principium motus sursum, cum alia vbicatione esset principium motus deorsum; hoc autem dici non debet; licet enim calor, & raritas sint conditiones, quibus positis forma substantialis producit sibi leuitatem, quæ est immediatum principium motus sursum, non tamen ipse calor dici potest esse principium effectiuum motus sursum, neq; frigus motus deorsum; Sic enim philosophando; multas à rerum natura tollemus virtutes, & causas communiter receptas, & earum effectus facilè tribuere poterimus vnicæ causæ, quæ posita diuersa vbicatione v.g. vel duratione diuersa diuersimodè operetur; ideòque vna poni poterit qualitas, quæ posita raritate tanquam conditione calefaciat, & eadem posita densitate frigefaciat, quod non est asserendum; Si verò virtutem productiuam motus tribuas soli densitati, vel raritati formali; Contra est, quia vbicationibus vt pote modis non est, vt sæpè diximus maior virtus tribuenda, quam quæ sit necessaria propter id, ad quod institutæ sunt à natura.

5 Virtus motiua elementorum, aliorumque corporum non vitalis applicatiua ad certos terminos, est duplex, grauitas scilicet ac leuitas, illa est principium motus deorsum, hæc vrò motus sursum. Dixi virtutem motiuam non vitalem applicatiuam mobilis ad certos terminos esse duplicem, nam dantur præterea aliæ virtutes motiuæ etiam non vitales, quæ non sunt institutæ vt applicent corpus huic potius loco imaginario, quàm illi; talis est virtus, qua corpora violenter compressa, vel extensa reducunt se ad laxitatem, vel compressionem sibi debitam; datur etiam virtus ordinata ad mouendum extrinsecum subiectum, qualis est virtus magnetica aliorum corporum attractiua, &c. Sed hic loquimur solùm de virtutibus motiuis institutis ad hoc, vt corpora constituant vnũ globum totalem cum tali ordine locali; Atque has dicimus cum communiori sententia esse grauitatem, & leuitatem; sed non desunt, qui verè vnam tantùm admittentes virtutem motricem, aiunt omnia corpora esse grauia, alia tamen magis, alia minus grauia, vt verò recepta vocabula retineãt, vocantur ab ipsis leuia illa, quæ habent grauitatem minorem, non quod vlla positiua leuitate, ideòque positiua inclinatione tendant sursum, sed quod minori vi tendant deorsum, ex quo fiat, vt extrudantur sursum ab ijs, quæ deorsum vi, & grauitate maiori feruntur. Quare iuxta hanc sententiam grauitas, & leuitas non differunt specie, sed solùm secundum magis, & minus.

6 Ea, quæ ad probandam positiuam leuitatem afferuntur ab Aristotele, quia non multam videntur habere vim, dicenda sunt ab ipso fuisse adducta ad hominem contra dicta veterum, quæ nobis non innotescunt, ideòque potuisse contra ipsos habere vim argumenta illa, quæ nudè considerata non apparent valdè efficacia. Multa etiam afferuntur ab alijs argumenta non satis fortasse valida; Primo enim dicunt non esse maiorem rationem admittendi positiuam grauitatem, quam leuitatẽ; ideòque vtramque esse admittendam. Sed responderi potest maiorem rationem haberi ex eo, quod manifestis experientijs constat dari grauitatem, cur enim aliqua velocius, aliqua tardius descendunt, licet æqualis molis, nisi quia aliqua maiorem, aliqua minorem habent grauitatem, cæterum ab æquali aëre ambiente, & ascendente æquè deberent detrudi: dici ergo posset non esse admittendam leuitatem, si de illa positiuè non constet, cum cæteroqui omnia explicari possint per solam grauitatem maiorem, & minorem. Præterea esto, non sit maior ratio admittendi grauitatem potius, quàm leuitatem, certè cum per alterutram omnia possint explicari, dicere quis posset vnam saltem virtutem motricem fuisse corporibus inditam, licet nobis ignotam, cum duplex sit frustranea. Positiuum leuitatis experimentum afferunt in vase ligneo, quod solo aëre sit plenum, hoc enim si ore obturato conemur intra aquam demergere magna vi manum impellet contendens sursum ascendere, profectò non nisi per positiuam leuitatem quam habet, sed dicere aduersarij possent vas ascendere per extrusionem illi factam ab aqua grauiori. Respondebis tamen hoc dici non posse, quia si vasi supponatur manus, ita vt tangat vas summò fundo manus ab aqua ambiente non ita impelletur, sicut eadem manus impellitur ab ipso vase, si illi superponatur, ergo, inquies, si tota vis esset ab aqua, quantam violentiam sentit manus collocata supra vas, tantam etiam sentiret posita infra vas, quod tamen est contra experientiam. Confirmabis hanc tuam responsionem experientia pyramidis ligneæ, quæ sursum feratur inter aquas; ita vt apex pyramidis, per quam aqua scinditur sit ex parte superiori. In hoc ergo casu, inquies, aqua expellens est solùm illa quæ tangit basim, quæ enim est circa latera, si faceret vim pyramidi illam potius impelleret deorsum. Verum ad hoc patere potest effugium negantibus leuitatem positiuam, dicere enim possunt, quod ideò maiori vi impellatur manus collocata supra vas, vel supra pyramidem, quam infra, quia tam vas, quam pyramis extruditur etiam ab aqua, quæ est ad latera, eo modo quo nuclei ab vno digito sursum, ab alio deorsum compressi, neque ad motum sursum, neque ad motum deorsum determinantur, sed extruduntur ad latus. Quare licet si pyramis comprimeretur solùm ad latera, deberet detrudi infra aquam, cum tamen comprimatur etiam ex basi fit extrusio sursum per motum tamen ab vtraque compressione determinatum, hæc ergò experientia non videtur efficaciter probare positiuam leuitatem.

7 Rursus Ad probandam positiuam leuitatem in igne afferri solet vehemens illius motus, quo ascendit in montibus ignìuomis, hic enim neque haberi potest à terra circumstante, & extrudente, cum hæc stet immota, neque ab aere quia cum tota ferè montis cauitas sit plena igne, modicus aer

qui

quia non fit ad latera, non potest igni tantum impetum imprimere. Hoc idem videri inquiunti, in camino, per quem ita ignis ascendat, vt flamma totum caminum impleat. Sed respondet potest; ideò ignem ascendere, quia nouæ semper, ac nouæ partes materiæ ignescunt, quæ ad exigentiam formæ ignis factæ rariores, quærunt maiorem locum. Quare dicere possent aduersarij maiorem ignem velocius ascendere eò quod partes primo inflammatæ à pluribus ignis partibus quærentibus maiorem locum maiori impetu extruduntur, & quidem versus eam partem, qua patet, vel patere potest exitus facilior, ideoque in cuniculis ea ex parte flamma prodit, ex qua impedimentum est debilius.

8 Negari tamen non potest, quod hæc, aliaque similia experimenta suam vim habeant apud intellectum præcipuè benè dispositum. Dico tamen efficacius leuitatem positiuam probari posse hac experientia. Ponatur in phiala aliqua vitrea argentum viuum congelatum, seu condensatum. Potest enim mercurius mixtura quadam ex plumbo, stamno, alijsque confecta densari, vt videre est apud Patrem Athanasium Kircher in arte magnetica lib. 3. cap. 4. quest. prima Experimento primo Occupet autem huiusmodi argentum viuum tertiam ferè, vel quartam phialæ partem, tum infundatur aqua stigia, seu fortis, ac statim os phialæ benè obturetur, ita vt impetu argenti viui mox subsultantis reserari non possit. Vbi ergo aqua stygia peruaserit mercurium, statim crasso vapore, ac fumo replebitur phiala, ac sursum tendet tanta vi, vt si violenter non detineatur impingens in fornicem cubiculi multas in partes frangatur, hic ergo motus haberi non potest nisi à leuitate positiua, nam verum quidem est quod Mercurius rarescens, & quærens locum ampliorem imprimat impetum phialæ, sed cur sursum potius, quam deorsum, vel ad latus, nisi quia habet positiuam leuitatem? imo si valide conemur phialam determinare ad lineam deorsum adhuc illa suo nisu, magnoque impetu repetet locum sursum, profectò non nisi per principium leuitatis positiuæ inclinantis ad motum sursum; Suaderi etiam positiua leuitas potest ex modo ascendendi, quem seruat ignis eiusdem rationis cum modo descendendi quem seruat aqua; sicut enim aqua quia ex propria inclinatione descendit vt facilius diuidere possit resistentiam aeris conformat se in figuram piramidalem, ità quia etiam ignis ascendens in similem figuram se conformat, dicendus est ex propria inclinatione hoc modo ascendere, vt facilius possit aerem perrumpere.

9 Sed difficultas, & quidem non leuis superest, quomodo hæ duæ virtutes motrices corporibus insint qua in re videtur de his non aliter, ac de alijs qualitatibus philosophandum tali pacto. Cum leuitas ad raritatem, grauitas ad densitatem subsequatur, & cum in raritate, & densitate dari constet, ex dictis alibi, maximum naturale non aliter ac detur in primis qualitatibus maximum naturale: Corpora, quæ habent raritatem maximam, quam materia naturaliter habere potest dici etiam possunt habere maximam naturalem leuitatem sine admixtione grauitatis, & quæ habent maximam densitatem, quam habere naturaliter materia potest, habere dicenda sunt maximam grauitatem naturalem sine admixtione leuitatis; cætera vero corpora, prout magis, vel minus recedunt à maxima raritate, & accedunt ad densitatem, eò etiam magis, vel minus habebunt de leuitate, sed ita, vt quantum illis desit de leuitate tantundem suppleatur de grauitate vsque ad complementum intensionis vt octo, non aliter ac superius diximus, purum ignem esse calidum in summo sine admixtione frigoris, aquam esse frigidam in summo sine admixtione caloris, cætera vero corpora prout magis, vel minus recedunt ab igne, & accedunt ad aquam, eò magis, vel minus habere de calore, ita tamen vt quantum in illis deest de calore tantundem suppleatur de frigore vsque ad complementum intensionis, vt octo; hoc autem suadetur tum à paritate primarum qualitatum; tum quia si non daretur grauitas permixta cum leuitate, ideo fortasse quia leuitas non suscipit magis, & minus, sed solum inest corpori habenti maximam raritatem naturalem, sed hoc dici non potest tum quia si grauitas suscipit magis & minus, cur non etiam leuitas? tum etiam quia vix, imò, ne vix quidem daretur apud nos leuitas positiua, cum, sicuti non datur apud nos purus ignis cum maximo naturali calore, ita non detur apud nos corpus in statu maximæ naturalis raritatis; tum demum quia cum probauerimus dari positiuam leuitatem in corpore aliquo etiam non habente maximam naturalem raritatem, dabitur in illo leuitas solum in gradu remisso, ergo verè leuitas suscipit magis, & minus non aliter ac grauitas, quod si hoc admittas, sed addas cum leuitate in gradu remisso nihil dari permixtum de grauitate, & similiter cum grauitate in gradu remisso, nihil leuitatis permixtum esse; Contra est, quia, peto quinam gradus densitatis est ille, ad quem cum deuentum fuerit, subsequi debeat grauitas loco leuitatis? Præterea cur ex modicissimo densitatis additamento incipere statim debet specifica variatio virtutis motricis, quæ nunquam antea facta fuit ad alias variationes densitatis longè notabiliores. Confirmatur ex Aristotele tum alibi tum præsertim 4. de Celo tex. 3. vbi ait: *In sua regione omnia grauitatem habent, præter ignem etiam aer ipse*; cum ergo in alijs etiam corporibus præter ignem probauerimus dari positiuam aliquam leuitatem, simul cum leuitate, permixta dabitur grauitas, quæ ex Aristotele omnibus corporibus inest dempto igne.

10 Porrò Motus, qui ex his virtutibus motiuis oritur, considerari potest, vel respectiuè ad medium plenum, vel præscindendo ab omni medio pleno, si ergo præscindamus à medio pleno, & consideremus grauia, & leuia in vacuo, vel corpus est simpliciter leue sine admixtione grauitatis, & tendet ad circumferentiam, vel est simpliciter graue, & tendet ad centrum; si vero sit corpus habens

mixtionem

mixtionem leuitatis cum grauitate, vel grauitas est maior leuitate, & præualente grauitate tendet deorsum ea velocitate, quæ tali excessui grauitatis debetur; si vero excedit leuitas, tendet sursum velocitate debita tali excessui. In medio autem pleno motus grauium, & leuium vltimo determinabitur ab alijs corporibus contiguis; Si enim corpus habens cæteroqui plus grauitatis, quam leuitatis sit tamen in medio grauiori, adhuc propria inclinatione ascendet supra corpus grauius, ita vt non solum à corpore, & medio grauiori extrudatur sed sua etiam leuitate tendat sursum, & ratio est quia à medio illo grauiori sicut impeditur grauitas mobilis minus grauis, ne sibi producat impetum, & motum deorsum, ita illius leuitas adiuuatur, vt possit suas vires exercere, & sibi producere nisum sursum, simili ferè modo, ac quando aliquis de se solo non potest assurgere, si ab alio adiuuetur, non modo impeditur eius grauitas ne tendat deorsum, sed eius virtus motiua cæteroqui debilitata adeoque impotens ad causandum motum sursum, redditur apta ad nitendum, & ascendendum sursum.

11 Dices primo si aer v. g. haberet leuitatem permixtam cum grauitate, sequeretur, quod vter inflatus non plus ponderaret, quam non inflatus, nam supponamus leuitatem aeris, quando hic est in suo statu naturali esse ad illius grauitatem vt mille ad centum, & quod dum vter inflatur, per talem compressionem immittatur in vtrem duplo plus aeris, his ergo suppositis, in vtre habente prius mille partes leuitatis, & centum grauitatis, erunt deinde mille partes leuitatis, & ducentæ partes grauitatis, ergo cum per compressionem eadem proportione crescat grauitas, & leuitas, si mille partes leuitatis cum centum partibus grauitatis non erant quid grauius reliquo aere, neque bis mille partes leuitatis cum ducentis partibus grauitatis erunt quid grauius reliquo aere; Ideoque non plus ponderabit vter inflatus, quam non inflatus quod tamen est contra experientiam. Respondeo hoc argumento euinci, quod non solum per condensationem factam vi frigoris, sed etiam per compressionem factam per impulsum, pro ratione compressionis destruatur aliquid leuitatis; & quantum de illa destruitur, tantundem producatur de grauitate. Similiter non modo per rarefactionem factam vi caloris, sed etiam per dilatationem alio quocunque modo factam peribit aliquid de grauitate, & tantundem producetur de leuitate; sequela igitur posita in obiectione est falsa, posito quod compressio aeris intra follem fiat per partes aeris non retinentes eosdem gradus leuitatis, quos habebant prius. sed vi compressionis amittentes leuitatem. Porro quando corpus comprimitur, vel dilatatur causa productiua nouæ grauitatis, vel leuitatis erit ipsa forma substantialis; sicut enim illi in circumstantia maioris compressionis debetur locus infra, in circũstantia vero maioris dilatationis debetur locus supra, quia saltem propter bonum vniuersi debent esse tali modo localiter disposita, ita in circumstantia maioris compressionis producunt sibi maiorem grauitatem &c. Adhuc tamen hæ virtutes motrices oriuntur à primis qualitatibus saltem mediatè vt supra diximus, quia oriuntur à forma substantiali, quæ ad primas qualitates consequitur.

12 Dices secundo ex Archimedis positionibus colligitur humidum esse simpliciter graue, illiusque partes minus pressas non ascendere per propriam leuitatem, sed per extrusionem factam à partibus minus pressis. Respondeo ad Archimedis demonstrationes perinde esse, quod motus sursum partis minus pressæ oriatur vel totaliter, vel solum partialiter per extrusionem factam à partibus magis pressis; cum enim nunquam vna virtus motrix exerceatur sine alia, sed quoties pars magis pressa sua grauitate descendit, etiam pars minus pressa sua leuitate ascendat, benè potuit Archimedes maioris facilitatis gratia vnam tantum ex his virtutibus cõsiderare refundendo leuitatem corporis ascendentis in grauitatem alterius corporis descendentis

13 Dices tertio sit vas æreum subtilissimum, sed vteri capacis & colli angusti soloque aere plenum si violenter submergatur ferè totum in aquam ita vt solum emineat aliquantulum colli non nisi magna vi detineri poterit intra aquam, sed hæc vis non potest haberi nisi ex eo, quod extrudatur ab aqua; nam vas æreum est grauius aqua, ergo non poterit propria inclinatione tendere sursum, aer autem, licet leuior aqua, non tamen proprio nisu potest tendere sursum ne inter aerem, & vas intercipiatur vacuum. Respondeo Vas æreum emergere ex aqua partim per extrusionem, partim proprio nisu, licet enim vas de se sit in specie grauius aqua, simul tamen cum aere leuiori quem includit constituit vnum totum leuius, quod per modum vnius leuitat, ideoque aer simul cum vase assurgit, sicuti è contra lignum innatans aquæ contentæ in vase æreo non grauitat in aquam, sed simul cum aqua grauitatione communi grauitat in illum, à quo vas sustinetur.

14 Dices quarto si dicamus corpora habere solam grauitatem melius intelligetur, quomodo faciant vnam sphæram totalem, & quomodo aer descendat, & naturaliter maneat in cauitatibus terræ Respondeo melius fieri vnam sphæram totalem si corpora habeant non modo grauitatem, sed etiam leuitatem, nam si dum v. g. aqua descendit, lignum non modo extrudatur, sed etiam positiuè iuuet, & concurrat ad acquirendum sibi suum locum, citius, & connaturalius omnia constituentur in suo loco. Porro aer connaturaliter manet intra cauitates terræ, quia non inclinat ad ascendendum, nisi quando habet supra se corpus grauius non impeditum, sed potens succedere in locum aeris ascendentis, ne detur vacuum.

15 Sed quæres grauitatis, & leuitatis definitiones. Respondeo definiri in concreto tanquam notiori primo de Cælo tex. 17. tali pacto. *Graue est quod ferri natum est ad medium leue vero, quod à medio*. Nomine medij venit centrum vniuersi, quod licet de facto sit centrum terræ, ad illud tamen

tendunt

tendunt grauia non materialiter prout centrum terræ est, sed formaliter pro vt talis locus imaginarius est, vt probauimus lib. primo vbi de motu in vacuo, & confirmari potest ex Aristotele 4. Cæl. tex. 22. vbi ait *Quod si quis transponat terram vbi nunc est Luna non ferretur partium vnaquæque ad ipsam, sed ad eum locum, vbi nunc existit*. Ita tamen tendunt grauia ad medium, vt appetant esse in medio non absolutè; sed habito respectu ad alia corpora, aliaque eorum accidentia vt explicabimus infra. Porro illa duo corpora dicuntur æque grauia grauitate absoluta, quæ præscindendo ab æqualitate, & inæqualitate molis, quam habent in suo statu naturali æquè ponderant. Et ideo hæc grauitatis æqualitas dicitur absoluta, quia nullus habetur respectus ad molem, quam in suo statu naturali habet libra ligni v. g. maiorem mole, quam in suo statu naturali habet libra plumbi, illa verò corpora dicuntur æquè grauia grauitate in specie, quorum æquales moles, si sint in statu naturali, absque vlla violenta rarefactione, vel condensatione æque ponderant. Hinc duo corpora possunt esse æquè grauia grauitate absoluta, licet vnum sit alio grauius grauitate in specie; libra enim ligni, & libra plumbi sunt æque graues grauitate absoluta, licet grauitate in specie plumbū sit grauius.

DISTINCTIO VLTIMA.

De Anima.

1 ANima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis, seu id, quo viuimus, sentimus mouemur, & intelligimus primò. Viuens est principiū operationis per se immanentis ab intrinseco, in quo conceptu vniuocè conuenit tam viuens increatum, quam creatum, hoc tamen, quod est operationem non esse ab extrinseco, sed ab intrinseco in operationibus diuinis habetur ex eo, quod implicet eas esse ab extrinseco, in creatis verò nobis innotescit vel ex eo, quod non sint naturaliter debitæ operanti pro primo instanti, in quo hoc existit, vel ratione maximæ similitudinis cum huiusmodi operationibus. Non dantur neque in eadem, neque in diuersis partibus viuentis plures animæ simul, neque successiuè introducuntur in materiam viuentium perfectiorum plures animæ, itaut imperfectior per se, & ex instituto naturæ præcedat perfectiorem. In quolibet viuente etiam merè vegetatiuo præter formam totalem viuentis dantur formæ substantiales partiales; recedente verò forma viuentis nulla est necessitas dicendi, quod loco illius succedat alia forma substantialis, à qua formæ partiales vlterius compleantur.

2 Sola anima rationalis est indiuisibilis, Animę plantarum, & insectorum habent partes, quæ diuisæ possunt naturaliter existere, animæ verò brutorum perfectiorum, licet habeant partes, si tamen diuidantur, non possunt secundum vtramque partem naturaliter existere. Partes animarum diuisibilium sunt homogeneæ, & intra eandem speciem omnes sunt æqualis perfectionis inter se. Tam anima rationalis, quam aliæ animæ sunt veræ formæ informantes omnes illas corporis partes, in quibus aliqua deprehenditur operatio vitalis, quæ propterea dicendæ sunt viscere sanguis alijque humores, medulla ossalis, adeps, seuum, lac, & semen ab animali decisum non sunt animata.

3 Tres sunt vitales operationes animæ vegitatiuæ. Nutritio ad conseruandum, augmentatio ad perficiendum, generatio ad propagandum viuens. Finalis causa nutritionis, per quam ipsa definiri solet est reparatio partium deperditarum per conuersionem alimenti in substantiam aliti. Causa materialis est alimentum, aliud proximum, aliud remotum, remotum est mixtum, quod a Calore viuentis alteratum verti potest in substantiam aliti; proximum est, quod iam concoctum præparatum immediate conuertitur in substantiam viuentis, vt viuens est; hoc autem est sanguis, qui formatur in hepate Causa efficiens nutritionis non est solus calor natiuus, sed ipsa etiam anima per virtutem attractiuam retentiuam, & expulsiuam. Causa demum formalis in viuentibus mere materialibus est pars aliqua de nouo producta, tum formæ totalis, tum etiam vnionis tam essentialis, quam continuatiuæ; in homine vero causa formalis est aliqua noua pars formæ partialis, & vnionis tum continuatiuæ tum essentialis. Augmentatio est viuentis nutritio effluuio maior, seu acquisitio maioris materiæ quantæ, vt quanta est seruata proportione partium viuentis; tam autem nutritio, quam augmentatio fit per introsusceptionem alimenti secundum quaslibet partes sensibiles, Generatio viuentium est origo viuentis a viuente tanquam a principio Coniuncto in similitudinem naturæ, non omnes corporis partes formantur simul, reliquarum enim formationem præcedunt cor, cerebrum, & hepar, quas tres partes probabile est simul efformari. Ad fœtus generationem etiam fœmina concurrit Actiuæ.

4 Potentiæ animæ sensitiuæ sunt sensus tum externi, tum interni. Obiectum cuius est color, & lux, lux existens in corpore lucido est diuersæ rationis a lumine diffuso per medium Productio luminis, & specierum per se loquendo fit per totam spheram actiuitatis instantaneè tam ratione termini, quam ratione subiecti; nec ad qualitatem productam in remoto concurrit efficienter qualitas producta in medio. Quamuis lumen propagetur per medium simili, imo maiori lumine affectum; non

tamen

tamen propterea dicendum est in luce simile agere in simile. Dantur colores ficti, & reales, qui sunt qualitates permanentes in obiecto, & sentiuntur per species.

5 Visio fit per intromissionem, & in retina. Obiectum auditus est sonus qualitas scilicet proueniens a Collisione corporum, eius organum est neruus auditorius. Odoratus habet pro obiecto odorem, hoc est qualitatem resultantem ex permixtione primarum qualitatum prædominante calido, & sicco perficitur autem olfactio in caruneulis mamillaribus narium. Obiectum Gustus est sapor, passio scilicet in humido aqueo facta sicco terrestri, & calore coquenti deducens gustum de potentia in actum per alterationem, & eius organum sunt nerui linguæ molliores. Obiectum tactus sunt quatuor primæ qualitates, & aliquæ etiam secundæ, eius autem organum sunt nerui per totum corpus diffusi. Præter obiecta propria cuiusque sensus, quæ dicuntur sensibilia propria dantur sensibilia communia, quæ percipiuntur a pluribus sensibus solum intransitiuè. Sensus interni sunt quatuor, sensus communis, imaginatio, memoria sensitiua, & appetitus; vt operentur indigēt speciebus impressis relictis ab obiectis sensuum externorum.

6 Animæ rationalis immortalitas rationibus etiam naturalibus demonstratur. Eius potentiæ sunt memoria intellectus & voluntas non nisi per rationem ab anima distinctæ memoria differt ab intellectu per hoc, quod sit principium cognoscendi iam alias cognita. Intellectus diuiditur in agentem, & passibilem, ille ex phantasmatibus producit species spirituales, hic elicit intellectionem. Tres ..bet operationes. Iudicium differt à simplici apprehensione per hoc, quod componat, vel diuidat ..m adhæsione, vel fuga.

7 Licèt tota facilitas ad apprehensionem obiecti tam simplicis, quam complexi habeatur a speciebus confirmatis, & complexis, species tamen quæcumque illæ sint non possunt facilitare ad formale iudicium, sed non propterea superaddenda est intellectui qualitas habitualis cum ad formale ..dicium tam immediatum, quam mediatum in materia non simpliciter euidente tota facilitas re..andi possint in facilius, & efficacius imperium voluntatis: si præsertim adsit memoria similium assen..uum antea præbitorum, ad assensus autem in materia simpliciter euidente superata difficultate, si ..uæ erit in apprehensione terminorum, sicut nulla superest alia difficultas, ita nullus in ordine ad il..os requiritur habitus. In voluntate dantur habitus naturales, qui sunt qualitas superaddita per fre..quentatos actus acquisita.

FINIS.



IMMORTALIA CARD. PAMPHILII

Decora ad Lyræ modulos decantata.



Magnæ Fortunæ capacitas in magna Virtute.

ODE I.



AMA Romano saturata plausu
Insitum germen refer imperanti
Palladis ramo; iuuenemque Cœlo
Tolle Columbam.
Ore centeno meritum potentis
Sparge fortunæ, pretiumq. magnæ
Purpuram mentis recole, & secundos
Vrbis honores.
Laudibus famam comitetur æquis
Virgo, quæ Pindi latices recludit,
Et triumphalem resonet canora
Voce CAMILLVM.
Martiæ dicat sacra Vaticano
Proximum Patri dare iura genti,
Dicat & fausto bene comparatum
Omine nomen.
Grande fortunæ decus, innocentes
Arbitri Regum rapuisse amores;
Grande virtutis, meruisse tanti
Stemmata Regis.
Acrius blandæ leuis aura sortis
Pectus explorat, ferus insolentis
Quam probet fati furor, & maligni
Temporis ira.

Fregit inuictam pretiosus amplæ
Persidis fulgor sobolem Philippi,
Improbus postquam labor obstinatum
Vicit Araxem.
Læta sors dulci Annibalis ferocem
Spiritum egit præcipitem susurro,
Alpium quamuis iuga pertinaci
Rupit aceto.
Impari pondus graue blandientis
Dona sunt sortis, capit illa recti
Cui placet fulgor, generoso & ardet
Pectus honesto.
PAMPHILI Virtus humero irretorto
Glorię nouit tolerare molem;
Nec sub Augusto trepidauit ingens
Nomine ceruix.
Pristinus nullæ violare mentis
Iridem fastus valet, & pudicum
Regiæ diues cumulat ruborem
Purpura frontis.
Mille sublimes decorum feraci
Corde virtutes posuere nidum,
Læta quem circum volat obsequentum
Turba Leporum.
Pectoris gazas, & inhospitalem
Fraudibus mentem, facilemque amari
Ora denudant animum, & disertę
Gratia linguæ.
Tanta non audet bona uirulentus
Liuidi morsus penetrare dentis:
Horret huc fati rabies iniquum
Vertere telum.
Ergo, dum sortis bene ferre magnę
Discit afflatus animosa virtus,
Sortis aduersę nigra par olympo
Nubila calcat.

Eligi

Eligi, quàm nasci Principem gloriosius.

O D E I I.



VC ò uagantes dirige nubibus
Pimplea gressus, dic age Lesbio
Regina concentu sonoris
Carmina consocianda neruis.
Inter decoros nuper amabilis
Adlectus heros murice Principes
Pars grandis Augusti Senatus
Materies opulenta plectro.
Consurgit. Arces etheris igneas,
Currumque spernit diua uolubilem.
Audimur insuetam Camœnis
Pierio uideor sub antro
Spectare pompam. Iam sonat aureum
Delata curru Calliope melos,
Sic orsa suspendit loquaces
Carmine Bellorophontis undas.
Fœcunda monstris sæpè nocentibus,
Et fœda ferro secula perfido
Sub Rege fluxerunt auorum
Purpurea serie tumenti.
Quàm sępè mores pectore regios
Priuatus Heros traxit ab inclyta
Virtute regnantum. superbos
Condecorant titulos parentum
Lecti Nepotes. grandibus indoles
Grandis probatur. Principis optio
Est uera uirtutem colentis
Nobilitas, pretiumque ciuis.
Non ut uigorem roboris in sua
Transfundit arbor semina, nec bonis
Est ut iuuencis, tigribusque
Ingenitus genitoris ardor,

Orbis regendi ſic animus capax
Mentiſque magnæ uiuidus impetus,
Laudumque dulcedo ſalubris
E patribus migrat in nepotes.
Recti ergo prudens arbitrij uigor
Quam nexus, & ius ſanguinis aptius
Sublime, regnorum capaci
Dat ſolium clamydemque Alumno;
Iam ſi ſupremi mens bona Principis
Ex Vrbe ciuem deligat aureum,
Vt Nerua Traiani iuuentam
Imperio columen ſenili
Aduinxit ultro? Tempora tunc uetus
Reuiſat aurum, copia proſperæ
Tunc manet ad plenum benigno
Pacis honorum opulenta cornu.
Id ut Quiritum Maximus Arbiter
Præſiaret, orbis quem colit optimum
In urbe legatum Tonantis
Principe, Clauigerumque Cœli;
Tibi ampla Romæ gloria PAMPHILI;
Et purpurantis gloria Curiæ
Sedem ſecundam Vaticano
Attribuit, uiridemque doctæ.
Dedit Mineruæ non ſine triplici
Ramum liguſtro: te quoque candidæ
Pennis boneſtauit Columbę,
Vt procerum uolites per ora,
Orbemque magni murmure nominis
Fœcundus ales laudibus impleas.
Te rura, quę Tibris decora
Mordet aqua imperioſus amnis.
Cernent uolantem; te colet Alpium
Turrita ceruix, pronus & arduę
Vertex pyrenes; te rubentis
Vnda Tagi prætioſa diſcet.

Ibis

Ibis, rigentis quà freta Tethyos
Vrget maligno sydere Parrhasis;
Quà solis undantes arenis
Torret agros calor obstinatus:
Obliuiosæ cornua Cinthiæ
Transgressus, altum sub pede Mænalum
Linques, Atlanteumque dorsum, &
Attoniti iuga celsa Pindi.

Hercules ab Atlante in partē laboris assumptus.

ODE III.

NOn sic præcipiti proruit impetu
Erumpens tumido flumen ab alueo
Spem lætā agricolę, quam leuis aureo
Culmus cespite prodidit;
Ardens igniuomo nec pila turbine,
Molis quę latebris euolat æneæ,
Fatum triste ferens, æmula fulminis
Sic turres quatit arduas,
Vt Reges humeris nixa minoribus
Moles imperij, ac urbibus imparem.
Frænandis animum Cæsareum grauis
Sceptrum pondere deprimit.
Ars est difficilis; Credite, Principes,
Horrendisque ferax usque laboribus;
Regno conspicuum subdere uerticem,
Nec succumbere nobili
Tormento Populi prouidus integri
Princeps fert humeris fata potentibus,
Et tristis uacuus nube supercili
Vnus sustinet omnium
Fortunamque, metumque est popularibus
Et Dux & Pater, & Consul, & Arbiter;
Personamque gerit tunc bene Principis,
Cum seruit quibus imperat.

Olim sub ualido pondere syderum
Audacem Iapeti progeniem ferunt
Nil curuasse caput, quæ tamen inuide
Vultu Gorgonis asperam
Traxit duritiem; quod sobolem Iouis
Spreuit sydereo fasce superbiens;
Et mons factus Atlas astra cacumine,
Quæ primum tulerat, ferit.
Quin & stellifero suppofuit globo
Dorsum par superis Amphitryonius
Heros, atque humero sustinuit Deos
Atlanti comes additus.
At nunc quantus Atlas, quantus & Hercules
Et quam grandis onus sustinet imperi!
Quam felix humeris talibus ardua
Orbis machina nititur!
Sat Mundi imperio sit licet unica
Ceruix, & ualidum Christiadum patris
Delassare labor non ualeat caput;
Vnius sufficiat licet:
Et Mundo, & Populis, Numine, qui minor
Vno est; summa tamen gloria Principis
Insignem meritis, regibus & parem
Est producere Principem,
Et quem conspicuo culmine collocat
Ciuem, Cæsareis Cominus auibus
Implere, atque uiris fortibus, uberem
Propagare potentiam.
Maior nubifero Atlante Vicarius
Regis cælicolum est, nec fera Gorgonis
Hunc terret facies. Ipse rigentia
Sensu marmora uiuido;
Implet, dum gelidis garrula fontibus
Aeternat simulacra, amplaque ciuibus
Ornamenta parens sedulus excitat.
Clarum tu quoque PAMPHILI

Alci-

Alcidem superas robore regiæ
Mentis: namque operum principium tibi
Est, postremus erat qui labor Herculis:
Mundum post Erimanthij
Terrorem nemoris, post stygium Canem,
Post Ceruam æripedem, & Gerionem trucem,
Et post Mænaliam sustinuit feram,
Et ramosa Draconibus
Lernę monstra; fuit meta laboribus
His Atlantis onus. Grandior Hercule
Tu Cœlum emerito nobilioribus
Crescis laudis adoreis.

SAPIENTIAE TRIVMPHVS

Sub auspicijs Iunioris è Vaticano Columbæ

DITHYRAMBVS

PARS PRIOR.

Apollo; Chorus Musarum.

Apoll. *Andite PAMPHILIÆ comites uexilla Co-(lumbæ.*
Læta triumphalem scandit sapientia currũ
Quam circum niueis uolitat uictoria pennis,
Et longus decorum Reginæ affunditur ordo.
Pandite PAMPHILIÆ comites uexilla Colũbę.
Plaudite Pierides,
Ingeminate choros,
Spargite flores, nectite lauros,
Plaudite, psallite, personate.

Chor. *Congregemur excitemur*
Docta Virginum caterua,
Phœbus imperat canamus
Sub Columbæ purpurantis
Auspicijs relatam
Palladis uictoriam.
Referant amęna dulces

Heli-

Heliconis antra cantus
Phœbus imperat, canamus
PAMPHILII triumphum,
Qui Palladios Martius hostes
Percussit, infregit, peremit, extinxit.

Vna ex Chor. *Plaude signifer tonantis*
Agmen imperii satelles
Fulminumque, turbinumque;
Palladis fugatos hostes
Pete, mucronibus confice iaculis
Vrge, pelle, cęde, perde, tunde, funde.

Altera ex Chor. *Phœbe ludentis columen Camænę,*
Lucidum Cœli decus, & uagantum
Ignium Cęsar radijs malignas
Discute nubes:
Imple celsa benignis
Lucis regna nitoribus,
Inque Pithonem iaculo nobilis expedito
Rursus arma concitantes perduelles Palladis
Vrge, pelle, cæde, perde, tunde, funde.

Apoll. *Iacet cruento uulnere saucius*
Error humanę truculenta mentis,
Pestis ingeni Tyrannus
Error Apollineo perditus ense iacet.
Ille cęlesti uelut icta telo
Turris, aut Euris agitata quercus
Concidit latè, posuitque docto in
Puluere collum:
Ergo hilari clangore tonet uocale metallum,
Et resonent festis tympana mixta tubis.
Plaudite Pierides,
Ingeminate choros,
Spargite flores, nectite lauros,
Plaudite, psallite, personate.

Chor. *Congregemur, excitemur*
Docta Virginum caterua.

Phœbus

Phœbus imperat, canamus
Sub Columbę purpurantis
Auspicijs relatam
Palladis Victoriam.
Referant amœna dulces
Heliconis antra cantus.
Phœbus imperat, canamus
PAMPHILII triumphum,
Qui Palladios Martius hostes,
Percussit, infregit, peremit, extinxit

PARS POSTERIOR

Pallas, Chorus Liberalium Facultatum.

Pall.  *Ingite uiuaci mea pignora tempora lauro,*
Et nostram Phœbi folijs innectite frondem
Vicimus auspicijs euectę ad sceptra Colūbæ.
Vicimus ò soboles fausto uiridantis oliui
Omine, Palladius qua uertex fronde superbit,
Et sub PAMPHILII labaris uictricibus hostes
Fudimus. Ergo alacres mecū conscendite currū,
Sumite Citharas, linquite clypeos,
Tangite neruos, parcite telis,
Ponite ferrum, soluite plectrum,
Et triumphum purpurati ferte Cœlo Principis
Chor. *Tibi nostra chelym dextera pulsat*
O PAMPHILIÆ germen oliuæ,
O purpurei palma senatus,
Columen Romæ, gemma Quiritum.
Tu delicium, tu decus orbis
Tu Palladij lactis Alumnus.
Geminentur ergo cantus,
Recolantur ergo laudes, (personent,
Fistula, buccina, tibia, cymbala, classica tympana
Et triūphū purpurati concināt PAMPHILII,
Vna ex Chor. *O Trito-*

Vna ex chor. *O Tritonia Patriæ*
Mentis filia nobilis,
Iam tum bellipotens Dea,
Vertex cum tremuit Iouis,
Et magnæ penetralia
Mentis diffidit igneus
Ictu mulciber æneo,
Tecum peruolet aëra
Tecum fulgeat ex tuo
Dulci nectare sobrius
Princeps persimilis tibi
Sospitet Ausonias tecum PAMPHILIVS *urbes.*

Altera ex Chor. *Agè diua, quæ feroci*
Ore Gorgonis bimembres
Sæua territas gigantes,
Quæ Minerua pacis artes
Explicas, Bellona Martis,
Et secretioris aurum
Pallas ingeni recludis,
Age Virgo, tolle sacris
Insignem pacis folijs super astra Columbam.

Pall. *En uolat, & ueteris spondet tibi temporis aurum*
O mea progenies, felix tibi nascitur ętas,
Hac duce Romulea regnabit Pallas in urbe:

Chor. *Geminentur ergo cantus,*
Recolantur ergo laudes, *(sonent,*
Fistula, buccina, tibia, cymbala, classica tympana per-
Et triumphum purpurati concinant PAMPHILII.



FINIS.

